PERPETUITAS FIDEI AB ORIGINE MUNDI AD HAEC TEMPORA, SEU SPECULUM...

Paul Beurrier

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II
204
8 D
30
ROMA

I. IV.
I. IX. n.° 28
XXV. l. 22.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PERPETVITAS FIDEI AB origine mundi ad hæc vſque tempora,

SEV

SPECVLVM CHRISTIANÆ RELIGIONIS.

IN TRIPLICI LEGE NATVRALI, MOSAICA, ET EVANGELICA,

In quo, quæ potiſſimûm faciunt ad eiuſdem Fidei confirmationem, & conuerſionem Atheorum, & quorumvis infidelium, ſincerè exhibentur.

Authore R. P. PAVLO BEVRIER *Can. Reg. Congreg. Gallicanæ, in Eccleſia ſancti Stephani de Monte Pariſienſi Paſtore.*

Secunda editio emendatior, cui addita ſunt ab authore plura capita in quarto libro, quæ deſiderabantur ad operis perfectionem, necnon liber quintus continens compendia Rethoricæ Chriſtianæ, methodi facilis Prædicationis Euangelicæ, Controuerſiæ, & Chronologiæ ſacræ à mundi creatione.

PARISIIS,

Apud IACOBVM LANGLOIS, Typographum Regium è Regione fontis S. Genouefæ, & in Magna aula Palatij ad ſextam columnam ſub ſigno Reginæ Pacis.

M. DC. LXXII.

Cum Priuilegio & Approbatione.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

VENERABILIBVS,
ET REVERENDIS SACERDOTIBVS, viris Apoſtolicis, ſanctæ Dei Eccleſiæ Miniſtris digniſſimis, veris Chriſti Miſſionariis, & vigilantiſſimis animarum Paſtoribus.

SI vos Apoſtolici nominis hæredes dixero, (Vigilantißimi, & venerabiles Chriſti Sacerdotes) non erit ſanè fictitius laudis titulus, ſiue propter Apoſtolicæ diſciplinæ ad vos tranſmißionem, ſiue propter communem laborum, in Euangelici muneris amplitudine ſocietatem, ſiue etiam propter perfectam animorum concordiam, & vitæ communis praxim in dilectione fundatam; dilectio enim, inquit Tertul. lib. de Patientia, *ſummum eſt fidei Sacramentum, & Chriſtiani nominis Theſaurus. At ſi nos eiuſdem ac Apoſtoli quondam Ordinis clerici cum illis eadem profitemur, vt innuit Auguſtinus, magna planè, quam viuimus, vita eſt, & magnis debita negotiis pro incremento diuinæ gloriæ, pro Religione, & fide amplificanda, & pro ſalute proximorum procuranda. Neque enim ſatis eſt, quod inuigilemus noſtris, vel ſeruandis, vel ad integritatem reuocandis inſtitutis Apoſtolicis, in propriis domibus, & Parrochijs, verùm etiam in exteris*

Digitized by Google

Miſſionum exercitijs, in vitiorum extirpatione inter Catholicos, in hæreſi, & infidelitate debellanda, & fide vera confirmanda, apud alienos à vera Dei cognitione totum animum, totas vires, atque omnem operam conferre debemus; ita vt tota Eccleſia nobis ſit quaſi domus propria. Apoſtolorum enim zelus, cui debuimus ſuccedere ſicut & Ordini, Regula nobis prima eſt, vt veris Chriſti Sacerdotibus eximium illud præconium conueniat per imitationem, quod propriè congruit Apoſtolis (In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.) O vtinam in nobis reuiuiſcant ſacri illius ignis cæleſtes flammæ, quibus quondam ardebant noſtri Fundatores Ordinis, & noſtra Domicilia, pietate, doctrinâ, ac ſanctitate, tot veluti ſeminaria floreant, vt inde viri Apoſtolici emittantur in Meſſem Dominicam! Vt quid ſtamus hîc totâ die otioſi? neque enim valebit vetus excuſatio, Nemo nos conducit. Parcite zelo præcipiti, feruentior, quàm par eſt, calamus elabitur. Enimvero ſatis mihi conſcius eſt animus nihil vobis deeſſe ad expreſſionem Apoſtolicæ vitæ: vnde ampliſſimas Deo Opt. Max. gratias veſtri cauſa refero, quod non ſolùm domeſticæ, ſed & alienæ ſaluti omnes veſtros conatus impendatis viriliter. Nam in Seminarijs, & Domicilijs veſtris Canonica viget diſciplina, in Parrochijs feruet animarum zelus, ac ope veſtra, Chriſtiana pietas in noſtra Gallia, ne dicam in toto orbe, mirum in modum excolitur. Teſtes ſunt innumeræ propè-modum Chriſtianorum animæ, quarum pretium Chriſti Sanguis eſt, è mortis faucibus manibus veſtris vbique terrarum ereptæ. Pergite

Digitized by Google

ergo (Sacerdotes reuerendi) & creſcat in mille millia, vinea Domini Sabbaoth, extendat palmites ſuos vſque ad mare, & vſque ad flumen propagines ſuas; & ipſe Deus virtutum perficiat eam, quam platauit dextera ſua. Verùm iuſto pudore ſuffunderer, ſi inter tot ſtrenuos Apoſtolici exercitus milites, & duces, qui quotidie ad bella parati inimicorum ſuſtinent impetus, & vitijs proſtratis illuſtres ſuis virtutibus triumphos erigunt, in otio torperem inermis. Abſit hoc à me. Quin imo vtar libenter magnanimi Vriæ verbis: Ecce arca Dei, & Iſraël, & Iuda, habitant in Papillionibus, & ſerui Domini mei ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam, & bibam, & dormiam? Per ſalutem veſtram non faciam rem hanc; ſed veſtris quantùm in me erit veſtigijs inhærens, conabor ex veſtris laureis aliquid promereri. Si verò me vt indignum vobis addere Deus noluerit in veſtris certaminibus ſocium, ſaltem vobis arma congeram, & præbebo ſtrenuè certantibus meam phareretram vario refertam telorum genere per manus veſtras præliaturus. Ecce liber iſte eſt ex ſacris Paginis, ſanctis Patribus, ac veteribus Philoſophis excerptus; nec-non in Impios, Atheos, Idolorum cultores, atque errorum alumnos, velut Euangelicus gladius diſtrictus. Illum vobis dicatum, tamquam amoris mei erga vos pignus benigna manu excipite; & quos in eo defectus immiſcui in ſtyli tenuitate, in verbis durioribus, & in ſententijs impolitis, eximia, & immenſa veſtra charitate cooperite. Faxit Deus, vt non inutilis ſit labor meus; ſed potius addens ſuper vos benedictionem ſuper bene-

dictionem, doceat ipse manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum, vt per nos salutem faciat in populo suo, Nomen suum benedictum sanctificet, & admirabile lucis gloriæ suæ Regnum amplificet. Hoc deprecor ex intimo corde, quo vsque in æternum permanebo,

Humillimus, & obsequentissimus seruus, & Consacerdos,
F. P. BEVRIER,
Pastor licet indignus Ecclesiæ S. Stephani, de Monte Parisiensi.

Digitized by Google

PROLOGVS
AD CANDIDVM
LECTOREM.

MIHI jam videntur aduenisse tempora illa periculosa (Lector candidissime) ab ipso gentium Apostolo prænuntiata, in quibus homines seipsos amantes à veritate auditum auertent, & ad fabulas conuertentur, ita vt Tertulliani effatum hoc dici queat: vt mala magis vincunt, quod vltimorum temporum ratio est, bona jam nec nasci licet, ita corrupta sunt semina, nec erudiri, ita deserta sunt studia, nec cogi, ita exarmata sunt jura. Licet enim vera fides, & pietas inconcussæ maneant in multis, & plurima sint Christianorum millia, qui non curuauerunt genua coram Baal, aut fidem suam numquam mutauerunt à Deo: nemo tamen inficias ibit quin multa sint millia hominum, in quibus vera Dei scientia non subest, nec solùm inter Paganos, inter Mahumetanos, inter Iudæos, inter Hæreticos, verùm etiam inter eos, qui exteriùs verum Dei cultum profitentur, quorum vita penitus prophana est, imo peior, vtpotè omnibus obnoxia criminibus. Neque desunt inter eos plurimi, qui videntur Christiani esse, & non sunt, sed potius Politici, omnem Religionem politiæ subdentes, in corde, & in animo omnia Religionis Christianæ mysteria vel negantes, vel in dubium reuocantes, atque etiam hanc ore

Digitized by Google

blaſphemiam proferentes, nomen habent, quod viuant, & ecce mortui ſunt.

Aduerſus hos omnes Opuſculum hoc Philoſophicum, ac ſimul Theologicum aggredi non vereor, Deo, vt credo, inſpirante, & mouente, imo & præcipiente. Si enim vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo, quantò magis Sacerdotibus, & Paſtoribus, quos ipſe conſtituit ſuper muros Hieruſalem cuſtodes tota die, & tota nocte, ne in perpetuum taceant, ſed potius vt euellant, & deſtruant, diſperdant, ac ædificent, & plantent? Et certè niſi voci Domini obediant, ipſe ſanguinem animarum illis commiſſarum requiret de manu eorum, & opprobrium ſempiternum dabit eis, quia fuerunt ſpeculatores cæci, & canes muti non valentes latrare. Væ illis Paſtoribus, qui paſcunt ſeipſos, non gregem, qui bibunt lac ouium, & lana earum cooperiuntur, gregem autem Dominicum non paſcunt, quod infirmum eſt non conſolidant, & quod ægrotum, non ſanant, quod fractum eſt, non alligant, & quod periit non quærunt. His minis territus, nec minùs diuinæ gloriæ, & Salutis proximi procurandæ amore excitatus, cum Iſaia, propter Sion non tacebo, & propter Hieruſalem non quieſcam: ſed verbis, ſcriptis, orationibus, atque omnibus, quibus potero modis, opportunè & importunè arguam impios, obſecrabo Deum pro conuerſione infidelium, & peccatorum, & increpabo nolentes prævaricatores ad cor redire in omni patientia, & doctrina, ſequutus Apoſtoli conſilium, donec ad veræ Religionis cognitior & ad portum ſalutis reuocentur. Hic eſt ſcopus, & finis præſentis Opuſculi.

Sed & præterea ardor ſanctus Chriſtianos propagandi limites, & Lucis Euangelicæ circumferendæ in exteras oras diù me tenuit: longinquos labores apud Orientales, vna cum Illuſtriſſimis Epiſcopis, & aliis viris Apoſtolicis, qui ſpretis omnibus pro Deo, & Religione propaganda illuc ſe contulerunt, ſuſcepiſſem lubentius,

niſi Superiorum meorum obedientia impediiſſet, vel potius niſi peccata mea, à tanti operis participatione me repuliſſent. Hinc cum peregrinum illud, ac laborioſum docendi munus tamquam viator aggredi non poſſim; ſaltem, vt ſcriptor, pennarum, quibus vtar in ſcribendo, ope & auxilio per Orientem circumuolaturus, Apoſtolici eorum miniſterij collegam me præbebo.

Suſcipe ergo (mi Chariſſime Lector) opuſculum iſtud tibi, ni fallor, profuturum, ſiue ad tuam, ſiue ad proximorum ſalutem. Habes in eo partim ex ſacris, partim ex prophanis, tum ex nouis, tum ex antiquis plurima medullitùs excerpta, quæ vel jacentium in tenebris illuſtrationi, vel pertinacium confuſioni proficient. Primò quidem, in Atheos, & Politicos, de Deo, de illius nomine, variis appellationibus apud gentes varias expreſſo, de eiuſdem exiſtentia, prouidentiaque, tum aliis eiuſdem perfectionibus ediſſero. Deinde de veræ Religionis caractere per omnes ætates, ac nationes ab orbe condito prorſus ii delebili, cum Idolorum cultoribus contendo: Porro contra Iudæos, ex libris, quos ipſi nobis tradiderunt, eruo prima fidei Chriſtianæ ſemina. Poſtremò veræ illius Religionis, quæ ſtatim ab origine mundi incœpta, manauit ad nos vſque purior, ſanctiorque, Romanam Eccleſiam eſſe centrum, eamque eſſe Catholicam, & Apoſtolicam, contra hæreticos demonſtro; ita vt, Lector noſtræ Religionis veritatem propugnaturus, contra quemlibet deſcendere paratus eſſe poſſis. Hæc autem vix mea quidem. Quippe variorum omnis temporis, ac Religionis authorum innumera propè ſeges eſt, quam in hos breuiores faſciculos collegi, vt iis, qui Miſſionibus operam impendunt, portatiles præſtò ſint in manibus huius induſtriæ beneficio; ſicque curis licet domeſticis detentus, euangelizantium pedibus, vt ita loquar, ambulem, ore loquar, & in eorum ærumnis, ac laboribus partem vel minimam habeam. Faxit Deus, vt ſortiatur hanc fœlicitatem, huius meæ ver-

Digitized by Google

gentis ætatis autumnus : vt quemadmodum ex ramis arborum, maturi fructus, lapſaque folia ſimul decidere ſolent, ita cum vtilitate, fructuque effluant ex manibus meis, hæc folia ad publicam Eccleſiæ vtilitatem.

Ornatæ, & humanæ eloquentiæ verba lubens neglexi. Præterquam enim quod hæc Doctrina humanæ facundiæ recuſet ſplendorem, malui, vt cum Saluiano loquar, *in præfat. lib. de Dei guber.* æſtimari rerum, quàm verborum amator, vtilia potius, quàm plauſibilia ſectari: non quærens vt in hoc opere ſæculi ornamenta, ſed vt ſalubria rerum emolumenta laudentur: nolens ſcripta mea, lenocinia eſſe, ſed remedia, quæ ſcilicet non tam otioſorum auribus placeant, quàm ægrotorum mentibus proſint. Malo enim prodeſſe, quàm præeſſe. Hæc faciat ergo mihi Deus, & hæc addat tibi, Amiciſſime Lector: vt hæc tibi, & mihi proſint ſcripta, ad fidei confirmationem, ad ſalutem æternam comparandam, & ad diuinæ Majeſtatis æternam gloriam, cui laus & honor in ſæcula.

INDEX CAPITVM,

Quæ in hoc Tractatu continentur.

LIBER PRIMVS.

De Deo vno, eiusque perfectionibus & operibus præcipuis, scilicet Angelo, & Homine.

CAP. I. *De nomine Dei.* Pag. 1

II. *De nomine Dei apud Sinas, Tunchinenses, & alios Orientales, eiusque incomprehensibilitate.* 3

III. *De nomine Dei apud Occidentales populos.* 5

IV. *Aliæ rationes, quæ probant diuinam Existentiam, & simul Dei perfectiones.* 18

V. *Existentia Dei probatur ex mundi creatione.* 19

VI. *De diuina Prouidentia omnia gubernante.* 21

VII. *Diuina Existentia, & Prouidentia Numinis probantur, & confirmantur ex absurdis, quæ sequerentur ex non existentia Diuinæ Prouidentiæ.* 24

VIII. *Soluuntur obiectiones Atheorum, & Politicorum.* 26

IX. *De vnitate & singularitate Dei, seu primi Entis contra Idololatras.* 29

X. *Quod omnes Nationes & Philosophi vbique terrarum agnouerunt, & coluerunt verum & vnicum Deum, quem colunt Christiani ab origine mundi, & per multa sæculorum interualla.* 30

XI. *De Diis Gentium, & triplici acceptione & applicatione diuini Nominis.* 32

XII. *De ortu idololatriæ, & Deorum pluralitatis.* 35

XIII. *De creatione spiritualium creaturarum, Angelorum scilicet & Animarum rationalium.* 38

XIV. *De immortalitate Animæ rationalis.* 41

XV. *De diuina omnipotentia in creatione mundi.* 45

INDEX

XVI. *De diuina Sapientia.* 48
XVII. *De diuina Bonitate.* 49
XVIII. *De diuino & angelico consortio cum hominibus.* 51
XIX. *De dæmonibus, & peccato Angelorum.* 53
XX. *De secundario opere diuinæ omnipotentiæ, seu de homine, qui est compositus ex anima rationali, & & corpore animali: cur anima corpori vnita fuit à Deo?* 56
XXI. *De peccato Originali, seu prima corruptione naturæ humanæ.* 60
XXII. *Quod Deus odit & punit peccata, vt iustus omnium iudex.* 65
XXIII. *De iustitia diuina apparente in iudicio animæ separatæ à corpore, in quo concordant Fides, Philosophia, & Traditio.* 67
XXIV. *De diuina iustitia purgante animam separatam à corpore, seu de Purgatorio, in quo concordant Fides, Ratio, & Traditio Philosophorum contra Atheos & Hæreticos.* 69
XXV. *De diuina iustitia damnante impios, prout Fides, Traditio sapientum, & Ratio suadent.* 74
XXVI. *De diuina Misericordia, & bonitate in remuneratione iustorum, seu de gloria æterna Sanctis promissa, & ab iis possessa.* 82
XXVII. *De Resurrectione corporum, quæ est opus diuinæ Omnipotentis Iustitiæ.* 86
XXVIII. *De fine, & innouatione mundi.* 93
XXIX. *De Iudicio extremo, vltimo actu publico diuinæ iustitiæ.* 99
XXX. *De cultu Animæ, & conclusione huius primi Libri.* 105

LIBER SECVNDVS.

De Religione vera.

CAP. I. DE necessitate, dignitate, & antiquitate Religionis. 109

Digitized by Google

CAPITVM.

II. *De falsis Religionibus, seu potius superstitionibus.* 112

III. *De sectis Philosophorum veterum.* 114

IV. *De Astrologorum secta, & vana observatione.* 116

V. *De Sectis Hæreticorum.* 118

VI. *De Secta Mahumetica.* 120

VII. *Quod necessariò vnica est vera Religio.* 123

VIII. *De vera Religione in lege Naturæ.* 126

IX. *De ortu Christianæ Religionis in Cælo, & in lege Naturæ, vbi de Euangelio & Testamento æterno.* Apoc. 10. & Hebr. 13. 130

X. *De statu Christianæ Religionis in lege Naturæ.* 133

XI. *Prænotiones fidei Christianæ ante Diluuium.* 136

XII. *Quomodo Fidei, & Religionis lumen per omnes Nationes respersum est,* 141

XIII. *De Symbolis, & prænotionibus veræ, & Christianæ Religionis in Ægypto.* 144

XIV. *De Mercurio Trismegisto.* 148

XV. *De Prænotionibus Christianæ Religionis in Persida, Chaldæa, Arabia, & de eorum Magis.* 150

XVI. *De Zoroastre Principe Magorum.* 153

XVII. *De prænotionibus Christianæ fidei in Æthiopia, & India.* 155

XVIII. *De Dydimo Indorum Rege & Gymnosophista,* 157

XIX. *De prænotionibus Christianæ veritatis apud Sinas.* 158

XX. *De* Confusio *Philosopho, & Propheta Sinensi.* 163

XXI. *De cultu veri Dei, & prænotionibus fidei mysteriorum apud Gallos, Britannos, Germanos, & alios populos Occidentales.* 167

XXII. *De Druidarum Religione, & solemni sacrificio.* 169

XXIII. *De cognitione veri Dei, & prænotionibus Christianæ fidei in Græcia, Italia, & aliis Europæis Prouinciis.* 174

XXIV. *De Diis Gentium.* 177

XXV. *Quod in statu Legis Naturæ ante corruptionem Ido-*

Iolàtriæ, Dei attributa ſub nominibus variis, tanquam Dij gentium fuerunt in veneratione, & coli cœperunt. 179

XXVI. *De Saturno, & Maia, ſcilicet Patre, & Matre Deorum.* 180

XXVII. *De Ioue, Neptuno, Plutone, & eorum Sorore Iunone.* 183

XXVIII. *De Mercurio, Minerua, & Marte.* 186

XXIX. *Quod ſub nomine Deorum Gentium, ſancti Patriarchæ, & Illuſtriores viri, ſeu Heroës culti ſunt, & fabulæ Poëtarum ab Hiſtoria ſancta ortum habent.* 189

LIBER TERTIVS.

De ſtatu Chriſtianæ Religionis in lege Moſaïca.

CAP. I. *De Abrahamo, quem Deus elegit, vt eſſet Pater ſingularis ſuæ familiæ, & Pater Fidei.* 194

II. *De fundatione* Academiarum *per ſanctos Patriarchas poſt diluuium, vt Fides reuiuiſceret, & Traditio, ſeu* Cabala *ſeruaretur.* 196

III. *Quod* Moyſes, *à Deo miſſus eſt Doctor Gentium, & Iudæorum, ac Legiſlator diuinæ Legis ſcriptæ.* 198

IV. *De* Cabala, *ſeu Traditione myſteriorum Fidei Chriſtianæ.* 200

V. *De nomine Dei* Tetragrammaton יהוה, *in quo tres Perſonæ adorandæ* Trinitatis *ſignantur.* 206

VI. *De relatione nominis* Ieſu *ad* Iehoua *vbi de Tabernaculo fœderis, & contentis in eo, cum ſenſu myſtico.* 209

VII. *De* Numeris, *& Myſteriis in his contentis.* 217

VIII. *De Ternario Numero.* 220

IX. *De Quaternario Numero.* 223

Digitized by Google

CAPITVM.

x. *Nomen, & numerus* Iehoua *exprimuntur per nomen* Ieſu. 225

xi. *Alia diuini Nominis myſteria continens.* 228

xii. *De lege* Moſaïca, *prout eſt figura legis* Euangelicæ. 230

xiii. *De Tabernaculis Patriarcharum.* 233

xiv. *De Cherubim, & Theraphim.* 235

xv. *De Prophetis, qui Chriſti, eiuſque Religionis Myſteria prædixerunt.* 239

xvi. *Prædicitur Incarnationis tempus, & Paſſionis Chriſti, & Ieruſalem deſtructionis, &c.* 241

xvii. *De ſacrificiis, & oblationibus veteris Legis, prout fuerunt figuræ Myſteriorum, & ſacrificij Chriſtianæ Religionis.* 243

xviii. *De Sacramentis legis Moſaïcæ.* 247

xix. *De Purificationibus vtriuſque Legis, Naturæ, & Moſaïcæ, in genere.* 250

xx. *De nomine, & diuiſione Aquæ* luſtralis *veteris Teſtamenti.* 252

xxi. *De figuris Aquæ* luſtralis *vtriuſque Teſtamenti, ſed præcipuè aquæ* Baptiſmalis. 253

xxii. *De Purgationibus ſacris Gentium, ſeu Legis Naturæ.* 255

xxiii. *De Hierarchia Eccleſiaſtica vtriuſque Legis, Naturæ, & Moſaïcæ.* 258

xxiv. *De Scriptura ſacra præcipuè veteris Teſtamenti.* 261

xxv. *Quanta fuerit authoritas* Scripturæ ſacræ *apud Philoſophos, & Doctores omnium Nationum; & de variis* Tranſlationibus *eiuſdem, præcipuè de mirabili Tranſlatione* Septuaginta Interpretum. 265

xxvi. *De ſingulis libris Veteris Teſtamenti, & eorum Authoribus, & primò de libris* Politicis, *ſeu* Pentateucho. 268

xxvii. *De libris* Hiſtoricis *ſacræ Scripturæ.* 270

XXVIII. *De libris* Dialecticis, & Poëticis, *nec-non* Ethicis *Scripturæ ſacræ.* 272
XXIX. *De libris Propheticis.* 274
XXX. *De Patriarchis, Prophetis, & illuſtribus viris veteris Teſtamenti, qui in vita, & actibus ſuis* Chriſtum *præfigurarunt* 276
XXXI. *De Sanctis, & illuſtribus Fœminis, quæ ſanctam Virginem* Mariam *Dei-param præfigurarunt, & aliis eiuſdem Virginis figuris.* 285
XXXII. *Quod lex* Iudaïca *finem accepit, & conſummata eſt in* Chriſti Ieſu *morte, & nunc eſt ſacrilega, & impia.* 287

LIBER QVARTVS.

De vera Religione in lege Euangelicâ, ſeu de veritate Religionis Chriſtianæ, quæ tenetur ab Eccleſiâ Catholicâ, & Romanâ.

CAP. I. *PRimum Argumentum veritatis Chriſtianæ Religionis, ſcilicet quòd ex prædictis in tribus præcedentibus Libris, ſequitur vnicam eſſe veram Religionem, quam vocamus Catholicam, Apoſtolicam, & Romanam.* 293
II. *Alterum argumentum veritatis Chriſtianæ Religionis ex Sauanarola, lib. 2 Triumphi Crucis, cap. 3. depromptum, ſcilicet nullam Chriſtianâ vitâ inueniri meliorem.* 296
III. *Tertium Argumentum confirmans veritatem Chriſtianæ Religionis, ſcilicet quod vltimo fine vitæ Chriſtianæ nullus melior poteſt excogitari, & nullum medium ad beatitudinem melius poteſt repeiri Chriſtianâ vitâ.* 297
IV. *Argumentum quartum veritatis Chriſtianæ Fidei, ex eo quod eſt cauſa optimæ vitæ. Sauanarol. lib 2. Triumphi Crucis cap. 7.* 300

Digitized by Google

V. *Argumentum veritatis Christianæ ex vi sacræ* Scripturæ, *vbi ostenditur doctrinam Christianam, cui fides innititur, esse à Deo. Sauanarol. loc. cit. lib.* 8. 305

VI. *Argumentum veritatis Christianæ Religionis, ex cultu exteriori, & interiori.* 305

VII. *Argumentum ab admirandis Christi operibus, pro Christiana veritate.* 310

VIII. *Argumentum pro Christianæ fidei veritate sumptum à sapientia Christi.* 314

IX. *A bonitate Christi Fidem esse veram probatur.* 316

X. *Quod non est contra rationem; imo est conforme rectæ rationi, admittere pluralitatem Personarum in Deo.* 320

XI. *Quod personæ prima producens debet dici* Pater, *& altera producta debet dici* Filius. 321

XII. *Quod in Deo est etiam tertia Persona producta à* Patre, *&* Filio, *quæ vocatur* Spiritus-sanctus. 323

XIII. *Traditio veterum tùm Philosophorum, cùm Sacrificatorum, circa mysterium adorandæ* Trinitatis. 326

XIV. *De recreatione, & reparatione humani generis per* Christum Messiam. 331

XV. *De Incarnatione Filij Dei.* 335

XVI. *De Virginali Christi Concepione.* 338

XVII. *De admirabili* Christi *Natiuitate, per omnes creaturam ordines signata.* 342

XVIII. *De conuenientia circumstantiarum Natiuitatis, & Vitæ Christi.* 345

XIX. *De aliis circumstantiis vitæ Christi.* 348

XX. *De* Passione, *& morte Domini nostri Iesu Christi.* 351

XXI. *De conuenientia Christi Passionis & mortis, in eius circumstantiis.* 355

XXII. *De Christi gloriosa* Resurrectione. 358

INDEX

XXIII. *De admirabili Christi* Ascensione *in Cœlum.* 38
XXIV. *De vltimo Christi, summi omnium Iudicis adventu.* 364
XXV. *De visibili missione* Spiritus, Sancti, *& Mundi conuersione.* 368
XXVI. *De Sacramento Baptismi.* 373
XXVII. *De Aqua benedicta, siue qua communiter purgamur, siue qua baptisantur Cathecumeni.* 375
XXVIII. *De Ceremoniis Aquæ benedictæ communis.* 379
XXIX. *Moralitates in praedicta Aqua benedicta, eiusque ceremoniis.* 382
XXX. *De Sacramento* Confirmationis. 385
XXXI. *De Pœnitentia.* 389
XXXII *De veritate Corporis & sanguinis Christi in Eucharistia.* 395
XXXIII. *Quod post consecrationem non amplius manent substantia panis, & substantia vini; sed per eam substantiæ transsubstantiantur in Corpus & sanguinem Christi.* 398
XXXIV. *Confirmatio veritatis Eucharisticæ, per traditionem Apostolicam, & Missæ Sacrificium.* 401
XXXV. *De sacra* Communione *Corporis Christi.* 410
XXXVI. Eucharistiæ *Sacramentum & Sacrificium confirmantur rationibus conuenientiæ.* 414
XXXVII. *Responsio ad obiectiones* Hæreticorum *contra realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in* Eucharistia, *&* Transsubstantiationem. 417
XXXVIII. *Solutio obiectionum contra* Missæ *Sacrificium.* 423
XXXIX. *De* Communione *sub vtraque specie, in quo soluuntur obiectiones contra Communionem* Laïcorum *sub vna tantùm.* 425
XL. *De Sacramento Extremæ-Vnctionis.* 428
XLI. *De Sacramento Ordinis, & vnitate Ecclesiæ.* 431
XLII. *De Sacramento Matrimonij.* 437
XLIII. *Epilogus de Sacramentis.* 441
XLIV. *De Indulgentiis.* 444

Digitized by Google

CAPITVM.

XLV. *De Purgatorio.* 447
XVLI. *Soluuntur obiectiones contra Purgatorium.* 452
XLVII. *De cultu & inuocatione Sanctorum & Angelorum.* 453
XLVIII. *De cultu Reliquiarum Sanctarum.* 456
XLIX. *De cultu & veneratione sanctarum Imaginum.* 459
L. *De Ecclesia, quæ est una, visibilis & infallibilis, ita vt errare, aut deficere non possit.* 462
LI. *De Notis veræ Ecclesiæ, in qua salutem æternam consequi possumus.* 467
LII. *De Traditionibus.* 471
LIII. *De Officio diuino, & sacris Ceremoniis.* 475
LIV. *De Cœlibatu sacrorum Ministrorum.* 478
LV. *De antiquitate, & sanctitate societatum Religiosarum.* 482
LVI. *De Votis Euangelicis, & præsertim de Voto Continentiæ, & Virginitatis.* 488
LVII. De Abstinentia Ciborum, & Ieiuniis. *Conuertimini ad me in toto corde vestro, in Ieiuniis, & in fletu, & in planctu. Canite tuba in Sion, sanctificate Ieiunium, vocate cœtum, &c.* 492
LVIII. De Iustificatione, & Controuersiis quæ eam spectant. *Iustificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* 500
LIX. *De Fide.* 504
LX. *De merito bonorum Operum.* 506
LXI. *De Spe & Fiducia.* 509
LXII. *De Charitate.* 511
LXIII. *Epilogus totius Opusculi.* 513

FINIS.

Digitized by Google

APPROBATIO.

EGo ſocius & Doctor Sorbonicus, ac Theologiæ Profeſſor ; legi librum qui inſcriptus eſt, *Speculum Chriſtianæ Religionis, &c. Authore R. P.* PAVLO BEVRRIER, *Can. Reg. Congregationis Gallicanæ, in Eccleſia ſancti Stephani de monte Pariſienſi Paſtore,* In quo nihil à me deprehenſum eſt, niſi quod cum fide ac Religione, ac bonis moribus rectè conſentiat. Ita ſubſcripſi, die 13. menſis Aprilis, anno Domini 1666.

M. GRANDIN.

APPROBATIO.

EGo nominis infraſcripti in ſacra Theologiæ Facultate Doctor & Propœnitentiarius Pariſienſis, teſtor legiſſe me, pariter, & expendiſſe pro viribus opus ſub hac Epigraphe conſcriptum, *Speculum Chriſtianæ Religionis, &c.* In quo ſine fuco veritatis, ſine pigmento verborum, ea florum etiam adſcititiorum, quos vtiliter & accuratè velut apis argumentoſa delibauit author, fragrantia paſſim exuberat, vt in eius examine mihi factus ſit tenor libri, quaſi odor agri pleni, cui benedixit Dominus, cæteriſque lecturis, vt ſpero, futurus inde virtutum omnium guſtus dulcior, atque adeo reconditorum fidei Catholicæ myſteriorum intellectus illuſtrior. Datum Pariſiis, die Dominica, vigeſima-prima Martii 1666.

PEAVCELLIER.

Digitized by Google

APPROBATIO.

EGo infraſcriptus ſacræ Facultatis Pariſienſis Doctor Theologus fidem facio, opus inſcriptume *Speculum Chriſtianæ Religionis, &c.* nihil continere, quod orthodoxæ fidei aut morum puritati repugnet; quin imo multiplicem offerre legentibus reconditæ doctrinæ ſupellectilem, variiſque coruſcare veritatis fulgoribus, quibus & Atheorum & Infidelium mentes diſcuſſis errorum tenebris illuminentur; vnde & præſo dignum judico,& eximio auctoris zelo,quo non tantùm domeſticis fidei in vera pietate enutriendis indefeſſo ſtudio collaborat, ſed & inter innumeras Paſtoralis ſollicitudinis curas infidelium oleaſtris germanæ oliuæ inſerendis intentus arma ſpiritalia viris Apoſtolicis ſuppeditat, quibus prælientur bella Domini. Datum Pariſiis è ſeminario pro conuerſione Infidelium inſtituto, die 23. Martii, anno 1666.

V. DEMEVR.

FACVLTAS R. P. GENERALIS Can. Reg. Congreg. Gallicanæ.

FRater Franciſcus Boulard Abbas ſanctæ Genouefæ Pariſienſis, & Canonicorum Regularium Congregationis Gallicanæ Præpoſitus Generalis facultatem fecimus Reuerendo Patri Paulo Beurrier, noſtro Aſſiſtenti ac S. Stephani Pariſienſis Eccleſiæ Parocho, in lucem edendi librum cui titulus eſt, *Speculum Chriſtianæ Religionis in triplici lege*, à ſe exaratum: poſtquam Doctorum teſtimonio nobis innotuit illum reipublicæ Chriſtianæ gratum fore ac perutilem, nihilque in eo orthodoxæ doctrinæ repugnans contineri. Datum Pariſiis in præfato noſtro S. Genouefæ Monaſterio, die vigeſima ſecunda Martii, anno Domini, milleſimo ſexenteſimo ſexageſimo ſexto.

BOVLLARD.

De mandato R. P. Præp. Generalis.
F. DV MOVLINET.

Extrait du Priuilege du Roy.

PAr Lettres de Privilege, données à ſaint Germain en Laye, le 6. iour de Février 1672. Signées, Par le Roy en ſon Conſeil, BOVCHAD, & ſeelées du Grand Sceau de Cire iaune : Il eſt permis à IACQVES LANGLOIS, l'un de nos Imprimeurs ordinaires, d'imprimer un Livre intitulé, *Perpetuitas Fidei ab origine mundi, ſeu Speculum Chriſtianæ Religionis, in triplici lege Naturali, Moſaica, & Evangelica, in quo quæ potiſſimum faciunt ad ejuſdem Fidei confirmationem, &c. Authore R. P.* PAVLO BEVRIER, *Can. Reg. Congreg. Gallicanæ, in Eccleſia S. Stephani de monte Pariſienſi Paſtore. Secunda editio emendatior, cui addita ſunt ab autho e plura capita in quarto Libro, quæ deſiderabantur ad operis perfectionem, necnon Liber quintus continens compendia Rhetoricæ Chriſtianæ, Methodi facilis Prædicationis Euangelicæ, & Chronologia Sacræ à mundi Creatione.* Deffenſes à tous Imprimeurs, Libraires & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre & debiter aucun deſdits Liures que de ceux faits par ledit Expoſant, pendant le temps & eſpace de dix ans, à commencer du iour que ſera achevé d'imprimer ledit Livre, à peine de ſix mille liures d'amende, ainſi que plus au long eſt contenu dans leſdites Lettres.

Regiſtré ſur le liure de la Communauté des Marchands Libraires, & Imprimeurs de Paris, le 13. Féurier 1672. ſuiuant l'Arreſt du Parlement du 8. Auril 1653 & celuy du Conſeil Priué du Roy du 27. Feurier 1665. Signé, THIERRY, Syndic.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois, le 18. Aouſt 1672.

Digitized by Google

SPECVLVM CHRISTIANÆ RELIGIONIS,

IN TRIPLICI LEGE NATVRALI,

Mosaïca, & Euangelica, in quo quæ potissimùm faciunt ad fidei confirmationem, & conuersionem Atheorum, & quorumvis infidelium, sincerè exhibentur.

LIBER PRIMVS,

De Deo vno, eiusque perfectionibus & operibus præcipuis, scilicet Angelo, & homine.

CAPVT I.

De Nomine Dei.

1. VT omnis ambiguitatis tollatur occasio in dissertationibus, quæ fiunt de aliquo; primùm necesse est de nomine eius conuenire, cùm præsertim res & naturæ nobis exponantur per earum nomina: ergo, antequam de existentia & perfectionibus Dei disseramus, sciendum est quid Dei nomine adumbremus?

Digitized by Google

2. Omnes porro ſapientes & populi per nomen Dei intelligunt primum Ens, omnium Dominum, & ſummum mundi Rectorem, primum principium, & vltimum finem creaturarum, cui ideo cultum diuinum exhibent per actus Religionis.

3. Circà nomen Dei tria ſunt aduotanda. Primum, apud omnes gentes nullum eſſe proprium nomen Dei; ſed eas ad exprimendam diuinam naturam, ſolitas vti aliquo nomine quandam eius perfectionem ſignificante; quia ratio naturalis docet nos nullum poſſe dari nomen, quod Dei perfectiones omnes exprimat: hinc apud veteres Deus vocatur *Anonymos*, & *Myrionymos*, nullum habens nomen, & mille habens nomina, & benè Seneca lib. 4. de beneficiis. *Tot*, inquit, *appellationes eius quot munera*; v. gratiâ, in lege naturæ, ante corruptionem idololatriæ, adorabant Dei æternitatem in Saturno, qui dicitur deorum Pater, prouidentiam in Ioue, potentiam in Marte, claritatem in Apolline, ſcientiæ profunditatem in Mercurio, pulchritudinem in Venere, fœcunditatem in Cupidine, creationem in Pan & Natura; quia ex Deo omnia nata ſunt, in Sole communicationem, prædeſtinationem in Fato, iuſtitiam in Ioue Fulmineo, in Plutone, & in Dite, immaterialitatem in ſpiritu, ſimplicitatem in vnitate principij & finis; omnium rationem in centro; infinitatem & immenſitatem in circulo, intelligentiam in mente, &c.

4. Secundum. Nomen Dei apud omnes ferè gentes eſſe quadriliterum, non ſine myſterio, de quo inferiùs, v. g. apud Hebræos אלוה *Eloha*. אדני *Adonai*. יהוה *Iehoua*. Apud Syrios, *Aloha*; apud Perſas, *Zuri*; apud Chinenſes, vel Sinas, *Xant*, Græcè, θεὸς. Latinè, *Deus*. Gallicè, *Dieu*. Germanicè, *Goth*. Ægyptiacè *Toud*, apud Magos *Orſi*, Illyricè, *Vogi*, apud Indos *Zimi*, apud Aſſyrios, *Adad*, Italicè *Idio*, Hiſpan. *Dios*.

Digitized by Google

3. Tertium. Nomen Dei sæpè, tàm in lege naturæ, quàm in lege veteri, seu Mosaïca attribui etiam creaturis, iuxtà illud. *Diis non detrahes*, & *Ego dixi dij estis.* Et sæpè Angeli vocantur eodem nomine, quo ipse Deus; non ergo mirum est si apud veteres de diis fiat mentio, nilque id obstat, quin sit vnicus Deus Deorum. *Etiam Deos dijudicans*; vt inferiùs probabo.

Exod. 22. v. 28. Ps. 81. v. 6. Ps. 49. v. 1. Ps. 81. v. 1.

CAPVT II.

De nomine Dei apud Sinas, Tunchinenses, & alios Orientales, eiusque incomprehensibilitate.

1. DE *summo ac primo rerum omnium authore*, inquit Martinius Sinicæ Hist. *apud Sinas mirum est silentium, quippe in tam copiosa lingua, ne nomen quidem Deus habet; sæpè tamen vtuntur voce Xanthi, quâ summum cæli terræque Gubernatorem indigitant.* Illud commune cum cæteris nationibus habuerunt Sinæ, Dei incomprehensibilitatem agnoscere; & ideò nullum proprium nomen ei dederunt; sicut nec sancti Patriarchæ: vnde etiam Deus aït Moysi. *Nomen meum non indicaui eis; Deus enim posuit tenebras latibulum suum. Et lucem habitat inaccessibilem.* Quam veritatem confessi sunt Ægyptij per Harpocratem digito super os imposito, Græci per Sigalionem, Romani per Agenoram, Athenienses & Galli per altaria *ignoto Deo dicata.* Et omnes ferè nationes per sacrificia in medio fyluarum silentio antiquitùs oblata, & per incensi fumum odoriferum: hinc Euclidius optimè aït; *cætera quidem nescio, illud scio quod dij odere curiosos, credi volunt, non agnosci*; & Seneca, *quid sit hoc sine quo nihil est, scire non possumus.*

Lib. 1. Exod. 6. v. 3. Psal. 7. v. 12. 1. Tim. 6. 16. Act. 17. 23. Lib. 7. qu. nat. cap. 30.

2. Quid autem significet nomen *Xangti* Deo ac-

commodatum, videndum eſt. Martinius ait ſignificare ſupremum Imperatorem, fortè habet etymologiam à *Sang*, quod linguâ Tunchinenſi ſignificat claritatem, & *Tai* quod ſignificat Sum, es, eſt. Hinc verbum *Xangti*, eſt quaſi claritas ſubſiſtens, forte ab Hebræo שעה *Sanghah* aſpicere, & in prima perſona præteriti *Sangti*, aſpexi; vel vt nomen cum affixo, aſpector meus, vel etiam à סעד *Sanghad*, *Sanghatti*, firmaui: veteres etiam colebant nympham quandam marinam nomine Xanthe, quam dicebant poëtæ filiam Oceani, & Tethios ſororis Saturni; vnde etiam Xanthus, qui ex Auguſtino Rex Cretenſis circa annum mundi 2620. vixit, quem Euſebius vocat Aſterium, cognominatus fuit Iupiter.

3. Tunchinenſes vocant cæli dominum *Muc mei* quod ſignificat, oculum; quia veteres per oculum diuinam prouidentiam exprimebant: Hebraïcè verò, medullam, & quis ipſe, quia Deus eſt quaſi medulla omnium entium, & ipſe eſt primum ens apud omnes admirabile: eundem etiam vocant, *Nguc Hoang*. quod linguâ Tunchinenſi ſignificat, Regem cœli, & inferorum; Hebraïcè verò, quetem eius, qui ſibi ſufficit; ſicut *Saddai* vnum ex præcipuis 12. Dei nominibus ſignificat, ſibi ſufficiens, & ſummè immobilis ac immutabilis; licet omnia mutet & moueat, iuxta illud Boëtij.

Stabiliſque manens, das cuncta moueri.

4. Aſſyrij vocant Deum, *Adad*, quod ſignificat vnum propter diuinam vnitatem; hinc Syrij, ſeu Phœnices, & Bananæi *Adodum* dicebant Regem Deorum.

5. Perſæ Deum vocant, *Zuri*, ab Hebræo, שור *ſur*, principatum habere, vnde *Zuri*, Dominus, vel Princeps meus, vel à שור *Schur* proſpicere, *Zuri* proſpector meus. *Schour* etiam ſignificat canere & laudare; quia laudamus Deum per nomen eius.

6. Ægyptij vocant Deum, *Thaud*, & *Kneph*. *Toud* quidem ab Hebr. *Thau* signum; quia nomen significat naturam rei, addito, d. quæ cum sit quarta littera alphabeti, quartum numerum significat, qui est primus numerus creaturarum sequens immediatè ternarium, qui ab omnibus Deo tribuitur; vnde omnes Rabini nomen Dei quadriliterum dixerunt esse primam creaturarum; *Thaud*, vel *Thau*, linguâ Ægyptiacâ significat primum & infinitum ens; קנף *Kneph* autem ab Hebræo *Kanap*, quod significat alam, & oram vestimenti, ac finem & extremitatem, vocatur; quia Dei nomen est quasi ala, per quam eius cognitio volitat vbique, est etiam quasi ora vestimenti eius, quod est abyssus, iuxta illud. *Abyssus sicut vestimentum amictus eius*, ideò nomen eius vix est pronunciabile (vt infra dicam) est quoque Deus extremitas creaturarum, seu principium & finis earum. Ps. 103. v. 6.

7. Chaldæi, Arabes, Turcæ, Tartari, & multi Orientales Deum vocant, *Alloha*, vel *Allah*, vel *Illah*, quæ sunt idem nomen Hebraïcum אלוה *eloha*, quod nomen significat Dominum, quod nomen Cabalistæ dicunt esse nomen Creatoris & Iudicis.

8. Magi vocabant Deum, *Orsi*, ab Hebræo *hor*, mons, ob sublimitatem, & magnam difficultatem accessus; vnde etiam veteres communiter sacrificabant in montibus excelsis, & syluis opacis.

Caput III.

De nomine Dei apud Occidentales populos.

1. EX ipsa Dei nominis etymologia certissimè constat ipsum Dei nostri nomen fuisse magnum in omnibus gentibus, iuxta diuinum Oraculum. *Quam admirabile est nomen tuum Domine in vni-* Psal. 8. v. 1.

uerſa terra : iam vidimus in Oriente præclaros ſui luminis radios emiſiſſe ; ſed non minus populos occidentales illuſtrauit.

2. Perantiqui Occidentis populi ab antiquis Patriarchis orti , & edocti de vera religione fuêre Druidæ, qui Britanniam, Galliam, & Germaniam incoluerunt. Illi vnicum Deum adorabant in ſyluis, quem *Thau* vocabant, quod idem ſignificat in eorum lingua, ac in Ægyptiaca , ſcilicet cæli & terræ Dominum, ens improductum, & omnium entium principium infinitum, de quo capite præcedenti , & plura dicemus inferius, vbi de Incarnatione tractabimus.

3. Germani Deum colebant ſub nomine *Vuod* , vel potius *Godd* à *Goet* , quod ſignificat bonum , quia Deus eſt ipſum bonum per eſſentiam, & *nemo bonus, niſi ſolus Deus*.

Mar. 10. v. 18.

Theutones Deum vocant *Thoth*, vel *Theuth*, quod ex Goropio Becano lib. 1. Gall. & 1 hierogl. & Kirchero in Prodromo exprimit verbum Dei , quod eſt interpres voluntatis eius , ſeu etiam virtutem per quam Deus ſeipſum manifeſtauit, ac ſpiritum omnia permeantem ſub forma T. de quo plura inferius: hunc alij dixerunt eſſe Mercurium , nec ineptè , ſcilicet quoad accommodationem.

4. Veteres Hiſpani Deum colebant ſub nomine πὰν Pan , omne , teſte Petro de amne , in Angelico; quia ab eo ſunt omnia , & in ſe continet omnium entium perfectiones etiam poſſibiles.

5. Græci eundem Deum coluêre ſub nomine *Iao*. Mauri ſub nomine *Iuba*. Romani ſub nomine *Iouis*. Iudæi ſub nomine יהוה *Iehoua*, à quo *Iao* , *Iubæ* , & *Iouis* nomina etymologiam ſumpſerunt , cuius nominis radix eſt *haia*, tertia perſona præteriti, quod verbum ſignificat יהוה fuit, eſt, & erit. Adde quod epitheta quæ addebant Ioui , vero & æterno Deo conueniunt ; nam Iupiter Elleus Thebæorum ſigni-

Digitized by Google

ficat supremum Deum: Iupiter Ammon Libyorum significat Deum absconditum, cui conuenit altare *ignoto Deo*, apud Athenas, & Burdigalos. Iupiter Papæus Romanorum, significat Deorum Patrem optimum, maximum. Act. 17. v. 23.

Græci etiam vocant Deum communiter θεὸν à θεωρέω contemplor; quia seipsum, & omnia in seipso contemplatur.

6. Latini eundem vocant Deum; quod quidem nomen deriuatum putem vel ab hoc vocabulo δέος, quod timorem designat cohærenter. Psal. *Sanctum & terribile nomen eius.* Cui accinit Ouidius. Ps. 110. v. 10.

Primus in orbe Deos fecit timor.

Vel à verbo isto, *Do*, quia Deus Apostolo teste. *Dat omnibus vitam, & inspirationem & omnia.* Act. 17. v. 25.

7. Sclaui, *Buch*, & Poloni *Buog* ab Hebræo בוק *buc* euacuaui, quia vacuus est materia, & infirmitatibus, seu imperfectionibus. *Buc* etiam significat deprædari; quia Deus semper est victor. Ita *vt etiam vincat cum iudicatur*; vnde nemo *restitit ei, & pacem habuit.* Psal. 50. v. 5.

8. Pannoni *Istu* quasi *Istub* ab Hebræo איש טוב *istoub* quodlibet bonum, vel quilibet bonus; quia Deus est bonum omnis boni. Iob 9. v. 4. De adorando Dei nomine apud Iudæos inferius ex professo, plura mysteria reuelantes tractabimus.

Ex his autem quæ apud omnes gentes floruere Dei nominibus colligere est cum sancto Dionysio, Deum ineffabilem designari quidem posse per formas quasdam sensibiles, putà solem, ignem, &c. Sed nullatenus definiri posse. Vnde Seneca, lib. 4. de beneficiis. *Eumdem quem nos Iouem intelligunt custodem, rectorem vniuersi, animum ac spiritum mundani huius operis dominum & artificem, cui omne nomen conuenit.*

Caput IV.

De Dei Exiſtentiâ.

§. I.

Rationes populares, quibus conuincimur, Deum exiſtere.

1. Rectè admodum Lullius Medit. 1. aſſerit creaturas omnes diuinæ feſtum exiſtentiæ continuum agere. Cum enim omnia per Verbum facta ſint, & ſine ipſo factum ſit nihil; neceſſe eſt profectò vt creatura omnis ſuum ſupponat creatorem, nempe Deum, eumque omnibus intonet, velut Echo fideliſſimus dicens *Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.* Adeo vt ſolius inſipientis fuerit *dicere in corde ſuo: Non eſt Deus.* Vnde Tertullianus Apologet. cap. 17. *Hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt.* Prima ergo ſit exiſtentiæ diuinæ ratio.

Pſ. 99. v. 3.
Pſ. 13. v. 1.

Ratio I.

Peti poteſt ex vnanimi populorum conſenſu. Nulla enim gens eſt tam fera, & immanitate barbara, quæ licet ignoret qualem Deum habere ac colere liceat, non tamen habendum neſciat. Id enim omnibus congeneum eſt & inſculpum à natura ipſa, ſeu potiùs ab ipſomet naturæ authore. Inductione autem, ſole clarius eſt, omnes omnino gentes, nationes, & populos ſemper Deum coluiſſe, & adhuc colere, idque vbique terrarum, in Oriente & Occidente, in Meridie & Septentrione.

Quaque patent ortus, & qua fluitantibus vndis,
---Phœbus anhelantes abluit amnis equos.

Quid ergo eſt hoc illo euidentius, quod niſi cogni-

tum, comprehensumque animis haberemus; non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec vna cum sæculis, ætatibusque hominum inueterare potuisset: videmus vanas, & fictas opiniones diuturnitate euanuisse; cultum verò Dei magis ac magis confirmatum, & perfectum; haud dubiè rerum commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat.

RATIO II.

Nititur auctoritate & testimonio veterum, recentiorumque Philosophorum ac sapientium; liquet enim tum ex eorum libris, cùm ex historia cuiusque nationis sub cælo manentis, omnes Patriarchas, & regnorum fundatores, omnes legislatores, omnes sapientes & Philosophos ac Doctores populorum Hebræorum, Caldæorum, Ægyptiorum, Sinensium, Indorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, Gallorum, Hispanorum, &c. omnes iustos, qui piam & sanctam vitam duxere, omnes Prophetas, & illuminatos à natura Deum agnouisse, & coluisse, & pleroſque eorum innumerabiles pro eius confessione mortem & martyrium subijsse. Si ergo eos quorum ingenio & virtute animus excellit, arbitramur, nec immeritò, quia natura optima sint, maximè cernere naturæ vim, procul dubio credendum est; præsertim vbi omnes in hoc vno conueniant. Iam verò quæ impudentia, & stultitia, si vnus aut alter athæus ab omnibus dissentiat? Instar monstri est omnis pars cum suo toto non conueniens, & turpe est vnum ciuem toti ciuitati resistere. Quid ergo si omnibus totius mundi hominibus, ciuitatibus, prouinciis, regnis, imperiis contradicere audeat, totamque humani generis societatem contemnere, perturbare, violare? quale hominis portentum ab omnibus iudicabitur?

RATIO III.

Depromit hanc Tertul. ex testimonio animæ, Apo-

loget. cap. 17. *Vultis*, inquit, *& ex operibus ipſius tot actalibus quibus continemur, quibus ſuſtinemur, quibus oblectamur, etiam quibus exterremur : vltis ex animæ ipſius teſtimonio comprobemus? quæ licet carcere corporis preſſa, licet inſtitutionibus prauis circumſcripta, licet libidinibus & concupiſcentiis euigorata, licet falſis diis exancillata, cum tamen reſipiſcit, vt ex crapula, vt ex aliqua valetudine, & ſanitatem ſuam patitur, Deum nominat hoc ſolo, quia propriè verus hic vnus Deus bonus, & magnus, & quod Deus dederit, omnium vox eſt, iudicem quoque conteſtatur illum, Deus videt & Deo commendo, & Deus mihi reddet: O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ! denique pronuncians hæc non ad Capitolium, ſed ad cælum reſpicit, nouit enim ſedem Dei viui ab illo, & inde deſcendit.*

Cui teſtimonio robur non mediocre addiderit innatus animæ timor Dei, quo veluti flagello pungitur, quoties graue aliquod ſcelus admittit, metuens ſcilicet ne Deus omnium æquiſſimus & oculatiſſimus iudex, debitas de prauis facinoribus pœnas repetat. Hinc Tragicus in Hippolyto. Act. 1.

Negata magnis ſceleribus ſemper fides.
Quid pœna præſens, conſciæ mentis pauor,
Animuſque culpa plenus & ſemet timens?
Scelus aliqua tutum, nulla ſecurum tulit.

Ratio IV.

Petitur ex innumeris propemodum exemplis tum priuatis tum publicis, quibus & mira Dei benignitas in pios Dei cultores effulſit, & tremenda Dei iuſtitia in Atheos, impioſque Dei ac religionis deriſores deſæuiit, ex quibus aliqua, eaque notatu digna habeas velim ob oculos.

1. Lucianus enim Dei, & religionis irriſor, teſte Suida, à canibus deuoratus eſt.

2. Plinius ſenior eiuſdem impietatis reus, flamma Veſuuij combuſtus eſt; ex eodem Suida.

3. Insula Melos ex Cycladibus vnà cum Atheis eam incolentibus, simul absorpta est in inferno suum sinum impiis aperiente, ex Theophrasto, & Simplicio.

4. Glaucus contemptor Dei à iumentis dilaceratus est.

5. Erisicton Thessalus eiusdem farinæ homo propria membra corrodens ab inferno deuoratur.

6. Capaneus derisor Dei fulmine interiit.

7. Phlegyas, Apollinis incenso templo, ad infernum detruditur.

8. Theron citerioris Hispaniæ Rex, templum Gades volens comburere, vnà cum suis nauibus combustus est.

9. Imperatores omnes diris in Christianos supplicijs ferocientes, horrenda, cruentaque nece perierunt.

10. Apud Sinas Kieus impius Imperator Sinarum, Veneri, Baccho, & aliis criminibus indulgens, omnibus odiosus moritur in exilio, Imperio pulsus à subditis, diuinâ vltione ipsum persequente, & in eo prima extinguitur regia prosapia: cui ex opposito succedit Tangus, religiosus in Deum, pius in subditos, & omni virtutum decore illustris, cuius familia regnauit annis 643. non intermissa serie, diuina ipsum, & filios protegente prouidentia, ex Martino Martinio lib. 3. hist. Sin.

11. Vvyeus Imperator Sinensis, sceleſtissimus & sacrilegus, idololatriam inuehere, & Magum quemdam veluti Deum adorari cupiens, venationi incumbens, cælumque sagittis petens stolide, non bruto ictus fulmine ibidem interiit.

12. Chæus quoque Imperator luxuriæ & crudelitati deditissimus, impius in Deum, & homines, diuina eum persequente iustitia victus à Fao, & à suis traditus seipsum viuum exussit cum Palatio ibidem.

Plura diuinæ iuſtitiæ in impios exempla vide in hiſtoria Sinenſi eiuſdem Martinij.

13. His auſim addere, quæ vidi, mortem ſcilicet ſubitaneam, & horrendam multorum impiorum, quos ego ipſe Deo inſpirante ad pœnitentiam reuocare tentaui; ſed fruſtra, quorum vnus (*Giroult* nomine) die ſequenti veſperam, in qua monita mea ſpreuit, aquis ſuffocatus eſt. Alter nomine *Mangais* à propria ſorore occiſus eſt; alij fide abjurata in feſtis Pentecoſtes, anno ſequenti iiſdem feſtis deſperati obiere; alius ab equo, cui inſidebat, in terram projectus, & raptatus interiit: & multi alij, quos breuitatis cauſa omittò.

§. II.

Philoſophicæ Rationes diuinæ Exiſtentiæ.

Ratio I.

PRima ratio ſumitur ex poſſibilitate, ſeu non repugnantia diuinæ exiſtentiæ, hoc modo. Si non repugnat per contradictionem dari primum, & æternum ens, quod vocamus Deum, neceſſariò debet exiſtere; atqui non repugnat, ſed potiùs conuenientiſſimum eſt, quod ſit: ergo neceſſario eſt, ſeu exiſtit. Prima propoſitio clara eſt; quia in æternis idem eſt eſſe, ac poſſe: & confirmatur, quia ſupponitur æternum, ac primum. Ergo à nullo priori poteſt produci. Secunda verò propoſitio eſt euidens; quia hactenus nulla contradictio potuit excogitari contra exiſtentiam primi, & æterni entis, ſeu Dei; ſi enim aliquis opponat quod nihil poteſt eſſe à ſeipſo, vel ſeipſo, reſpondebimus illud eſſe falſum; imò ſi non eſſet aliquod ens æternum, & à ſeipſo, ac omnium creaturarum principium efficiens, ſequeretur ipſum mundum, & omnia entia, quæ videmus, eſſe à ſe-

Digitized by Google

ipsis, quod est impossibile, vt infrà probabimus; ergo Deus qui est primum, & æternum ens, existit.

RATIO II.

Secunda ratio sumitur ex ipso nomine Dei seu primi entis; si enim entia nunc existentia non sunt infinita numero, debemus inter ea primum admittere; atqui nunc non sunt entia numero infinita, alias cum nihil possit addi infinito numero, nullum ens posset de nouo produci. Ergo necessariò datur ens primum, quod vocamus Deum.

RATIO III.

Tertia ratio petitur ex ipsamet existentia necessaria Dei, seu primi entis, necesse enim est inter omnia entia dari vnum necessariò, & essentialiter existens, alias esset contradictio, nempe quod omnia entia ex hypothesi essent producta, & tamen verè non essent producta; quia à nullo essent producta: si autem verè sunt ea quæ videmus, producta, seu educta de possibilitate ad actualem existentiam, cum non possit aliquid à seipso produci, necessariò debent esse producta ab illo summo esse, quod per se existit, nec contineri potest in illo numero productorum; ergo datur necessariò aliquod ens necessariò per se existens, quod omnium aliorum est origo, principium, & causa.

RATIO IV.

Quarta ratio petitur ex ipsamet diuina essentia infinita: datur enim necessariò, & essentialiter existens infinita, ac perfectissima essentia; quia omne finitum, aut minus perfectum necessariò est ab alio, qui perfectionem eius terminauit, scilicet ab ipso infinito esse, quod est origo omnium perfectionum creatarum, quas in se continet modo eminentissimo, & ab iis, quibus creaturæ scatent næuis, repurgato.

RATIO V.

Ratio quinta est confirmatio huius 4. rationis &

Digitized by Google

præcedentium, quam ſic habes in Ioanne Morino lib. de vera cognitione Dei, expreſſam in his Theorematibus.

THEOREMA I.

Ens infinitum eſt id omne, quod eſt, vel eſſe poteſt; alioquin eſſendi limitibus includeretur, & ſic non eſſet infinitum; ergo eminenter continet id omne, quod eſt, vel eſſe poteſt.

2. Ens infinitum eſt purus actus; aliàs eſſet in potentia ad aliquid habendum, quod non haberet; ſicque non eſſet infinitum.

3. Ens infinitum eſt actus infinitus, ſiue omnis actus, qui eſt, vel eſſe poteſt propter ſupradictam rationem.

4. Ens infinitum eſt immutabile; alioquin eſſet in potentia ad id ad quod eſſet mutabile.

5. Ens finitum nequit eſſe ſubjectum infiniti; entis enim finiti, potentia finita eſt tam actiua quàm paſſiua ad actum reducibilis.

6. Non poſſunt eſſe duo entia infinita penitus, quia deberent eſſe diſtincta per aliquam differentiam genericam, vel ſpecificam, vel indiuidualem, aut quamuis alteram: quæ ſi locum haberet in alterutro, neutrum eſſet infinitum.

7. Ens infinitum eſt indiuiſibile: quia non eſt diuiſibile in duo entia infinita; quoniam pars non poteſt eſſe æqualis toti, neque poſſunt eſſe duo infinita, vt probaui, neque etiam poteſt diuidi in duo, vel plura entia finita; quia ex finitis nullum poteſt conſtare infinitum.

8. In infinito nihil eſt priùs, aut poſteriùs; alioquin eſſet diuiſibile in id quod eſt priùs, & in id, quod poſteriùs.

9. Ens infinitum eſt ſimpliciſſimum, aliàs eſſet diuiſibile in ea, ex quibus componeretur; item non poteſt componi ex finitis, quia non facerent infini-

Digitized by

tum; neque ex infinitis, quia partes ſeparatæ æquales eſſent toti; vnde

10. Nullum quovis modo compoſitum poteſt eſſe infinitum.

11. Ens quoque infinitum neque eſt pars, neque totum; quia eſt indiuiſibile & non compoſitum, vnde

12. In infinito quidquid eſt, vel concipi poteſt, eſt infinitum.

13. Entis infiniti ab ente finito diſtantia eſt infinita.

14. Ens infinitum ab ente finito differt ſeipſo; aliàs differentia non eſſet infinita, vel duo eſſent infinita.

15. Nihil poteſt ſeipſo tranſire à nihilo ad eſſe actu; quia quod non eſt, nihil poteſt: & quod iam eſt, non eſt ampliùs ſolùm in potentia ad eſſe id, quod eſt iam actu.

16. Nullum finitum eſt ſeipſo, nec quoad eſſentiam, nec quoad exiſtentiam. Non primum; quia aliàs ſequeretur ipſum ens à ſeipſo limitibus fuiſſe incluſum, vel ſibi limites impoſuiſſe eſſendi hoc, & non aliud: Non etiam ſecundum, alioquin ens finitum eſſet ipſum eſſe, quod ſolum exiſtit ſeipſo, ſicque eſſet infinitum.

17. In entium productionibus non datur circulatio; alioquin idem reſpectu ſui eſſet cauſa efficiens & effectus; v. g. ſi A daret eſſe alteri B, & B alteri C, & C eidem A, ſequeretur A eiuſdem C eſſe cauſam efficientem, & effectum, ſicque priùs eſſe, quàm eſſet.

18. Omne ens finitum habet ſuum eſſe ab ente infinito; nam habet ſuum eſſe ab ipſo eſſe, quod eſt id quo eſt quidquid eſt; at ipſum eſſe eſt infinitum ens; ergo.

19. Mundus hic finitus eſt; nam globus terreſtris non eſt totus mundus, ſed pars mundi, idemque di-

cetur de ſole, luna, aſtris, cælo, &c. ergo mundus eſt aliquod totum ex illis partibus compoſitum; ideoque in illas diuiſibilis eſt, ac proinde non eſt infinitus.

20. Datur à parte rei ens infinitum; quia datur ens finitum, ergo datur ens infinitum, ſeu ipſum eſſe infinitum, à quo illud ens finitum habet eſſe. Theor. 18. Ex dictis etiam conſtat ens illud infinitum. 1. Eſſe ſeipſo, quia eſt ipſum eſſe. 2. Eſſe independens, nam eſt ſeipſo. 3. Eſſe æternum, quia eſt ſeipſo, & indiuiſibile, & ſimpliciſſimum. Vide Theorema 7. 9. 18.

§. III.

Rationes diuinæ Exiſtentiæ ex Raymundo Lullio.

Ratio I.

EX ſummo bono, quod neceſſariò debet exiſtere, ſumitur hoc modo. Si ſummum bonum eſt, ſummum malum non eſt, & è contra; quia duo, & maximè contraria in omni genere non poſſunt eſſe ſumma ſimpliciter: atqui ſummum malum non eſt, alioqui nulla eſſet creatura, eſſet enim ſumma priuatio omnium: ergo ſummum bonum eſt. Deinde: omne illud, cuius præſentia eſt ſummè bona, & ſua abſentia eſt ſummè mala, omne tale eſt neceſſarium, cùm bonum, & eſſe conueniant, & malum, & non eſſe, aliàs non eſſe, & priuatio, eſſent actualiora, meliora, & perfectiora eſſe, & actu, quod eſt contradictio; & quodcumque bonum non ſummum, eſſet melius ſummo bono, vel ſaltem æquale: ſed præſentia ſummi boni, eſt ſummum bonum, & priuatio ſummum malum: nam ſummi boni abſentia eſt ſummè mala; cùm dicat priuationem ſummi boni, & affirmet ſummum malum; ergo ſummum bonum eſſe eſt neceſſarium, imò eſt ſolum neceſſarium,

ceſſarium, cùm ſummum bonum, & ſummum eſſe conueniant, tale autem eſſe ſummum, & ſummum bonum Deus eſt.

RATIO II.

Ex infinita Dei magnitudine, in hunc modum. Omnis res, quantò magis accedit ad eſſe, & plus participat entitatis, tantò maior, & melior eſt: ſed ſi nullum ens eſt infinitè magnum, & omne ens eſt finitè magnum, ens finitè magnum nobilius eſt, quia eſt, quàm ens infinitè magnum, quod ex hypotheſi non eſt, & ſic ſequetur quod quantò res erit magis finita, tantò magis accedet ad eſſe, & maior, & melior erit. Cùm ergo pars ſit magis finita ſuo toto, erit maior, & melior ſuo toto; ergo pars non erit pars, ſed totum; imò totum non erit pars, neque totum, quod eſt contradictio; vnde impoſſibile eſt ens infinitè magnum non eſſe. Sed rem totam ſic conficio.

Ens omne quantò maius eſt, tantò plus de neceſſitate entitatis participat:

Sed ens infinitè magnum exiſtens, maius eſt de neceſſitate ente ficto:

Ergo de neceſſitate plus participat entitatis; cùm ergo ens finitè magnum ſit, ens infinitè magnum eſſe neceſſarium eſt, tale autem ens Deus eſt.

RATIO III.

Ex æternitate ſic. Omnis exiſtentia entis principiati præſupponit de neceſſitate ens æternum non principiatum, quod ſit principium omnium, quæ ſunt producta.

Sed ens principiatum eſt; ergo & æternum.

Alias addit rationes quas iam ſuperiùs attuli.

CAPVT IV.

Aliæ rationes, quæ probant diuinam Existentiam, & simul Dei perfectiones.

RATIO I.

DEpromi potest ex eo quem habet homo appetitu innato ad bonum. Humana voluntas obtento quovis bono finito non expletur, sed aliquid vlterius habet in votis. Ergo aliquod admittendum est bonum, illudque infinitum, in cuius possessione quiescat naturale hominis desiderium, quod non potest esse frustraneum. Atqui bonum istud infinitum aliud esse non potest à Deo : igitur concedenda est Dei existentia.

RATIO II.

Ex immutabilitate sic. Omne mutabile ab aliquo immutabili necessariò dependet, siue efficienter, siue finaliter; non enim potest dari processus in infinitum, quia nunquam finitur, nec circulatio, quâ sequeretur vnum, & idem fieri seipso prius & posterius, quod est contradictorium, & apparet magis contradictio inter entia, quæ nunc existunt.

RATIO III.

Ex æternitate. Necesse est dari ens summè, & essentialiter æternum; si enim omnia quæ sunt, incœperunt, ab aliquo debent sumpsisse originem, & à potentia ad actum fuisse reducta. Item æternitas est fundamentum, & mensura omnis durationis creatæ.

RATIO IV.

Ex perfectione. Quia nihil est magis vel minus perfectum, nisi per respectum ad id quod est maximè & summè perfectum, &c.

Digitized by Google

RATIO V.

Ex ratione Ideæ, seu exemplaris. Quia res non sunt in se completæ, & perfectæ, nisi sint conformes suo exemplari; ergo debet necessariò admitti perfectissimum omnium rerum exemplar continens in se omnium entium perfectiones eminentissimo modo. Illud autem exemplar nobis Deus est: ergo Deus existit.

CAPVT V.

Existentia Dei probatur ex mundi creatione.

QVod colimus nos, ait Tertullianus Apologet. cap. 17. *Deus vnus est, qui totam molem istam cum omni instrumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo iussit, ratione quâ disposuit, virtute quâ potuit, de nihilo expressit, in ornamentum majestatis suæ, vnde & Græci nomen mundo, κόσμον, accommodauerunt.* Certissima hæc est diuinæ existentiæ probatio, mundi scilicet creatio, si enim mundus fuit creatus, ab alio necessariò creatus est. Qui est excelsior cælo, & profundior inferno, Id est æternus, & immensus, & infinitus iuxta prædicta Theoremata Morini. Nec enim à seipso potuit produci, vt probatum fuit. Mundus autem creatus est, vt statim probabo: ergo Deus est eius creator. Iob 11. v. 8.

§.

Quod mundus non fuit ab æterno.

RATIO I.

SVmitur ex vnanimi consensu omnium nationum, populorum, & Philosophorum, excepto Aristotele, cuius rationes vanas refutarunt doctissimi

Eugubinus & Chuſanus. Nec ſolùm mundi originem agnouerunt Occidentales, Meridionales & Septentrionales populi, & Philoſophi, ſed etiam Orientales, præcipuè Sinenſes; vnicum breuitatis causâ afferam teſtimonium Laotani Philoſophi Sinenſis, qui vixit annis ante Chriſtum circiter 606. *Tao* (inquit Martinius lib. 4. Hiſt. Sinenſis) *ſiue magna Ratio non habet nomen, cœlum creauit ac terram, expers figuræ, ſydera mouens, ipſa immota: huius, quia nomen ignoro, Tao, ſine ſummam ſine figura rationem dixerim.*

RATIO II.

Ex omnibus Hiſtoriis, quibus conſtat de origine Regnorum, Monarchiarum, Principatuum, populorum, nationum. Et certè non habentur annales vel hiſtoriæ, niſi à ſex, vel ſeptem circiter annorum millibus.

RATIO III.

Omnium artium inuentio extat ſolùm à ſex annorum millibus, & notantur omnium artium inuentores, qui vt Heroes honorantur.

RATIO IV.

Videmus quotidie mundum ſeneſcere, præcipuè quoad viuentia; ergo iam penitus deſijſſet, ſi ab æterno fuiſſet. Et ſanè quod ſeneſcit nequit eſſe æternum. Porro ex omnibus hiſtoriis primorum ſæculorum conſtat vitam hominum fuiſſe longiorem, quàm nunc eſt.

RATIO V.

Si mundus ex hypotheſi fuiſſet ab æterno, iam eſſent infinitæ animæ rationales, quæ ex ipſo Ariſtotele, & Philoſophis cum corpore non extinguntur; ergo nullus homo poſſet amplius produci; quia infito numero nihil addi poteſt.

RATIO VI.

Mundus non poteſt eſſe à ſeipſo, cùm partibus conſtet, & multis ſubiaceat mutationibus, nec ſit infi-

nitus. Ergo est à Deo, seu ab ipso esse. Ergo etiam non ab æterno; cùm res incipiant per vltimum non esse, seu per id instans, in quo habent possibilitatem ad esse.

Caput VI.

De diuina Prouidentia omnia gubernante.

Ratio I.

PRima ratio quâ diuina probatur Prouidentia, petitur ex ordine creaturarum, & dispositione, & motu cœlorum. *Quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum* (inquit Cicero) *cùm cœlum suspeximus cœlestiaque contemplati sumus, quàm aliquod esse numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? vnde quicumque intuebitur vniuersi elegantiam, aptissimamque eius dispositionem, æquabilem, ac continuum cœlestium orbium motum, admirabilem progressum, & regressum planetarum, omnium creaturarum œconomiam, viuentium corporum, præcipuè hominum symmetriam, humorum & qualitatum temperaturam, harmoniam elementorum, & discordem concentum oppositorum entium, & alia id genus propemodum infinita miro ordine dispositæ, & mediis in præliis conseruata, fateri cogetur hæc non casu, nec fortuitò creata, ordinata, conseruata, & mota; sed potius ab infinito quodam & summo Authore, & gubernatore sapientissimo directa esse; nam quo pacto* (inquit Aristoteles) *ordo erit non existente aliquo, & perpetuo separato, & permanente summo moderatore?*

Ratio II.

Quâ constat diuinæ Prouidentiæ omnia subiecta necessariò, & per eam directa, sumitur ex vnanimi Philosophorum, sapientum, & populorum consensu.

RATIO III.

Sic à Morino infertur Theor. 36. Mundus iſte, & ſingula in ipſo entia reguntur prouidentia entis infiniti; cum enim ens infinitum ſit huius mundi, & ſingulorum in illo entium productorum cauſa efficiens immediata, omnis autem cauſa efficiens agat propter finem, maximè ipſum ens infinitum, quod eſt ſapientia infinita, agit propter finem. Ergo ens infinitum, mundum ipſum, & ſingula entia finita in finem à ſe intentum in eorum productione, per media congruentia ordinauit: quod eſt prouidere, ſeu prouidentiâ regere.

RATIO IV.

Videmus omnibus animalibus ineſſe prouidentiam, quippe bruta ſuis fœtibus prouident, Parentes liberis, Pater-familias-familiæ, Rex ſuo regno. Ergo hæc prouidentia finita, eſt ab ente infinito, ideóque ipſum ens infinitum eſt, non tantùm prouidum, ſed potius iuxta prædicta Theoremata eſt prouidentia infinita, ſeu extenſa ad quodlibet ens finitum.

RATIO V.

Ens finitum ab infinito productum continuò producitur, vel conſeruatur; nam cùm producatur per actum voluntatis entis infiniti, eatenus eſt, ſeu manet in eſſe, quatenus hoc eſſe vult ens infinitum; vnde ſi amplius ens infinitum non vellet, ens finitum deſineret eſſe; atqui ille actus voluntatis entis infiniti producentis ens finitum identificatur cum ſapientia infinita, proindéque non temerè, neque fruſtra, ſed in aliquem finem; ergo etiam illud ens finitum continuò ab ente infinito dirigitur in ſuum finem.

Porro huius Prouidentiæ infinitæ triplex munus in hoc mundo deprehenditur.

1. In collocatione ſingulorum entium propriis in locis & ordinibus, 2. In eorumdem conſeruatione.

3. In illorum motione, atque directione in proprium finem, iuxta cujusque naturam. Prouidet ergo vt cauſæ neceſſariæ agant neceſſariò, contingentes contingenter, & liberæ, liberè. Voluit etiam ex ſuis creaturis quaſdam eſſe liberas, hoc eſt, intellectu, & voluntate præditas; ne ipſum ens infinitum inter omnia finita à ſe producta maneret incognitum; ſed ab ipſis ſaltem liberis creaturis, quas hac in parte nobilitauit, ſibique aſſimilauit, per intellectum agnoſceretur omnium rerum principium, medium, ſiue conſeruator, ac prouiſor & finis vltimus: per voluntatem autem ſuper omnia creata coleretur, amaretur, & optaretur, ſicque ipſæ creaturæ liberæ per ſuam ipſi enti infinito aſſimilationem, puritate, iuſtitiâ, charitate, ſanctitate, &c. in illud continuò tenderent, illudque tandem aſſequerentur, eoque fruerentur: creaturæ ſiquidem libertatis compotes, aptæ natæ ſunt quæ verum à falſo, bonum à malo, æquum ab iniuſto diſpeſcant, indeque ſuam ſupra cæteras creaturas eminentiam & prærogatiuam inferentes, gratum de tanto, quo præ cæteris deuinctæ ſunt beneficio animum creatori iugiter atque prouiſori optimo teſtentur, diuinis eiuſdem legibus ſpontanee obtemperando, ſicut egregie monet Seneca. Epiſt. 107. *Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis, & Deum, quo auctore cuncta proueniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur.*

Duc me parens, celſique dominator poli
Quocumque placuit, nulla parendi mora eſt,
Aſſum impiger.

Cui concinit Tragicus in Oedipo. Act. 5.

Quidquid patimur mortale genus,
Quidquid facimus, venit ex alto,
Omnia certo tramite vadunt:
Primuſque dies dedit extremum.

CAPVT VII.

Diuina Exiſtentia, & Prouidentia Numinis probantur, & confirmantur ex abſurdis, quæ ſequerentur ex non exiſtentia Diuinæ Prouidentiæ.

SI nullus eſſet Deus, nullaque prouidentia, multa ſequerentur abſurda, & ab omni ratione aliena; ex Leſſio de Prouidentia Numinis. cap. 2. imo penitus impoſſibilia, quæ clarè conuincunt illud nullo modo poſſe ſtatui.

1. Sequitur via aperta ad omnem impuritatem, iniquitatem, iniuſtitiam, ſuperbiam, tyrannidem, perfidiam, periuria, & omnia ſcelerum genera; nihil eſt enim tam immane, vel iniquum, quod metu numinis ſublato, mens humana non poſſit aggredi. Ecce fructus illius doctrinæ Atheorum, & illius fictitiæ veritatis.

2. Sequitur id, quod eſt falſum, & merè fictitium, ſeu Chymera, ex hypotheſi, nempe perſuaſionem Numinis, eiuſque timorem, & amorem eſſe cauſam omnis pietatis, iuſtitiæ, modeſtiæ, bonitatis, patientiæ, omnis denique virtutis, inſuper & pacis, ac tranquillitatis in republica, & omnis boni in genere humano; at cuius amentiæ eſt credere falſo, & impoſſibili figmento tantam ineſſe vim ad omnem virtutem, ſolidæ autem veritati tantam ineſſe illecebram ad omne flagitium, & perniciem vniuerſi? Atqui, ſi non eſt Deus ex hypotheſi, veritas eſt ſolida, ipſum Deum non eſſe, & erit mera Chymæra Deum eſſe.

3. Sequitur ſummam, & veram ſapientiam extinguere omnem virtutem, & homines peſſimos effice-

Digitized by Google

re ; ſummum verò errorem , & amentiam excitare ad omnem virtutem , & homines efficere optimos ; ſi enim nullum eſt Numen , ſummus error , & amentia eſt certò credere eſſe numen , & prouidentiam ; ſumma verò ſapientia credere hæc nihil eſſe , niſi hominum figmenta. Item ſequitur veritatem , & ſapientiam eſſe homini , & reipublicæ perniciosam , errorem verò maxime ſalutarem , & ſic maxime promouendum, tanquam boni fontem : è contra veritatem, & ſapientiam eſſe maximè occultandam tanquam venenum animorum , & omnis Reipublicæ , &c. quæ omnia plena ſunt furoris , & amentiæ.

4. Sequitur omnes , qui ſapientia, vitæ ſanctitate, miraculis , prophetico ſpiritu maximè vnquam fuere illuſtres , deceptos fuiſſe in re maximi momenti ; hi enim omnes diuinam prouidentiam venerati ſunt : qui verò impietate , vitæ turpitudine , & omni ſcelerum immanitate fuere infames, eos ſolos arcanum hoc deprehendiſſe, nempe atheos; omnium ergo mortalium peſſimi fuerunt ſapientiſſimi , omnium verò optimi inſipientiſſimi , & tenebris ignorantiæ obſiti.

5. Sequitur, amare Deum , timere vindictam , offerre ſacrificia , orare numen , hymnis illud celebrare , ſeruare iuſiurandum non eſſe bona ; ſed inania, ſtulta, impia , & rectæ rationi aduerſa , non ſecus ac amare , aut colere Chymeram.

6. Sequitur eſſe impium , ſacrilegum , blaſphemum , &c. non eſſe malum , nec rectæ rationi aduerſum , ſed potius hæc eſſe bona , & laude digna ; ſicut contemptus vani Numinis laudabilis eſt.

7. Sequitur mundum eſſe inſtar nauis in ſalo fluctuantis ſine gubernaculo , & gubernatore , vel inſtar Reipublicæ ſine principe , ſine lege , ſine iudice , ſine rectore , & curatore boni publici : ſi ita eſt, quomodo mundus poteſt ſubſiſtere ? præſertim cum rebus contrariis, diſparibus , & pugnantibus conſtet.

8. Sequitur hoc vniuerſum, & partium eius formationem, ac diſpoſitionem, caſu extitiſſe, & in hanc formam, ac ſpeciem coaluiſſe. Quomodo autem, quod ſumma ratione conſtat, caſu fieri potuit? quis credat perfectiſſimum palatium omnibus numeris completum, ornatum figuris, delitiis affluens omnibus, ex caſu & colliſione lapidum ita coaluiſſe? vel perfectiſſimam picturæ tabellam formatam caſu atramenti, vel picturæ in eam decidentis? Soli profecto væcordes ſtultique homines iis poſſunt deliriis aſſentiri, vel potius dementari.

Caput VIII.

Soluuntur obiectiones Atheorum, & Politicorum.

Obiectio I.

ETſi prouidentia Numinis ita clara ſit, & euidens; tamen quidam inter homines tantis ignorantiæ, & paſſionum, criminumque tenebris obcæcantur, vt eam negent, & plura contra eius veritatem objiciant; nam primò ſic argumentantur. Cum ad prouidentiam gubernantis pertineat improbos coërcere & punire, probos verò tueri & remunerare: cur in hoc mundo improbitas ſic inualeſcit aduerſus innocentiam?

Responsio.

Reſpondeo quod, ſicut duplex eſt finis: alter ad hanc vitam temporalem pertinens, nempe tranquillitas Reipublicæ, alter ad futuram, nimirum futura gloria æterna in cœlis; ita quoque duplex eſt prouidentia, vna politica ad finem temporalem, altera diuina ad finem æternum, & vltimum. Iam verò prouidentia politica debet quidem improbos coërcere, & tueri probos, quando vtrumque non nocet fini

vltimo & æterno: prouidentia verò diuina multis de cauſis debet aliquando ſinere improbos dominari, & probos affligi. 1. vt ſponte ad virtutem feramur, non amara neceſſitate compulſi; nam vera virtus non pœnæ formidine, ſed honeſti amore officium præſtat. 2 præmij æterni dignitas abundè ſufficit: imo diuina bonitas & communicatio ſatis iuſtos mouent ad virtutis exercitium. 3. Pariter æterna ſupplicia abundè ſatis ſunt ad animos hominum ab omnibus flagitiis deterrendos: vnde ſufficit ad prouidentiam firmandam, quod promittat præmia, & minetur ſupplicia in æternum. 4. Si prouidentia diuina ſemper pro meritis in hac vita flagitia plecteret, breui mundus foret exhauſtus; vnde & pauciſſimi eſſent virtutis cultores, & peccatoribus non daretur locus, aut tempus pœnitentiæ. 5. Ideo impij manere ſinuntur vel vt conuertantur, vel vt per eos iuſti purgentur & exerceantur. Aug. in Pſal. 34. 6. Per hoc apparet diuina benignitas in tolerando, & expectando impios ad pœnitentiam. 7. Tempus præſens eſt tempus militiæ, & laboris, & purgationis, in quo iuſti agonizantur pro Deo, & ſalute propria. 8. Ex hoc diſcimus quanta ſint præmia, vel ſupplicia æterna, & quàm modica ſint omnia temporalia, quæ bonis & malis ſunt communia.

Obiectio II.

Dicunt cuique ſua ferè negotia ſuccedere pro ratione induſtriæ, quam adhibet, non pro ratione iuris.

Responsio.

Cui obiectioni ex iam dictis reſpondetur, ſupremam prouidentiam permittere vt hoc tempore ſic fiat communiter prædictis rationibus; quia hæc vita præſens nobis conceditur ad meritum vitæ æternæ.

Obiectio III.

Addunt omnia ſemper eodem modo procedere, eundemque curſum tenere, &c. Eccl. c. 1. v. 9.

RESPONSIO.

Respondeo 1. opus naturæ, & ipsum eius constantem ordinem potius esse probationem diuinæ prouidentiæ, cum ex Philosophis, illa sint opera intelligentiæ, & rationis supremæ. 2. Multas ab origine mundi rerum vicissitudines, & plurima portenta, ac etiam diuinæ iustitiæ miracula præcipuè in impios, quæ in omnibus historiis notantur, nobis diuinam illam prouidentiam singulariter commendare, & indigitare.

OBIECTIO IV.

Indignum Deo putant rebus humanis se immiscere, & ad tam vilia & minuta sese deprimere.

RESPONSIO.

Respondeo diuinam illam etiam circa viliſſimas creaturas prouidentiam, nobis innuere potius diuinam, & paternam bonitatem, quæ conditas fouet regitque creaturas sine vllo æternæ quietis ac felicitatis dispendio, iuxta id. *Quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* Sap. 6. v. 8. *Portansque omnia verbo virtutis suæ.* Heb. 1. v. 3. Sicut nec indignum est Imperatore subditorum omnium saluti inuigilare, nec aliquem etiam paupertimum sibi subditum negligere, sed vnicuique reddere iustitiam sine vlla personarum acceptione. Hinc veteres Deum prouidum exprimebant per oculum in summitate sceptri. Et Sinenses vt iam notaui, Deum vocant *Xangti*, quod significat claritatem summi & primi entis, & linguâ Hebraïcâ, aspectorem meum. Tunchinenses quoque Deum vocant *Mucmoi*, quod significat oculum; Deus enim totus est mens, & totus oculus; vt dicebant veteres, & totus spiritus, qui intus alit omnia, Virgil. 6. Æneid.

——totamque infusa per artus
Mens agitat molem——

Digitized by Google

Caput IX.

De vnitate & singularitate Dei, seu primi Entis contra Idololatras.

VNitas ita Deo essentialis est, vt non possit ab eo tolli; quia Deus est ipsum esse, essentialiter per se existens, & origo omnis esse creati & participati; hinc Deum vocauerunt veteres ipsam vnitatem, principium scilicet & finem omnis creatæ multitudinis, & sacra Scriptura vocat Deum α, & ω: Et Tunchinenses QA. Quod autem necessariò sit vnus, seu vnicus Deus, ita vt impossibile sit plures Deos esse, sic probo. Apo 1. v. 8.

1. Deus est ens summè bonum, & summum bonum, vt probaui cap. de Existentia Dei. §. 3. Atqui ens summè bonum debet esse ens super omne bonum imaginabile, & debet omne bonum in se continere; ergo impossibile est, esse duo entia summè bona: quia neutrum eorum contineret id, quo ab alio differret.

2. Deus omnium est quæ sunt, vel concipi possunt entium primum & nobilissimum. Ergo vnicum esse necesse est.

3. Deus est origo totius entis, & ipsum esse: ergo vnicus.

4. Deus est infinitus in omnibus; ergo vnicus, vt iam probaui, cap. 3. §. 2. Theor. 1. 6. &c.

5. Deus est omnipotens, aliàs nec esset ipsum esse, nec actus purus, nec infinitus, ergo est necessariò vnicus; si enim essent duo omnipotentes, deberent habere omnipotentiam in se, id est, super se inuicem: vnde neutrum esset omnipotens.

6. Non solùm Deus est primum omnium princi-

pium; ſed etiam finis vltimus; ergo etiam neceſſariò vnicus, aliàs neuter eorum eſſet finis vltimus omnium; quia ad ipſum omnia non referrentur: neque enim poteſt finis vltimus referri ad alium; alioquin non eſſet ipſe finis vltimus.

7. Ex ratione prouidentiæ etiam probatur vnitas Dei, nam vt ait Plato Dial. de regno. *Hic eſt creaturarum finis, vt vnum Regem habeant.* Et Ariſt. Meta. cap. vlt. *Entia nolunt malè gubernari; non enim bonum multorum principatus: vnus princeps eſto.*

Caput X.

Quod omnes Nationes & Philoſophi vbique terrarum agnouerunt, & coluerunt verum & vnicum Deum, quem colunt Chriſtiani ab origine mundi, & per multa ſæculorum interualla.

1. A Mundi creatione ad noſtra vſque ſæcula à ſanctis Patriarchis, à Prophetis, ab Hebræis, Chaldæis, & aliis populis eundem vnicum & verum Deum, qui hodie à Chriſtianis colitur, cognitum & cultum, ſeu adoratum fuiſſe certiſſimè conſtat ex ipſis Dei nominibus apud omnes nationes vſitatis, vt iam notaui cap. 2. Cognouerunt enim & coluerunt Deum Creatorem cæli & terræ, optimum, maximum, Deum Deorum, ſummum mundi Imperatorem, prouidum, bonum, omnia proſpicientem, principium & finem omnium, & ſummum eſſe, &c.

2. De Hebræis nulla eſt dubitatio, cum adhuc vetus Teſtamentum, quod religionem & cultum diuinum præſcribit, extet in manibus omnium.

3. De Aſſyriis hæc Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 23. *Deo quem ſummum, maximumque venerantur, Adad nomen dederunt; eius nominis interpretatio ſonat, vnus.*

Digitized by Google

4. Deus verus à Persis cultus describitur à Zoroastre eorum Mago, seu Rege, & Principe, teste Eusebio lib. 1. de Præp. cap. 7. *Is incorruptibilium primus est, sempiternus, ingenitus, expers partium, sibi ipsi simillimus, & bonorum omnium origo, munera non expectans, optimus, prudentissimus, Pater iuris, sine doctrina iustitiam perdoctus, natura perfectus, sapiens, sacræ naturæ vnicus inuentor.*

5. Licet Ægyptij plerique multos Deos, seu multa idola coluerint, in idololatriam per superstitionem Ariolorum inducti; tamen vnum supremum Deum per multa sæcula adorauêre, quem *Kneph* vocabant, supremum Patrem & Creatorem vniuersi, increatum & immortalem. Illum Thebani vnicum coluerunt, reiectis idolis, ex Euseb. lib. 3. cap. 3. Et Plutar. lib. 1. de Iside.

6. Regina Saba, seu Æthiopiæ, quæ audita fama Salomonis venit in Hierusalem in nomine Domini, satis probat Æthiopes verum Deum coluisse, quem colebant Iudæi, licet non ijsdem cæremoniis. 3. Reg. c. 10. v. 1.

7. Etsi Arabes ob innatam regioni inconstantiam, religionem sæpe mutauerint, semper tamen vnicum Deum coluerunt, iuxta illud eorum Religionis fundamentum, *La, Ilah, Illellah*, non est Deus, nisi vnus.

8. Sinæ vel Sinenses vnicum Deum *Xangti* coluerunt, vsque ad annum post Christum natum sexagesimum quintum, teste Martinio lib. 1. Hist. Sin. quem summum Imperatorem, & omnium opificem dicunt. Vide quæ notaui cap. 2.

9. Druidæ teste Elia Schedio de Diis Germ. verum & vnicum Deum sine vlla imagine, cæli & terræ conditorem, & rectorem colebant, in Gallia & magna Britanniâ sub nomine *Thau*, de quo superius vide quæ dixi cap. 1. & 2. de nomine Dei.

Digitized by Google

Caput XI.

De Diis Gentium, & triplici acceptione & applicatione diuini Nominis.

1. Ne mireris, si diuinum Nomen à veteribus, creaturis tribuatur, cùm sacræ litteræ etiam testentur id nil diuinæ maiestati detrahere; *Etenim ipse Deus deorum Dominus locutus est. Et prohibuit per Moysem diis detrahere. Et per Psalmistam fideles suos vocat Deos, & filios excelsi.* Nec solum Angeli sæpe in sacris paginis vocantur dij, sed etiam homines iuxta illud. *Ecce constitui, Deum Pharaonis,* &c. *Tribus igitur modis* (inquit Clemens Rom. lib. 2. Recogn.) *Deus aliquis dicitur in Scriptura sancta. 1. Per naturam, Deus scilicet optimus maximus. 2. Per commissionem, seu officium, vt Angelus. 3. Per gratiam vt iustus, & sanctus, quia ex D. Petro per hanc diuinæ quodammodo fit consors naturæ.*

Ps. 49. Exod. 2. Ps. 81. Exod. 7.

2. Theologia gentium eâdem triplici acceptione vsa est nomine Dei iuxta Eusebium lib. 1. cap. 6. de Præp. Euang. Sibi enim proponebant sapientes Gentium vnum supremum Numen: deinde Deos immortales, scilicet Angelos, seu Genios: tum Deos mortales, nempe Heroas; hinc diuersimode tractatur à Poëtis, à Philosophis & à sacerdotibus. Nam Poëtæ in sensu mystico contemplantur diuina, & ea per parabolas exprimunt: Philosophi Angelos in Astris locant, tanquam eorum motores: sacerdotes verò, quia cum populis conuersabantur, iis proponebant cultum Heroum, & illustrium virorum. Hæc tamen triplex Theologia successu temporum in idololatriam degenerauit, præsertim plebeios apud, vt infra notabo.

3. *Hinc,*

3. *Hinc,* inquit Cusanus lib. 1 De docta ignorantia cap. 27. *ista inter homines differentia fuit, vt omnes Deum vnum maximum, quo maius esse non potest, crederent, quem alij, vt Iudæi & Sisennij, in sua simplicissima vnitate, vt est rerum omnium complicatio, colebant: alij verò in his colebant, vbi explicationem diuinitatis reperiebant. Vnde Pagani Deum respectiuè ad creaturas nominarunt, quæ quidem omnia nomina vnius ineffabilis nominis complicationem explicant. Quia ergo nomen Dei proprium infinitum est; ita infinita nomina talium particularium perfectionum complicat.* Vnde Seneca lib. 4. de beneficiis cap. 7. *Quoties voles tibi aliter hunc rerum omnium authorem compellare, tot appellationes eius possunt esse, quot munera.* Et Augustinus lib. 4. de ciuit. Dei cap. 11. *Ipse Deus in æthere sit Iupiter, ipse in aëre Iuno, in mari Neptunus, in terra Pluto,* &c. *hæc si ita sunt, quid perderent si vnum Deum colerent prudentiore compendio?*

4. Nec solùm diuinum nomen fuit attributum Dei perfectionibus, sed etiam cælestibus Intelligentiis; *nam plerique,* inquit Tertul. Apol. 24. *sic diuinitatem disponunt, vt Imperium summæ dominationis esse penes vnum, officia eius penes multos velint. Vt Plato Iouem magnum in cælo comitatum exercitu describit Deorum pariter & damonum.* Hinc ipsemet Plato 10. de legib. tractat quæstionem, an Intelligentiæ cælestes suis astris sint affixæ, seu vnitæ tanquam animæ corporibus, an tantùm ea moueant, & sint formæ assistentes, non autem informantes? Secundum hoc principium Ægyptij colebant summam Trinitatem, & in Deo verbum, & bonitatem, quibus omnia producit, hancque vocabant Isidem & Osyridem; quibus etiam nominibus solem, & lunam tanquam instrumenta, seu causas secundas diuinæ communicationis appellabant, vt Dei imagines; sic Trismegistus c. 1. Pim. proponit cultum septem Recto-

rum mundi: de quibus etiam fit mentio in Tobia c.12. v.16. Qui ſcilicet aſſiſtunt ante faciem Dei. Sic Plato 8. de legibus, ſtatuit tres cælos, primum Archetypum, & myſticum, in quo præcipuè micant 12. præcipuæ diuinæ perfectiones. 2. Spirituale, in quo dominantur 12. præcipuæ Intelligentiæ, ordinem primi cæli vt dij exequentes: 3. Materiale diuiſum in 12. ſigna, quæ ſunt inſtrumenta, & imagines duorum priorum cælorum: eandem Philoſophiam ſecuti ſunt Sinenſes, qui ſummum Imperatorem omnium colentes; tamen etiam Geniis, & Intelligentiis Dei nomen, cultum verò interiorem primo attribuunt. *Itaque*, inquit Cicero de natura Deorum. *tum illud, quod erat à Deo datum, nomine ipſius Dei nominabant veteres, vt cum fruges Cererem, vinum autem Liberum vocamus: tum autem res ipſa in qua vis ineſt maior, ſic appellatur, vt ea ipſa vis nominetur Deus. Quid ergo opis? quid concordiæ? quid ſalutis, libertatis victoriæ? quarum rerum omnium quia vis inerat talis, vt ſine Deo regi non poſſet, ipſa res Deorum nomen obtinuit.*

5. Tandem etiam ſancti homines, ſeu veteres Patriarchæ in lege naturæ dij vocati ſunt, iuxta illud. Lucæ 10. v. 35. *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra; quia dixi, Dij eſtis? ſi illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, &c.* Idque propter diuinam communicationem & conuerſationem, cuius participes erant ambulantes cum Deo, & coram eo. Nomen autem illud diuinum fuit attributum præcipue tribus hominum generibus. 1. Summis Pontificibus, tanquam primis Dei Vicariis, & ſacris Miniſtris. 2. Perſonis publicis, ſiue Principibus & Iudicibus: vnde אלוים *elohim*, quod eſt vnum de præcipuis Dei nominibus, ſignificat Iudices. 3. Viris ſanctis, & à mundi conuerſatione ſemotis, licet priuatis; hinc etiam Iarchas princeps Bracmanorum in India ab Apollonio Thianeo interrogatus de ſuis diſcipulis, reſpondit teſte Phi-

loſtrato lib. 3. de vita Apollonij opinari ſe Deos eſſe, quoniam viri boni eſſent.

6. Sanctus Cyrillus lib. 9. contra Iulianum, teſtatur Enos Patriarcham primum vocabulo Dei ab iis, qui tunc erant, honoratum fuiſſe ob eius eximiam ſanctitatem & zelum diuinæ gloriæ. Suidas tamen verbo *Seth*, ait prius Dei nomen fuiſſe attributum *Seth*; vnde plures æſtimant filios Dei, de quibus. Gen. 6. fuiſſe filios Seth. De eo, & Sem fit mentio eodemfere ſub titulo. Eccleſ. 49.. Seth & Sem gloriam adeptiſunt, & ſuper omnem animã in origine Adam.

7. Tandem ipſimet ſancti Patriarchæ videntur fuiſſe primi Dij, ſeu Heroës gentium, quorum hiſtoriæ concordant fabulis Poëtarum; nam Adamum coluerunt ſub nomine Saturni, Euam & Abelem ſub nominibus Iſidis & Oſyridis, Henocum ſub nomine Atlantis, Noe ſub nomine Iani, Moyſen ſub nomine Mercurij, Ioſue ſub nomine Bacchi, Samſonem ſub nomine Herculis, Ioſephum Saræ nepotem ſub nomine Serapidis. Vide P. Paſch. Rapin. in Chriſtianiſmo naſcente, tract. 2. cap. 4. & quæ ſuperiùs dixi de nomine Dei cap. 1. & 2.

Caput XII.

De ortu idololatriæ, & Deorum pluralitatis.

1. VAni ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei. Eſt enim fides ſubſtantia rerum ſperandarum, & veræ pietatis. Sublato autem, & euulſo fundamento, neceſſe eſt vt ruat domus ſeu templum pietatis: hinc impietatem, ſeu idololatriam, omnia mala in orbem ſimul inuexiſſe notum eſt. Itaque Sap. 13. Hebr. 11. v. 1.

2. Prima cauſa idololatriæ ex parte hominum, fuit ignorantia, iuxta illud. *Neque operibus attendentes agnouerunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem, aut* Sap. 13.

ſpiritum, aut citatum aërem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem, aut lunam Rectores orbis terrarum Deos putauerunt. Porro ignem vocabant Vulcanum: ſpiritum, ſeu aërem ſuperiorem, Iouem: citatum aërem mediæ & inferioris regionis, Iunonem; gyrum ſtellarum, ſeu Zodiacum, varios Deos ſub iis nominibus, quibus inſigniuntur; nimiam aquam Thetim, & Neptunum; ſolem, Phœbum; lunam, Dianam, &c. Quæ tamen primis temporibus non fuerunt propoſita, vt numina, ſed potius vt imagines Dei, nec cultu latriæ fuerunt adorata; verùm irrepente ſucceſſu temporis ignorantia & ſuperſtitione, pro diis habita fuere à populis.

3. Secunda idololatriæ cauſa fuit immoderata hominum & affectuum inordinatio. Eo namque ipſo quo nimia cuiuſdam teneritudine vel deſiderio tenebantur, diuinos ſtatim honores in ipſum conferebant, quemadmodum egregie notat contextus ſacer.

Sap. 14. v. 15. *Acerbo enim luctu dolens pater, cito ſibi rapti filij fecit imaginem: & illum qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra & ſacrificia.* Vel etiam homines paterno affectui, aut Regibus, aut parentibus deſeruientes, incommunicabile nomen diuinitatis, eorum ſignis, ſeu imaginibus impoſuerunt. Et certè in omnibus hiſtoriis exempla videmus huius cauſæ idololatriæ ex nimio affectu, & dolore erga defunctos: apud Ægyptios Syrophanem filio mortuo ſimulachrum erexiſſe docet Fulgentius: apud Chaldæos Thare patrem Abrahæ filio ſuo Aran defuncto ſtatuam poſuiſſe docent Epiphanius & Suidas: apud Aſſyrios Ninus filius Nembrod, ſeu Beli, defuncto parenti publicam ſtatuam, aras, & templum ſtruxit ex Euſebio & aliis. Mirum eſt apud Sinas quantus defunctorum parentum cultus fuit.

4. Tertia cauſa idololatriæ ex eo proceſſit, quod

homines naturaliter delectentur repræsentationibus, & imaginibus: & ideo rudes cernentes pulchras, & elaboratas imagines hominum, siue parentum siue Principum, &c. quasi ad viuum expressas, diuinum eis cultum impenderunt sicuti habetur eodem c. 14. v. 18. *Prouexit autem ad horum culturam, & hos qui ignorabant, artificis eximia diligentia. Ille enim volens placere illi qui se assumpsit: elaborauit arte sua, vt similitudinem in melius figuraret.*

5. Quarta causa idololatriæ con summatiua fuit ex parte dæmonum, qui se colendos hominibus errantibus, & vitiis deditis exhibuerunt in idolis responsa dando, & quædam mira ac præstigia per Magos sacerdotes suos operando. Vnde Psal. 95. *Omnes dij gentium dæmonia.*

6. Quinta causa idololatriæ fuit ambitio, & tyrannis hominum, vt videmus in Nembrod, quem dicunt fuisse Belum patrem Nini, qui initium dedit regno Babylonico, & Imperio Assyriorum, vt iam notaui. Tunc temporis enim multi depressa sacerdotum dignitate religionem politiæ subjiciendam putauerunt, & vt ipsi diuinos honores consequi possent, Deorum multitudinem statuerunt: nec solùm post mortem inter Deos ambierunt collocari; sed etiam viuentes adorari à subditis concupierunt, ideoque poëtarum fabulas, vel parabolas, vt constantes veritates rudi populo, & superstitioso proposuerunt; in hoc ausu temerario Magorum ope sæpissime vsi. Multa exempla eiusmodi habentur in historia Græca, Romana, Sinensi, ac etiam Sacra, v. g. de Nabuchodonosor, &c.

7. Sexta causa idololatriæ ipsimet Magi fuerunt, cum Magia vera sit idololatria, & dæmonum cultus. Exemplum habes in Simone Mago, qui pro Deo haberi voluit: & Martinius lib. 1. Historiæ Sinensis narrat sub Imperatore *Xaoham* anno ante Christum

circiter 2550. Magum quemdam nomine *Kieulium* plures è Sinenſibus dementaſſe Magicis artibus, & ad idololatriam, ac nefanda ſacrificia adduxiſſe; vnde iratum cœlum magnis in eam gentem cladibus detonuit, regnumque omne concuſſit: & ſub anno ante Chriſtum 1193. ſcribit *Vvyæum* Imperatorem ſceleratiſſimum ab alio Mago deluſum, idololatriam adhuc inuehere in ſuo Imperio tentaſſe, & eum Magum pro Deo haberi, & coli iuſſiſſe: verùm cum ipſe Magus iram in cœlum vertens ipſum ſagittis petiiſſet, è cœlo dum eſſet in venatione, non bruto ictu fulmine ipſe interiit.

Caput XIII.

De creatione ſpiritualium creaturarum, Angelorum ſcilicet & Animarum rationalium.

1. CVm conſtet ex prædictis vnicum ſolum eſſe poſſe Ens ſummum, infinitum, independens, æternum, perfectiſſimum, quod ſit à ſeipſo, imo quod ſit ipſum eſſe & principium ac finis totius entis creati, neceſſariò colligitur omnia ab ipſo eſſe producta, & creata, ac proinde etiam ipſas ſubſtantias ſpiritales, ſiue completas, vt ſunt Angeli, ſiue incompletas vt ſunt animæ hominum, quæ ipſum hominem vnà cum corpore componunt, eſſe ab ipſo ſummo & æterno ente creatas, & in ſuo eſſe ab ipſo ſemper conſeruari, ſicut aliæ creaturæ ab ipſo ſemper conſeruantur.

2. Quia autem quidam dubitarunt de exiſtentia harum ſpiritualium creaturarum, ſicut Sadducæi, & quidam ex Sinenſibus, nil ſibi perſuadentes eſſe, niſi quod cernitur aut tangitur, earum exiſtentia & immutabilitas eſt probanda. Verùm, ne verbis inhæreamus, intendo tantùm probare dari Angelos, ſeu cæleſtes Intelligentias, quas plures vocant Genios vel

ſubſtantias ſeparatas; & animas hominum eſſe immortales, quia eiuſdem ſunt naturæ ſpiritalis, ac ipſi Angeli, licet vtraque hæc ſubſtantia ſit compoſita ex actu & potentia, ac proinde non ſit in ipſo ſummo gradu immaterialitatis, vt ait D. Th. ſicut eſt ipſe Deus.

Quod verè exiſtant Angeli, ſeu ſubſtantiæ ſeparatæ.

3. Tanta eſt naturæ Angelicæ cum natura humana ſympathia & conformitas, vt vix homo ſeipſum nouerit, quin ſimul etiam Angelos agnouerit; nam ſtatim poſt eius creationem, ipſum conuenerunt Angeli, ſiue boni, ſiue mali, & cum eo familiariter conuerſati ſunt: quæ quidem conuerſatio Angelorum & geniorum cum hominibus, apparet in omnibus hiſtoriis ſacris, & prophanis.

4. Conſtat ergo certiſſimè dari, ſeu eſſe Angelos. 1. Ex conſenſu omnium Philoſophorum, & populorum, qui omnes exceptis Sadducæis & Epicureis, eos fatentur eſſe: imo ipſimet homines, & Philoſophi animales, qui videntur eos negare, non tam negant eos exiſtere, quàm eſſe purè ſpiritales; omnes autem fatentur eſſe quaſdam ſubſtantias ſeparatas, & inuiſibiles, quæ præſint cælis, aſtris, elementis, vrbibus, &c. quas alij vocant Angelos, alij ſpiritus, alij dæmones, alij genios, alij Deos immortales ſub ſammo Deo omnium Rectore, & ſupremo Imperatore, &c. Et multis in locis, præcipuè in regno Sinenſi, & aliis Orientalibus, ac etiam in Occidentalibus, eis, populi ſacrificant, eos inuocant, &c.

2. Ex reſponſis Idolorũ, quæ vbique terrarum fuêre audita: hæc enim procedebãt ex ſubſtantiis ſeparatis.

3. Ex Energumenis, ſeu obſeſſis à dæmonibus, quorum res admirandæ in omnibus narrantur hiſtoriis.

4. Ex magicis artibus, quæ vbique cernuntur cum horrore, & magna impietate: & certè *Secta* impia

& impura Magorum vbique nota est, & in Sinico Imperio adhuc publicè viget, & defenditur.

5. Ex variis apparitionibus, & Prophetiis, de quibus ita Cicero lib. 2. De natura Deorum, *Deorum cultus in dies existunt majores ; quod præsentiam suam sæpè dij declarant : prædictiones verò, & præsentiones rerum futurarum quid aliud declarant, nisi ea quæ sint. ostendi, monstrari, portendi, prædici? quid aruspicum ars, nonne diuina? Hæc innumerabilia ex eodem genere, qui vident, nonne coguntur confiteri Deos esse?*

6. Ex perfectione mundi: quia sicut sunt quædam creaturæ omnimodè corporeæ; aliæ mixtæ, seu simul corporeæ & intellectuales, qualis est homo: sic necesse est, vt sint etiam aliæ simpliciter intellectuales & spirituales; cum enim necessarium sit vniuersum assimilari Deo, qui est agens per intellectum, & voluntatem, oportuit inter creaturas reperiri quasdam purè intellectuales.

7. Aliam rationem affert Aristoteles ex motu cælestium orbium; *Nec enim*, inquit, *possunt à seipsis moueri ; vnde necesse est vt moueantur à cælestibus Intelligentiis.* Et certè Theologia Arabum apud Georg. Venetum lib. seu tom. 3. cap. 4. De harmonia mundi, non solùm Intelligentias admittit, sed addit, tot in vnoquoque cælorum haberi Intelligentias, *quot numerare* nullus potest, nisi solus Deus iuxta illud Danielis 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Cui Theologia Sinensium concordat; nam ex Pinto cap. 95. Prope vrbem *Mindoo* est templum dicatum *Bigay-petin*, id est, Deo centum, & decem mille Deorum, quem dicunt fortem, & magnum super omnes Deos quos ipse genuit de sub alis suis, sicut etiam Christus se comparat gallinæ, fouenti pullos, quos genuit sub alis. Huc etiam spectat historia *Linago ogeo*, seu Dei mille Deorum, qui victoriam de dracone seu

Matt. 23.

serpente Domus fumi, id est, inferni reportauit, cuius templum famosissimum est in regno *Calaminhan*, prope vrbem Timplam: quod regnum olim sub Sinensi Imperio extitit., de quo consule Fern. Pinto cap. 57. 58. 59. & 60. Quis enim dubitare potest non eandem esse historiam, quam sacræ paginæ referunt de sancto Michaële pugnante cum dracone, & de eo victoriam reportante?

CAPVT XIV.

De immortalitate Animæ rationalis.

1. NOn *vult improbus animam suam immortalem esse* (inquit Heraclitus) *ne ad conspectum illius Iudicis æqui, pœnis torquendus aduenias; itaque seipsum potius morte condemnat.* Verùm cum ex Seneca Ep. 118. multùm dare soleamus præsumptioni hominum: apud nos argumentum veritatis est omnibus ita videri; nam consensus omnium sapientum & populorum, lex naturæ putanda est.

1. Prima ergo ratio petitur ex consensu omnium populorum, nationum, & religionum, quæ ab origine mundi ad hoc vsque tempus extiterunt. *Non enim leue momentum in hoc apud nos*, inquit idem Seneca Ep. 117. *habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium: vtor hac persuasione publica.* Et certè constat ex omnibus historiis hanc esse mentem, non tantùm Occidentalium, sed etiam Orientalium populorum, Sinensium, Iaponum, Persarum, Tartarorum, Ægyptiorum, Æthiopum, &c.

2. Ratio petitur ex intellectione, quæ est operatio principalis animæ rationalis; nam ex Philosopho. *Omne sciens efficitur scitum*, lib. 3. cap. 3. De anima. *Et idem est intellectus cum re intellecta. Atqui anima concipit & intelligit res immortales & spirituales.*

vt Deum, Angelos, numeros, genera, ſpecies, & ipſa æterna; ergo eſt eiuſdem generis. Plato illud confirmat dicens. *Si corporea cognoſcuntur à ſenſibus corporeis, neceſſe eſt vt ſpiritualia & æterna cognoſcantur à facultate ſpiritali, quæ ipſa corpora defæcat, vt ipſa cognoſcat.* Tandem nulla facultas corporea ſupra ſeipſam poteſt ſe eleuare, ſicut intellectus & voluntas.

3. Facultas corporea debet denudari eo, quod habet pro obiecto, v. g. oculus colorum ſpecies non ſuſciperet, ſi ipſe coloratus eſſet: ergo intellectus non eſt corporeus; quia ſubſtantias corporeas cognoſcit.

4. Omnis facultas corporea fit caduca, & debilis in operatione ſucceſſu temporis: intellectus autem nunquam debilitatur per ſe; ſed tantùm per accidens.

5. Si intellectus eſſet materialis, in ſuis operationibus iuuaretur à ſenſibilibus: atqui potius ab iis impeditur, quàm iuuetur. Vnde vt perfectiùs contemplemur, nos ſuſtrahimus à ſenſibilibus: Ergo eſt immaterialis, ac proinde immortalis. Confirmatur quia omnia adiuuantur à ſibi ſimilibus, & impediuntur à contrariis; at nunquam meliùs anima intelligit, quàm cum à corpore velut fit aliena.

6. Facultates ſenſibiles & corporeæ læduntur à vehementia ſuorum obiectorum, v. g. oculus à nimio lumine, &c. Intellectus autem tantùm abeſt, vt lædatur à magnitudine obiecti, quin potius iuuatur & perficitur, ergo eſt ſpiritualis.

7. Ex parte voluntatis, ſi anima eſſet corporea, nunquam reſiſteret voluptatibus corporis; cum ergo quotidie contrarium videamus, ſignum eſt ipſam eſſe incorpoream & immortalem.

8. Omnia appetunt quæ ſibi ſunt ſimilia, & conuenientia: atqui anima appetit iuſtitiam, pietatem,

religionem, & spiritualia, quæ cum materia nullam habent conuenientiam; ergo, &c.

9. Si voluntas humana esset materialis, esset omnimode subdita cœlorum influentiis, vt alia sublunaria: at videmus contrarium; cum quotidie sapiens dominetur astris, & maneat liber mediis in motibus concupiscentiæ, quibus resistit.

10. Nullus est appetitus frustraneus in natura: atqui anima immortalitatem, & famam post mortem appetit, ergo est immortalis.

11. Omnis substantia spiritalis est immortalis. Atqui ex operationibus animæ constat esse spiritalem: ergo, &c.

12. Quod seipsum mouet, semper mouet se, & sic est immortale; atqui anima seipsam mouet, dependenter tamen à Deo; ergo, &c.

13. Omne quod est materiale, habet operationem limitatam, & è contra. Atque animæ operationes sunt illimitatæ: ergo ipsa non est materialis.

14. Anima non est deterioris conditionis, sed melioris, quàm corpus. Atqui corpus manet semper quoad materiam, quæ est incorruptibilis. Ergo etiam anima potiori iure.

15. Omne quod est medium, seu quod participat de perfectiori & imperfectiori, constituitur in perfectiori gradu, quem participat, estque eiusdem naturæ, sicut Zoophytes, & Veticæ sunt animalia. Atqui anima participat gradum spiritalem & intellectualem cum Angelis, &c. ergo est eiusdem conditionis & naturæ: confirmatur, quia differentia essentialis specierum à nobiliori parte sumitur.

16. Sumitur ex libertate animæ; libertas enim est quid diuinum, & supponit deliberationem & ratiocinationem, cui etiam aliquid superaddit excellentius, scilicet proprium sui dominium.

17. Ex dominio animæ in corpus, & in paſſiones; hoc enim indicat eam eſſe ſuprà corpus.

18. Ex appetitione maioris boni, quam corporei, & materialis, & mortis ipſius contemptu; imo & appetitione eiuſdem: nullum enim animal irrationale mortem appetit, aut ſibi infligit, aut etiam concipit ſeu apprehendit; quia mors eſt ſummum malum animalis irrationalis; ſolus homo ſpe majoris boni mortem libenter appetit, & ſuſtinet, idque liberè ſiue pro Deo, pro patria, pro iuſtitia, ſiue etiam pro fama, & ſpe honoris poſt mortem.

19. Ex variis apparitionibus poſt mortem, quæ in omnibus ferè leguntur hiſtoriis ſacris, & prophanis.

20. Ex occulto conſcientiæ flagello, & grauamine propter peccata commiſſa, & communi omnium timore diuinæ iuſtitiæ & diuini iudicij poſt mortem.

21. Ex diuina prouidentia, & iuſtitia, ſeu etiam ex præmio virtuti debito, & pœna vitiis debita; non enim ſemper iuſtis præmium, aut impiis pœna redduntur in hac vita; ergo ſeruantur poſt mortem, vt eſt mens omnium populorum, & ſapientum.

22. Ex eo, quod in hac vita homo non poteſt conſequi ſummum bonum, quod nuſquam inuenit in voluptate corporea.

23, Ex dominio, & excellentia hominis ſuper omnes creaturas corporeas.

24. Ex magna, & propè infinita diſtantia operationum hominis, & belluarum: non loquor de brutis hominibus; ſed de iuſtis, & ſapientibus.

25. Ex eo, quod immortalitas animæ eſt fundamentum omnis religionis, iuſtitiæ, pietatis. Et è contrà

26. Ex abſurdis quæ ſequuntur ex contraria opinione, quæ ferè eadem ſunt, ac illa, quæ ſequuntur ex negatione numinis, quæ potes videre ſuprà cap. 7.

Caput XV.

De diuina omnipotentia in cratione Mundi.

1. EX supra dictis & probatis apparet quanta sit primi & summi entis creatoris, & conseruatoris omnium Dei optimi maximi, virtus & potentia, quæ scilicet omnia de nihilo, seu potius de fœcundissimo sinu immensæ suæ bonitatis, *verbo quo iussit, ratione quâ disposuit, virtute quâ potuit, in ornamentum suæ majestatis prodnxit*, Tertul. Apolog. Hinc Trismegistus in Pymandro vocat mundum Deum, imaginem majoris Dei illi conjunctam, & seruantem voluntatem eius, & ordinem: & Plato in Tymæo *mundus*, inquit, *est corpus sensibile, incorporei & insensibilis Dei filius.* Quibus concordat Philo Iudæus lib. de immensitate Dei, cum ait: *Mundus autem hic immortalis Dei filius, vt pote sensibilis, senior enim hic non traditur; sed intelligitur*; non ergo mirum, si quidam populi, siue Orientales, siue Occidentales ipsum mundum tanquam Dei imaginem coluerunt. *Nam*, inquit, Seneca 2. quæst. cap. 45. *vis Deum mundum vocare? non falleris; ipse enim est totum quod vides, totus operibus suis indutus, & se sustinens vi sua.*

2. Neque his bene intellectis repugnat Scriptura; cum doceat quod ex Deo, & in Deo, & per Deum sint omnia. *In quo scilicet omnes viuimus, & mouemur, & sumus, ipsius enim & genus sumus.* Et vt vno verbo dicam, præcipuè Angeli & homines vocantur mille in locis filij Dei, eiusque imagines; fecit enim Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam. Act. 17. Gen. 1. v. 27.

3. Quis iam non miretur opera Domini, qui totam mundi huius machinam solo voluntatis actu de abysso nihili produxit? *Dixit enim & facta sunt: ipse*

Pſ. 148. *mandauit & creata ſunt.* Hic eſt qui fabricatus eſt
Pſ. 73. cœlos. *Fecit ſolem in poteſtatem diei, lunam &*
Pſ. 135. *ſtellas in poteſtatem noctis. Oſtendit auroræ locum*
Iob. *ſuum, qui menſus eſt pugillo aquas, qui tonat in voce magnitudinis ſuæ, excelſior cælis, & profundior inferis, qui præcipit ſoli, & non oritur, & ſtellas claudit, quaſi ſub ſignaculo, qui graditur ſuper fluctus maris, cui etiam terminos conſtituit.* Ipſe eſt qui appendit terram ſuis innixam ponderibus medio in aëre, *Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant ſimul*, ſed cum ordine decidentes terram fœcundent herbis, floribus, & fructibus innumeris. *Quis ſapiens & intelliget hæc?* vide quanta ſit terræ immenſitas, & vaſtitas ſuper aërem & ſuper aquas fundata: ſuis tamen innixa ponderibus *ſuper ſtabilitatem ſuam* quæ quantò grauior, tantò firmius, in mundi centro conſiſtit.

4. Quod ſi oculos ad ſuperiora eleuas corpora, vnus ſol maior eſt terra centies ſexagies; ſed quot putas ſoles poſſent in cælo ſolis contineri? quid ergo de ſuperioribus ſphæris computandum, aut æſtimandum eſt? quis poteſt concipere motuum cæleſtium & orbium celeritatem incredibilem? quis inueſtigabit numerum, pulchritudinem, & proprietates
Pſ. 110. ſtellarum? verè *Magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates eius.* Sed quid ſi extendas viſum ad prata virentia, & ad innumeram multitudinem herbarum, arborum, plantarum, & contempleris admirandas earum proprietates? quid ſi infinita propemodum animalia aërem, terram, & aquas inhabitantia conſideres, quorum minimum quibuſque ſideribus, cælis, elementis antecellit? Quid, ſi attentè ſpectes eorum corporum ſtructuram, organorum & membrorum varietatem, pulchritudinem, vtilitatem, & admirabilem cuiuſque ſeriem, ſitum & ordinem, necnon proprietates eorum ad victum

quærendum, ad fœtum, & pullos enutriendum, & fouendum, & ad suam defensionem: miram quoque singulorum organorum præcipuè oculorum structuram, & quomodo fiant visio, & aliæ sensationes; quæ tamen omnia reperiuntur in minutissimis, in musca, in aranea, in formica; quænam est potentia Dei, quæ tot, tamque diuersa organa, & membra ex eadem materia efformauit?

5. Sed, quid sunt illa omnia in comparatione ad animas rationales, & ad Angelos? sunt enim ordinis superioris, & intellectualis, & minor est distantia cæli à terra, quàm sit vltimi gradus spiritalis & ordinis à summo gradu omnium perfectissimorum corporum. Hinc apparet quanta sit excellentia, & virtus harum intellectualium creaturarum, quæ omnium corporum, viuentium, & animalium perfectionem, & longè majorem continent, & longè eminentiorem: virtutem autem, & potentiam earum declarant ea omnia, quæ cernuntur in energumenis, in magicis artibus, in oraculis prophanis, quibus scilicet dæmones præsidebant, vt horum mirabilium authores; at iam, si tanti vitreum, quanti margaritum? si tanta est malorum spirituum virtus; quanta erit bonorum, & filiorum Dei? quanta est virtus, & potentia cælestium intelligentiarum, quas docet communis opinio sine vllo labore mouere continuò, & à sex annorum millibus cælestes orbes, ex quibus alia conjicere licet? Admirandæ sanè sunt earum actiones ad extra; sed admirabiliores eæ sunt, quæ interius in iis manent, intellectio, volitio, allocutio, circularis motus, de quibus differere non præsumo, non valeo. Et hæc satis sunt ad Dei potentiam infinitam probandam, quæ omnes creaturas corporeas, & incorporeas solo verbo, seu vnico voluntatis nutu de nihilo, seu potiùs de immenso & fœcundissimo suæ bonitatis sinu eduxit, & conseruat.

CAPVT XVI.

De diuina Sapientiâ.

OPus naturæ, opus eſt intelligentiæ, rationis, & ſapientiæ infinitæ, vt omnes Philoſophi aſſerunt; hinc in Scripturis ſacris Verbum diuinum, per quod facta ſunt omnia, dicitur fons ſapientiæ, in altiſſimis, & ſapientia æterna, & ſuprà cap. 2. &c. notatum fuit, præcipua Dei Creatoris, & moderatoris mundi nomina, apud omnes populos Occidentales, & Orientales, etiam apud Sinas, à ratione, cognitione, ſapientia, & ſcientia ipſius etymum duxiſſe: ideò Deum omnium rerum ideas, ſeu rationes in ſe habere dixerunt Platonici, & alij plerique Philoſophi: *Hæc enim exemplaria rerum omnium*, inquit Seneca Ep. 65. *Deus habet intra ſe, numeroſque vniuerſorum quæ agenda ſunt, & modos mente complectitur.* Plenus his figuris eſt, quas Plato Ideas appellat immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt, ipſa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet, & hominibus laborantibus intereuntibus, illa nihil patitur. *Quia in principio erat Verbum ſeu λόγος. Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, per quod omnia facta ſunt. In ipſo vita erat, & vita erat*
Ioan. 1. *lux hominum.* Vnde ipſæ Ideæ ſunt ipſummet diuinum Verbum, æterna ratio, & ſumma Dei ſapientia, per quam fecit omnia. Quibus conſentit Philo lib. 2. allegor. *Hic eſt liber generationis cæli & terræ.* Librum vocat Dei Verbum, in quo inſcriptæ, inſculptæque habentur cæterarum rerum ſubſtantiæ. Et Laotanus Philoſ. Sinenſis, cum aït: *Tao* ſiue magna ratio cælum creauit ac terram, ſidera mouens, &c.

2. Certè nemo ſanæ mentis compos negare poteſt quin

quin sapientissimus sit cæli & terræ supremus Imperator; sic Deum Sinenses vocant; qui omnia in sapientia fecit, *attingens à fine ad finem fortiter, suauiterque disponens omnia.* Hoc clamat elegantia vniuersi, aptissima eius dispositio & ordinatio, æquabilis & sempiternus cælestium orbium motus, & admirabilis progressus planetarum, omnium causarum connexio: sed præcipuè discors concordia, & concors discordia elementorum, & oppositarum qualitatum, quæ in iis, vt etiam in cælis, & in viuentibus apparent: quæ nisi à summo, & sapientissimo rerum omnium moderatore absolutè regerentur, totum hoc vniuersum pessumdaretur, & in primum chaos citò laberetur, perpetuis inter se dissidentium bellis exturbatum.

3. Hanc eandem sapientiam diuinam clamant virentia prata, & terræ hortus mira tot florum varietate conspersus, & admirabilis spicarum structura: hanc testantur proprietates omnium viuentium, & constructio humani corporis, aliorumque animalium, præsertim minutissimorum, v. g. muscæ, formicæ, &c. in quibus tot sunt sensus, tot organa, tot membra, tam mirando artificio dispositæ, vt materiam superet opus: Ouid. 1. Met. Vnde Prouerb 30. *Quatuor sunt minutissima terræ, & ipsa sunt sapientiora sapientibus:* quia sunt opus immediatum diuinæ infinitæ sapientiæ.

Caput XVII.

De diuina bonitate.

1. *Bonum est sui diffusiuum,* ait sanctus Dionysius, quia sicut proprium est igni calefacere, & soli lucere, ita proprium est bono se communicare; vnde sicut Deus est summum, & infinitum bonum, vt

ſuperiùs probaui cap. 4. eſt etiam ſummè communicatiuus, ſiue ad intra, vt inferiùs probabo, vbi de Trinitate agam, ſiue ad extra; hinc fit, vt amor qui eſt pondus, ſeu actio, vel motus boni, dicatur extaticus, quia amantem extra ſe transfert in amatum; quò fit vt Deus bonus & ſummè amans, quaſi extra ſeipſum videatur transfuſus in creaturas per creationem, per quam impulſus motu amoris eis eſſe participatiuè communicauit, quando ipſas de nihilo earum *verbo quo iuſſit, ratione quâ diſpoſuit, virtute quâ potuit, eduxit.* Tertul. in Apolog.

2. *Hæc fuit omnium mens Philoſophorum; nam cum crearet Deus mundum*, inquit Pherecides apud Platonem, *ſe in amorem transformauit.* Et ipſe Plato in Tymæo, *Dicamus igitur quam ob cauſam ille rerum author generationem & hoc vniuerſum conſtituit. Bonus erat, bonum autem nulla de re inuidia tangitur; cum ergo liuor ab eo alieniſſimus eſſet, omnia ſibi, quantùm fieri poterat, ſimillima fieri voluit.* Triſmegiſtus cap. 4. Pimand. aït bonum in nullo, niſi in Deo eſſe; imo verò ipſum eſſe Deum. Seneca de ira lib. 2. cap. 7. & Ep. 95. aſſerit Deum natura ſua eſſe bonum, nec vlli nocere poſſe, nec aliam cauſam habere, cur benefaciat aliis, quam ſuam naturam: *Hinc antiqui Philoſophi*, inquit Rhodiginus, *bonitatem in centro, pulchritudinem in circulo collocatam tradiderunt, per centrum Deum intelligentes, per circulum mentem, & rationem, vel ſapientiam.*

3. *Dicendum ergo audacter ipſum authorem omnium*, inquit S. Maxim. in cap. 4. De diu. nom. *honeſto bonoque cunctorum amore permotum propter excellentiam amantiſſimæ bonitatis extra ſe affici, creaturis omnibus prouidendo, ac bonitate, dilectione, & amore, quaſi demulceri, nec non in ſuperſubſtantiali extra ſe rapiente, & nunquam deſerente ab eo, quod eſt ab omnibus, & ſuper omnia eleuatum erat, in id deprimi,*

vt in cunctis esset. Ergo hunc Deum summè bonum amemus toto corde, tota anima, tota mente, & totis viribus: in eum amorem nostrum refundamus, vt in pelagus immensum amoris.

CAPVT XVIII.

De diuino & angelico consortio cum hominibus.

1. *Ante creationem mundi Deus seipso summè beatus solus erat*, inquit Tertul. lib. contra Praxeam. *Et ipse sibi, & locus, & mundus, & omnia, seipsum contemplans; & imaginem suam perfectissimam, quam vocamus Verbum, & Filium, generans: seipsum, vt infinitam bonitatem amans, ac ideo spirans suum amorem infinitum, quem vocamus Spiritum sanctum*, vt infra dicam.

Regnabatque potens in majestate creandi,
Et facienda videns, gignendaque mente capaci
Secula despiciens, & quidquid tempora voluunt,
Præsens semper habens, immensum mente beatâ
Regnum erat ipse suum, Claud. v. 1.

2. At verò, postquam ipse sibi palatium, seu tabernaculum sanctum, & scabellum pedum suorum in terra construxit, productis è nihilo creaturis omnibus, siue corporeis, siue incorporeis, voluit cum eis habitare & conuersari, sicut summus Imperator cum subditis, & pater-familias cum filiis, & domesticis suis: *Est enim mundus*, inquit Cicero lib. 2. de natura Deorum. *Deorum hominumque domicilium, proinde rerum omnium opificem, patrem creaturæ suæ iure possumus appellare*, iuxta illud Deut. 32. *Nunquid non est ipse Pater tuus, qui fecit, & creauit te?*

3. Prima itaque conuersatio Dei habetur in cælo cum Angelis, seu cælestibus Intelligentiis, tanquam cum principibus & nobilissimis suis creaturis; nam

vt ait D. Dion. lib. de cæleſti Hier. *Angelus eſt imago Dei, manifeſtatio occulti luminis, ſpeculum clarum, nitidiſſimum, ſplendidiſſimum, immaculatum, ſuſcipiens vt conuenit totam ſpecioſitatem boni-formitatis, & in ſe reſplendere faciens bonitatem ſilentij, quod eſt in abditis.* Vnde & Seneca apud Lactantium lib. 1. cap. 14. *Deus*, inquit, *cum prima fundamenta molis pulcherrimæ iaceret, vt omnia ſub ducibus ſuis irent, quamuis ipſe per totum corpus ſe intenderit, tamen miniſtros regni ſui Deos genuit*, &c. Illos itaque Angelos, ſeu ſpiritus cæleſtes vocat cum Scriptura Deos, ob diuinam imaginem, & ſimilitudinem: & Dei miniſtros, quia aſſiſtunt ei ſemper: & nuncios, ſeu Angelos, quia per eos Deus voluntatem ſuam indicat hominibus.

4. Angeli ergo cum Deo conuerſantur, & Deus cum ipſis; ab eo lumen & amorem accipiunt; ei verò, honorem, amorem, & obedientiam reddunt; eius laudes celebrant, & ab eodem ſuſcipiunt regimen, non tantùm orbium cæleſtium, ſed etiam omnium regnorum, nationum, populorum, & ſingulorum hominum, quorum cuſtodiæ inuigilant; vnde vocantur rectores orbis, & dij penates à veteribus: *Diligunt enim Angeli conciues ſuos*, inquit Auguſt. Sol. 1. 27. *per quos ſuæ ruinæ ſciſſuras reſtaurari expectant.* Hinc Plato in Phœd. & in Theæt. & cap. 10. de legibus. *Mihi*, inquit, *rectè apparet dictum Deos quidem curam habere noſtri; nos verò homines vnam quandam ex poſſeſſionibus eſſe Deorum*; vnde etiam Ammianus lib. 21. ait Pythagoram eorum adminiculis præcipuè enituiſſe, & Socratem, & Numam Pompilium, & ſuperiorem Scipionem, & Marium, atque Octauianum ſimiliter ab ipſis Angelis edoctos fuiſſe, & cum iis conſortium habuiſſe.

Apuleius quoque quantumlibet impius de Deo Socratis ſic loquitur: *Hic profectò cuſtos, ſingularis*

præfectus, domesticus speculator, indiuiduus arbiter, inseparabilis testis, malorum improbator, bonorum probator, si rite animaduertatur, sedulò agnoscatur, religiosè colatur, ita vt à Socrate, iustitia & innocentia cultus est, in rebus incertis prospectator, in dubiis præmonitor, periculosis vitator, egenis opitulator; qui tibi queat, tum somniis, tum signis, tum etiam fortasse coram, cum vsus postulat, mala auerruncare, bona prosperare. Quis non videat hæc optimè conuenire custodi Angelo, de quo etiam ita Trismegistus c. 12. Pim. *Solus ille,* inquit, *mi fili, tanquam ipse pro me genitus Deus:* Et Ascl. 13. *Dij cælestes habitant summa cælestia, vnusquisque ordinem, quem accepit complens, atque custodiens; id verò nostri sigillatim quædam curantes, quædam sortibus, & diuinatione prædicentes, quædam præuidentes, hisque pro modo subuenientes, humana, & quasi amica cognatione auxiliantur;* quæ satis sunt ad probandam traditionem veterum Philosophorum de custodia, & consortio Angelorum cum hominibus, cuius rei plura habes exempla in Scriptura sacra, & prophana, quæ breuitatis causa omitto.

Caput XIX.

De dæmonibus, & peccato Angelorum.

1. Licet apud veteres nomen dæmonis etiam tribuatur bonis Angelis, quia nomen est naturæ intellectualis, quod originem ducit à peritia, & præscientia, quam peccantes Angeli non amiserunt; quò fit vt inter Angelos, alij vocentur Eudæmones, & alij Cacodæmones, id est, beati, & mali dæmones; tamen hoc loco solis cacodæmonibus illud attribuo cum Ecclesia; vnde ergo prodierint videndum est.

2. Hactenus quippe nemo sensu communi præ-

ditus iuit inficias esse in rerum natura bonos & malos Angelos: cum populi omnes siue Orientales, siue Occidentales, Septentrionales & Meridionales eos coluerint, & timuerint, nec vlla sit historia, quæ de iis non faciat mentionem: vide quæ superiùs notaui.

3. Certum est autem in plerisque Angelis malis, seu dæmonibus duo contraria, & maximè oppositа conspici, scilicet miram scientiam secretorum naturæ, & potentiam in agendo non ordinarium, quæ fuerunt in omnium hominum admiratione: & ex opposito malitiam & tyrannidem intolerabilem, quâ homines induxerunt in Dei summi contemptum, in abominationes & immunditias omnes, & in crudelitatem, ac inhumanitatem stupendam, quâ proprios filios, & sibi amicissimos immolabant simulachris, denique in omnia crimina horribilia, quæ in omnibus scribuntur historiis. Cum ergo nullum malum possit produci à summo bono, quod est primum principium totius entis creati, ac proinde Angelorum, necesse est, vt illa Angeli, seu dæmonis depravatio, ab eiusdem libera voluntate peccante, & in quamcumque partem boni, vel mali se inclinante procedat; vnde fatendum est eos diuina iustitia persequente, ob superbiam, quæ est vitium, & peccatum naturæ spiritalis proprium, de cælo in abyssum inferni detrusos fuisse, & ab Angelica dignitate excidisse.

Isa 14. v. 12. Apoc. 12. v. 4.

4. Nec solùm fides hanc veritatem docet in Scripturis sacris; sed etiam ratio præcedens conuincit, & confirmat traditio omnium penè Philosophorum, & populorum, qui eam ab Hebræis, & Chaldæis acceperunt. Nam poëtæ eam tradiderunt sub fabulis gygantum, quos Iupiter iratus cælo expulit; quia tentauerunt eum imperio spoliare, & de throno expellere: atque etiam per casum & conflagrationem Phaëtontis; per Icarum volentem ad cælos volitare, & in mare demersum; per Vulcanum inclusum in

fornace montis Æthnæ, vt fulmina Ioui conderet; quia sæpè dæmones sunt diuinæ iustitiæ ministri.

5. Homerus hanc veritatem secutus describit Athen, vel Athim à Ioue ob superbiam in abyssum præcipitatum. Empedocles apud Plutarchum aït dæmones sibi inuicem bellum intulisse in cælo; quorum pars imbecillior ab alia parte deuicta, cælo pulsa secessit in mundum hunc inferiorem, illum commotura, & multis calamitatibus afflictura: & lib. de Iside apud eundem Ægyptij asserunt cacodæmonem, ac principem dæmoniorum, omnium malorum authorem proscriptum esse in partes Occidentales mundi, cum suis satellitibus. Homer. 7. lib. 19. Pherecides aït dæmonem serpentinum è paradiso pulsum cum suis infernalibus copiis.

6. Persæ asserunt cacodæmonem esse originem pestiferam, vnde effluunt omnia mala huius miseræ vitæ.

7. Sinenses ex Fernande Pinto, & aliis agnoscunt & timent dæmones, ijsque sacrificant, vt non eis noceant.

8. Huc etiam spectat historia serpentis, quem vocant Lictorem voracem domus fumi, quam Pinto refert c. 88. Et simulachra monstrorum, quæ vocant Insuffatores domus fumi, & imagines colubri Ænæi, & Gigantis, de quibus tractat. c. 198. Dicunt enim hunc Lictorem serpentinum domus fumi fuisse Luciferum, dæmonum primum; qui cum fuisset rebellis cum plerisque Angelis è cælo pulsus est, & in domum fumi, infernum relegatus; hunc patrem aliorum dæmonum fingunt, id est, primum, & principem: quæ omnia cum nostra religione concordant. Plura vide inferiùs de peccato originali, & Incarnationis decreto, seu prophetia.

Caput XX.

De secundario opere diuinæ omnipotentiæ, seu de homine, qui est compositus ex anima rationali, & corpore animali: cur anima corpori vnita fuit à Deo?

1. Sicut primum & perfectissimum opus Creatoris est natura Angelica & intellectualis; ita secundum, & verè admirandum est homo, quem Deus paulò minùs ab Angelis minorauit, & constituit super opera manuum suarum. Hunc veteres Philosophi appellarunt adorandum animal, sacrum compositum, naturæ amicissimum, omnium rerum mensuram, templum portatile, Deum sensibilem, entium reconciliationem, sæculorum admirationem, vniuersi magistrum, compendium orbis, ac microcosmum. In ipso enim non tantum ima summis, terrestribus cælestia, iunguntur; sed omnes etiam gradus entis vniuntur; quia possidet esse cum lapidibus, viuere cum plantis, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis, & liberè agere cum Deo; vnde Heraclitus apud Lucianum admirans ait, *eadem res delectatio & tristitia, cognitio & ignorantia, magnum & paruum, sursum & deorsum, homo Deus, mortalis Deus, homo immortalis.*

Psal. 8. v. 6.

2. Cur ergo tale compositum, tam admirandum fecit Deus author naturæ, qui nil agit frustrà, videndum est. Phil. lib. de agric. comparat naturas rationales descendentes in corpora, filiis Iacob descendentibus in Ægyptum, præsertimque sanctissimo eorum Iosepho, quem Deus admirabili prouidentia duxit in hanc confusionis, & tenebrarum terram, tribus de causis. Primò pro gloria regis Ægypti, vt

ſtabiliret imperium, eiuſque authoritatem, & gloriam ampliaret, vniuerſam adminiſtrationem gerens, iuxta illud. *Conſtituit eum rex Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeſſionis ſuæ.* 2. pro bono regni, & ſubditorum, quos erudiuit ſcientia, fide vera inſtruxit; & vera pietate, ac religione perfecit. 3 pro ipſius Ioſeph gloria, & fælicitate, eius coronans patientiam, & innocentiam. Pſ.104.

3. Ita Deus animam rationalem corpori humano iunxit, vt triplici vacaret cultui, ſcilicet ipſius Dei, ipſius mundi, ſuique ipſius iuxta illud. *Poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum.* Vbi notandum eſt cum Pineda lib. 5. de rebus Salomonis, quod illud verbum *Ghabad*, in Hebræo, ſignificat operari ſeruiendo, & miniſtrando tabernaculo ſancto, & altari ſacrificando, vel adorando. *Hinc ſolus homo ex omnibus animalibus*, inquit Plato, in Protagora, *diuinæ ſortis particeps effectus eſt in principio, ſolus ob hanc cognationem Deum eſſe putauit, araſque illi ſtatuaſque dicauit.* Ideò Tertullianus de Reſur. carn. cap. 9. vocat Adamum primum hominem, Religionis diuinæ ſacerdotem: & certè ab ipſo Deo eundem fuiſſe inauguratum in ſacrum miniſtrum colligit Moſes Barcepha lib. de parad. cap. 28. ex Pſalmo 138. *Tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam: hac enim*, inquit, *ceremonia fiebant ſacerdotum conſecrationes.* Genes. 2.

4. Itaque homo creatus eſt vt diuino cultui vacaret, Deum vt primum ſui, & orbis authorem agnoſceret, eique tanquam patri reuerentiam, & amorem, tanquam ſummo Imperatori obedientiam, tanquam primo principio, ac vltimo fini debitum cultum, & ſacrificia offerret. Hinc Triſmegiſtus in Aſcl. cap. 4. *Deus*, inquit, *hominem conformauit ex animi, & corporis, id eſt, ex immortali & terrena natura, vt animal ita conformatum vtrique origini ſuæ ſatisfacere*

Digitized by Google

possit, & mirari, atque orare, cælestia & æterna excolere: atque gubernare terram. & Pimand. cap. 1. *Hominem sibi similem Pater omnium intellectus, vita, & fulgor, existens procreauit, & ei, tanquam filio sua congratulatus est: pulcher enim erat, patrisque sui ferebat imaginem, Deus reuera propria forma delectatus*, &c. Vnde nec mirum si ab eo libenter recipit preces, vota, & sacrificia, cum ex Cicerone 2. de leg. *Ex tot generibus animalium nullum Dei notitiam habeat.*

5. Certè inter entia corporea, & viuentia, & sensitiua, necesse erat aliquod eorum, quod alia in seipso complecteretur, sic à Deo efformari, vt posset omnium nomine, eius primi authoris admirandas perfectiones cognoscere, mirari, & celebrare laudibus, ei cultum debitum reddere, & omnia ad suum principium reuocare; nam, vt ait Proclus de sacr. & mag. *Cuncta Deum precantur, sed alia quidem intellectuali modo, alia rationali, alia naturali.* Et Dionys. *Omnia conuertuntur ad amorem Dei, & appetunt ei assimilari, quod in homine, & per hominem completur perfectissimè.*

6. Nec solùm homo creatus est ad Dei cultum; sed etiam ad mundi ornatum, & regimen totius naturæ inferioris: omnia ideò Deus subiecit sub pedibus
Psal. 8. v. 7. eius, Vt ea dirigat ad Deum, & perficiat: vnde Plotinus de immor. anim. cap. 13. *Omnia complet immortalis exornator per animam immortalem, & certè antè creationem eius*, inquit Ouidius, lib. 1. Meth.

Sanctius his animal mentisque capacius alta,
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.
Natus homo est, siue hunc diuino semine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Siue recens tellus, seductaque nuper ab alto
Æthere cognati retinebat semina cæli.

7. Hinc etiam Plato lib. 1. de leg. vocat hominem

miraculum quoddam diuinum, creaturarum omnium internuntium, ſuperis & inferis familiarem, naturæ interpretem, mundi interſtitium, & copulam, &c. Eſt enim homo vnio ſubſtantiarum ſpiritualium & corporearum, vinculum naturæ diuinæ, Angelicæ, & ſenſibilis, ac nexus, ſeu ſyſteſis amorum cæli & terræ; vnde per eum fit communicatio, & commercium inter cælum, & ſolum; inter Deum, & creaturam; inter creaturam intellectualem, & ſenſibilem.

8. Tandem homo creatus eſt ad ſui ipſius cultum & perfectionem; ideò liber factus eſt, vt per liberam actionem voluntatis, cuſtodiens ordinem ſibi à Deo præſcriptum, & viuens ſecundum ſui inſtitutionem, ſanctis operibus vacans, æternam beatitudinem, ad quam creatus eſt, mereretur adipiſci, & ad ſuum primum principium liberè rediret, ſuam vltimam perfectionem in eo complens, à quo primam duxerat originem: quibus concordant omnium Philoſorum, ſiue Occidentalium, ſiue Orientalium ſententiæ. Breuitatis cauſa vnam Confuſij, inclyti apud Sinenſes Philoſophi ſententiam afferam. *Magna*, inquit Martinius, lib. 4. hiſt. Sinenſis, *ſiue magnorum Virorum doctrina in eo poſita eſt, vt, cùm quiſque ſeipſum perfecerit, alios quoque perficiat, ſic, vt omnes vnum, hoc eſt, ſummum bonum conſequantur: ſed ſui ipſius perfectio in eo conſiſtit, vt quiſque lumen naturale in ſe accendat, clarumque reddat, ita vt à lege naturæ, præceptiſve à natura inſitis, numquam exerret: quod, quia ſine vera rerum cognitione fieri non poteſt, inde Philoſophiæ opera danda eſt, per quam, quæ agenda, quæque fugienda ſunt, ſcientiam habeamus, hac ſcientia conſilia noſtra dirigamus, hac voluntatem, hoc eſt vtriuſque actiones perficiamus, vt nil ſentiamus, nil velimus, niſi quod eſt rationi conſentaneum. Exinde corporis etiam exiſtit, ſenſuumque*

perfectio, in omnibus externis actionibus apta ex virtute constitutio ; quæ nunquam prouentura est, nisi è bona mente, velut è fœcunda terra efflorescat.

Caput XXI.

De peccato Originali, seu prima corruptione naturæ humanæ.

Ps. 48. v. 13. Rom. 5. v. 12. 1. *Homo cum in honore esset, non intellexit, compa-tus est iumentis insipientibus, & similis factus est ipsis.* Hinc *per peccatum mors venit in mundum.* Licet autem cognitio peccati originalis sit inter eos fidei articulos, qui propriè demonstrari nequeunt saltem à priori, tamen multæ possunt afferri rationes à posteriori, quæ illud peccatum probent, illudque reddant non tantum credibile, sed etiam probabile, ac scibile saltem à posteriori.

Ratio I.

2. Prima Ratio existentiæ peccati Originalis sumitur ex defectibus animæ, qui sunt omnibus hominibus communes; certissimum enim est, Deum fecisse hominem rectum, & bonum, vt superiùs probaui, nullumque defectum posse procedere à summo bono, quod est primum ens, & ipsum esse per essentiam. Cùm ergo videamus per experientiam omnes voluntates hominum corruptas esse, & ad malum potiùs quàm ad bonum pronas, eorumque intellectum tenebris obscuratum, & ad veritatem cognoscendam perdifficilem, memoriam quoque labilem, & caducitati obnoxiam, quæ omnia sunt contra ordinem diuinum, & contra rectam rationem, ac naturam intellectualis substantiæ : necesse est ipsam animam rationalem ab ipso eius ortu corruptam fuisse : hanc autem plagam labemque à Deo accipere non

Eccl. 7. v. 30.

potuit immediate : ergo à primis parentibus , qui quidem, cum fuissent creati in recto ordine, & liberi , vt suam beatitudinem liberè possent mereri, mala vitantes , & bona operantes , liberè ab illo ordine recto deuiarunt , & in peccatum ruerunt, sicque originalem iustitiam amiserunt , & omnes ab ipsis genitos corruperunt ; quando enim omnes riuos fontis corruptos videmus , signum est originem eius esse vitiatam. Iuxta illud August. lib. de nupt. & conc. cap. 34. *Natura non solum facta est peccatrix , sed etiam genuit peccatores.* Hæc autem corruptio non potest aliud esse, quam pœna iusti Iudicis Dei in rebelles.

Ratio II.

3. Ex defectibus corporis, qui generaliter in omnibus cernuntur hominibus ; certum est enim hominem inter animalia creatum fuisse nobilissimum, & præstantissimum , idque ordinatissimè , cum animæ eius excellentissimæ debeatur corpus etiam proportionatum, vt formæ materia : contrarium autem in omnibus hominibus videmus , vt inductione patet; ergo omnes hi defectus à vitiata origine , seu à natiuitate procedunt in pœnam Originalis peccati.

Ratio III.

4. Ex morte; nam certum est hominem non esse creatum , nisi ad vitam æternam , quam ideò semper, idque naturaliter appetit. Ergo quod moritur, hoc procedit ex pœna peccati. Rom. 6. v. 23.

Ratio IV.

5. Petitur ex bello interno , & rebellione carnis contra rationem ; non enim hoc agit , quod vult bonum ; sed quod odit malum , hoc facit. Cùm ergo hæc inordinatio non possit esse à summo bono creatore , qui omnia facit in pondere , numero , & mensura. Seu in sapientia , & ordine , & iustitia : necesse est hoc procedere ex peccato Originali. Rom. 7. v. 19. Sap. 11. v. 21.

Digitized by Google

RATIO V.

Pſal. 8. v. 7. Ex rebellione creaturarum in hominem; videmus enim omnes creaturas armatas contra hominem, quæ tamen ei naturaliter ſubiectæ ſunt, & propter eum creatæ ſunt; ergo illud fuit ex pœna rebellionis eiuſdem in ſuum authorem, & in vindictam inobedientiæ primorum parentum.

RATIO VI.

6. Ex eo, quod natura ſuſcipiens augmentum, & decrementum, vehementius operatur in ſtatu augmenti, & magis ſuo contrario reſiſtit: ideò natura humana, quæ eſt creata ad diligendum bonum, & odiendum malum, deberet eſſe magis prona ad bonum, & virtutes, & fortis contra malum, & vitia in ſtatu augmenti ſeu iuuentutis, quàm in ſtatu decrementi, & ſenectutis; ſed contrarium videmus in omnibus hominibus, qui magis ſunt proni in vitia in iuuentute, quàm in ſenectute; cum ergo hoc non in ſit hominibus à naturæ inſtitutione, quia in rectitudine inſtituta eſt, oportet id procedere à natura corrupta, & peruerſa, &c.

RATIO VII.

7. Petitur ex traditione, quæ apparet in omnibus ferè populis, qui ſolent filios recens natos purgare, vel per ignem, vel per aquam, vel per aërem, aut etiam per ſacrificia; verùm de hoc plura inferius, vbi de Baptiſmo: hanc veritatem tenuerunt Hebræi, Chaldæi, Arabes, Iudæi, Æthiopes, Perſæ, & plerique alij populi, & certè Zoroaſter cum ſectariis tenet omnes corporis miſerias à peccato animæ fluere.

Perſæ, teſte Agathia lib. 2. de bello Perſico, celebrabant ſingulis annis feſtum mortis vitiorum: quo durante, ad mortem perſequebantur ſerpentes, iuſtæ iræ illud animal, per quod intrauerat mors ipſa in mundum, ſacrificantes.

8. *Græci in Orgiis Bacchi* ex Clem. Alex. in Prot.

coronati serpentibus vlulabant Euam, Euam illam, per quam error est consecutus: & signum Bacchicorum Orgiorum est serpens mysteriis initiatus. Et Arnobius lib. 5. contra Gentes, testatur deuotos Ioui Sebasio vel Deo sabbaoht, solitos serpentem aureum injicere in suum sinum, & deorsum illum contrahere, vt ostenderent illum naturam corrupisse sua suggestione.

Babilonij ex Poliæno cogebant suas vxores pellem serpentis instar monilium ferre in vindictam, & pœnam complacentiæ primæ erga serpentem, cuius voci complacuit prima mulier Eua.

9. Apud omnes Gentes Idolis seruientes ex Iulio Firmico cap. 2. de errore Proph. Rel. & Aug. tractatu 5. in Ioannem, lignum, seu arbor fuit in honore ex traditione primæ arboris, sub qua Eua fuit corrupta, & præscientia crucis, per quam redempti sunt homines. Certè in solemnitate matris Deorum ferebant pinum arborem, & in ea iuuenem alligatum. In solemnitate Isidis, eius imaginem sepeliebant in abscisso trunco pini. In solemnitate Proserpinæ, imaginem Virginis è ligno sacro confectam cum pompa in vrbem portabant, & interim fiebat luctus per quadraginta noctes, deinde eam comburebant. Imagines Isidis & Osiridis, quæ Euam & Abelem figurabant, in forma serpentis erant, serpentem habentes, vel in capite, vel sub pedibus; & adhuc Romæ cernitur, in Obelisco ex Ægypto delato, homo manibus extensis serpentem pedibus calcans.

10. Sinæ inter Idola celebriora colunt mulierem coronatam, tenentem gladium in manu, & calcantem serpentem; quis negare potest veterem esse traditionem de hac muliere, de qua Gen. 2. *Ipsa conteret caput tuum?* Quam originalis peccati traditionem apud Sinas confirmant tot prodigiosæ imagines serpentum, & gigantis draconem debellantis, & pleraque alia, de quibus confusè Fernandez Pinto.

Obiectio I.

11. Quod autem irrident impij hiſtoriam ſerpentis alloquentis fœminam, & perſuadentis edere de pomo prohibito, ſtultè id faciunt, & ſine cauſa: cùm certum ſit primò dæmonem inuidum eſſe contra hominem, qui eius ſedem in cælo debet occupare. Secundò, ſæpè locutum fuiſſe per Idola, ac etiam per animalia, vt teſtantur hiſtoriæ prophanæ.

Obiectio II.

12. Alij accuſant diuinam iuſtitiam crudelitatis, eo quod ob leue, vt putant, peccatum totam hominum naturam punierit. Quibus reſpondeo 1. grauiſſimum fuiſſe hoc peccatum, quocumque modo ſumatur; & omnia ſimul in ſe peccata continens. 2. Iuſtè omnes homines naſci ſine iuſtitia originali, ac proinde peccato ſubditos ob crimen primi eorum parentis, cui nec ab eo deſcendentibus hæc iuſtitia debebatur.

13. Porrò peccatum illud originale, vt plerique docent, eſt priuatio iuſtitiæ originalis, per quam Deo voluntas ſubdebatur; materialiter verò eſt concupiſcentia, ſeu aliarum animæ virium ad bonum commutabile inordinata conuerſio: & contrahitur ab omnibus ab Adamo deſcendentibus via ordinaria per actum generationis, niſi præueniat Deus aliquem, mirabiliter infundens gratiam ſanctificantem in animam eius, in ipſo inſtanti creationis, & infuſionis ipſius animæ, vt de B. Virgine Deipara infrà dicam.

14. Quod primum illud peccatum fuerit ſuperbiæ, & inobedientiæ crimen, non ſolùm fides ex ſcripturis ſacris docet, iuxta illud Gen. 2. & 3. *De ligno, quod eſt in medio Paradiſi ne comedas*, &c. *Eritis ſicut dij*, &c. *Ecce Adam factus eſt quaſi vnus ex nobis*; ſed etiam traditio iuxta ea quæ iam notaui ſuperiùs: hoc enim indicant Icari, Phaëtontis, & gigantum parabolæ: hoc notant ſerpentum myſteria: & clarè docet Plotinus,

tinus, cum aït principium mali animi eſſe audaciam, & quia voluerunt ſui iuris eſſe, &c.

15. Sinenſes ex Martinio lib. 1. hiſt. Sinenſis, Adamum, ſeu primum hominem vocant *Puuncuum*, id eſt, peccatorem, certè ab Hebræo פוק *pouc*, vel phouc, quod ſignificat offendere, ruere, cadere, educere, & producere, quia Deum offendit, & cecidit ab illo ſtatu eminentiæ & innocentiæ; vnde eductus & expulſus eſt è paradiſo. Linguâ Tunchinenſi, Phu, Chao, ſignificat maritum, fuit enim primus vir, & maritus.

CAPVT XXII.

Quod Deus odit & punit peccata, vt iuſtus omnium iudex.

1. *OMnia nuda & aperta ſunt oculis Dei* Hebr. 4. v. 13. *quia totus mens eſt*, inquit Clemens Alex Hom. 7. *totus lux, totus oculus. Quid enim prodeſt*, inquit Seneca, Ep. 83. *ab homine aliquid eſſe ſecretum? nihil Deo cluſum eſt, intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis interuenit* Vlyſſes & Epictetus. *Nihil eſt*, inquiunt, *quod te, ô Deus, nec in minimo motu lateam, aut fallam; nam ex Herodoto l. 5. cogitare, & facere, idem apud Deum valet.* Hanc veritatem Tangus Imperator Sinenſis optimè nouerat, qui ſtimulis conſcientiæ agitatus in magna ſterilitate & ſiccitate terræ, in qua pluribus mortem fames intulerat, voluit ſe regno abdicare, has preces Deo fundens, ex Martinio lib. 3 Hiſt. Sinenſis. *Inſcitiam meam, aut ſcelus meum, obſecro te, ſupremè cæli Imperator, ne populus luat. Mihi te iratum habeam, modò parcas innocenti: at ſi ego fortè malè meos guberno, ſi domui meæ luxum, ſplendoremque iuſto majorem tolero, ſi adulatoribus, alienamque famam obtrectantibus aurem nimis patientem commodo, meum*

id crimen eſt , me cælum ad pœnas depoſcat. In hunc ferè modum ſexies cæli Dominum obteſtabatur, cum repente ingentibus procellis effuſus imber longè latéque terras ſumma omnium lætitia rigare cœpit.

2. Omnes Philoſophi Deum fatentur ſcelerum vindicem, præcipuè ſuperborum , vnde Seneca in Hercule fur. Act. 2. *Dominare tumidus , ſpiritus altos gere , ſequitur ſuperbos vltor à tergo Deus.* Imo eadem mens eſt, & eadem vox omnium populorum, qui naturâ duce Deum timent, & grauiſſimis conſcientiæ ſtimulis torquentur peccantes ; vnde commune adagium, quod refert Petronius Arbiter, ortum habet, *primus in orbe Deos fecit timor.* Quò fit etiam vt
Prouer. 27. v. 5. ſæpe *fugiat impius nemine perſequente. Hinc* , inquit Pythagoras, *vir iniquus plus mali patitur afflictus conſcientiâ , quàm ille , qui in corpore caſtigatur & flagris cæditur.* Et Plutarchus *facinoroſa conſcientia inſtar vlceris in corpore , pœnitentiam relinquit in anima lancinantem iugiter ac peruellentem , & quaſi mordicus impetentem ſeſe, atque excarnificantem.* Conſule, quæ ſuperius attuli diuinæ iuſtitiæ exempla.

3. Et certè , quod Deus videat peccata , ratio euidens eſt ex ſuperius dictis ; quia totus mens eſt, totus lux , & totus oculus ; eiuſque cognitio eſt infinita ; cum ſit ipſamet eius infinita eſſentia : hinc Pro-
Pſ. 138. v. 1. pheta regius. *Domine* (inquit) *probaſti me , & cognouiſti me. Intellexiſti cogitationes meas de longè , ſemitam meam & funiculum meum inueſtigaſti : & omnes vias meas præuidiſti* , &c.

4. Deus non tantùm videt, ſed etiam odit peccata ; *quis enim,* inquit Lucanus , *læſos impunè putaret eſſe Deos ?* Et Ouidius

Nec ſecura quies illos , ſimiliſque ſopori
Detinet , innocui viuite , numen adeſt.

Imo non poteſt non odiſſe peccata ; quia ſunt 1.° contra naturam. 2. contra rectum rationis ordinem.

3. contra legem eius æternam. 4. contra ſummam & infinitam eius bonitatem.

5. Cum autem ſit Deus iuſtus Iudex, & ſummus Imperator orbis, grauiter punit delinquentes ſiue in præſenti vita, vt multis exemplis probaui, ſiue in futura, vt inferiùs probabo: quia, inquit Tertullianus, lib. 2. de ſpect. *Malitiam exagitatam Deus exactor iuſtitiæ ſuæ odit.* Vnde *iuſtitia*, inquit regius Pſaltes, *& iudicium correctio ſedis eius.* Et, *honor regis iudicium dilligit.* Cui veritati concordant poëtæ, *Scimus enim*, inquit Horatius Car. 4. *vt impios Titanus immanemque turbam fulmine ſuſtulerit caduco.* Et Ouidius 1. Metamorph. Pſ. 96. v. 2. Pſ. 98. v. 3.

Occidit vna domus, ſed non domus vna perire
Digna fuit, qua terra patet, fera regnat Erynnys
In facinus iuraſſe putes: Deus ocyus omnes,
Quas meruere pati, ſic ſtat ſententia pœnas.

6. Ideò Scriptura teſtatur. Quod *ignis antè ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius*, quam quidem praxim Dei voluerunt imitari reges, & tyranni, ſiue apud Perſas, ſiue apud alios populos, qui ſemper optarunt antè ſeipſos ignem præferri à ſatellitibus, cum bellum adirent. Ergo, inquit Virgilius 1. Æneid. Pſal 96. v. 3.

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.

Et Plautus, *Deos maximè æquum eſt metuere.*

CAPVT XXIII.

De iuſtitia diuina apparente in iudicio animæ ſeparatæ à corpore, in quo concordant Fides, Philoſophia, & Traditio.

1. *STatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem iudicium.* Animæ ſcilicet à corpore ſeparatæ, quæ ſtatim ſummo omnium Iudici ſiſtitur iudicanda. Heb. 9. v. 27.

2. Cor. 5. v. 10. Rom. 21. v. 6. *Prout enim quisque fecerit in corpore suo degens bonum, & malum, ita mercedem, vel pœnam recipiet à Domino, sive servus, sive liber; quia reddet iustus Iudex vnicuique secundum opera sua*, idque statim post mortem in ipso aditu vitæ futuræ, in quâ non est vltra tempus merendi vel demerendi: hinc Eccles. 11. *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Et Eccles. 11. *Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ, & in fine hominis denudatio operum illius.*

2. In hoc sane iudicio diuino, in quo conueniunt, vt vidimus superiori capite, omnes nationes, Deus *scrutabitur Ierusalem*, seu animam, *in lucernis, vt manifesta fiant abscondita cordis eius.* Sophon. 1. v. 12. vnde Trismegistus in Asclepio cap. 10.

3. *Audi ergo*, inquit *ô Asclepi, cum fuerit animæ à corpore facta discessio, tunc arbitrium, examenque meriti eius transiliet in summi dæmonis, idest, summæ intelligentiæ potestatem, isque eam, cùm piam, iustamque præuiderit, in suis competentibus locis manere permittet; sin autem delictorum illitam maculis, vitiisque oblitam viderit, desuper ad ima deturbans, procellis, turbinibusque aëris, ignis, & aquæ sæpè discordantibus tradet, atque inter cælum, & terram mundanis fluctibus in diuersa semper æternis pœnis agitata, raptabitur, vt in hoc obsit animæ æternitas, quod sit immortalis sententia æterno iudicio subiugata.*

4. Plato quoque in Gorgia: *Præterea*, inquit, *iudicandi sunt nudi his rebus omnibus, sunt enim iudicandi post obitum; Iudicem quoque ipsum esse nudum oportet, mortuum videlicet, & ipso dumtaxat animo, animum ipsum inspicientem, statim post insperatum cuiusque obitum: animum, inquam, à suis omnibus desertum, omnemque ornatum exteriorem relinquentem in terra, vt iudicium iustè procedat.* Fortè Plato in Scripturis sacris hæc acceperat, vel per traditionem

didicerat. Docet enim ſummum Iudicem omnium fore Meſſiam quem Prophetæ prædixerant moriturum pro redemptione noſtra, cui ideo *data eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Et bene notat in hoc iudicio omnia debere conſiderari, tanquam mortua & nuda, ſiue ex parte defuncti iudicandi, cui ſcilicet omnia mortua ſunt, v.g. dignitates, diuitiæ, voluptates, ſerui, amici, parentes, quia ipſe ſolus ſtabit ad pedes Iudicis iudicandus: ſola opera ſiue bona, ſiue mala, eum comitabuntur, iuxta illud, *Opera enim illorum ſequuntur illos.* Siue etiam ex parte Dei omnia videbuntur mortua, v. g. miſericordia, patientia, benignitas, &c. quia *Iudicium fiet ſine miſericordia ei qui non fecit miſericordiam* ſibi, & proximo. *Miſerere ergo animæ tuæ, ne eam ſinas horrendum Dei iudicium ad mortem æternam ſubire.*

Matth. 28. Apoc. 14. Iac. 2. v. 15. Eccleſ. 30. v. 24.

5. Prudenter ergo diuinum illud iudicium per pœnitentiam præueniamus; ſi enim nos ipſos diiudicaremus, non vtique à Domino (ad malum) diiudicaremur. *In peccatore itaque*, inquit Tertullianus cap. 9. de pœnitentia, *pœnitentia ipſa prônunciet, pro Dei indignatione fungatur, & temporali afflictione æterna ſupplicia non dicam fruſtretur, ſed expungat.*

1. Cor. 11. v. 31.

CAPVT XXIV.

De diuina iuſtitia purgante animam ſeparatam à corpore, ſeu de Purgatorio, in quo concordant Fides, Ratio, & Traditio Philoſophorum contra Atheos & Hæreticos.

1. CVm ex diuinâ Apocalypſi cap. 21. v. 27. nihil coinquinatum introeat in regnum cælorum, neceſſe eſt vt animæ decedentes è corporibus, ſi quæ eis reſtent maculæ, expurgentur priuſquam ad ſuum puriſſimum principium, quod Deus eſt, redeant, ei

1. Cor. 3. perfectiſſimè vniendæ. Itaque vt ait D. Paulus. *Vnius cuiuſque opus manifeſtum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.*

2. Poteſt itaque veritas Purgatorij, & purgationis animæ poſt deceſſum probari, primò ex figuris huius purgationis, quæ habentur in veteri teſtamento. Nam 1. S. Ambroſius in Pſal. 118. & Rup. lib. 3. in Gen. cap. 32. aſſerunt gladium flammeum, quem tenet Cherubim ad portam Paradiſi, eſſe ignem Purgatorij, quo purgari debent animæ, priuſquam illum ingrediantur. Addentes ex Pſal. 65. iuſtos ordinariè tranſire per aquam & ignem, priuſquam habeant refrigerium: per aquam ſcilicet baptiſmatis, & tribulationum in præſenti vita, & per ignem Purgatorij poſt deceſſum.

Secunda figura ignis Purgatorij, Geneſ 19. eſt pluuia ignea, quam Dominus pluere fecit ſuper Sodomam & Gomorrham; nec enim ſolum perdidit impios Sodomitas, flammis addicendo; ſed etiam purgauit plures infantes, qui mortaliter non peccauerant, ſed tantùm venialiter, qui ſcilicet communi remedio legis naturæ à peccato Originali erant iam purgati.

Tertia, ignis ſacrificiorum veterum, cinis vitulæ, qui purgationi inſeruiebat, currus igneus etiam leuans Eliam in paradiſum, ſal quoque Eliſei, quo purgauit aquas Iordanis, & alia id genus ſunt figuræ ignis Purgatorij: quibus addi poſſunt ſacrificium Melchiſedech oblatum in gratiarum actionem pro reportata victoriâ, & in purgationem eorum, qui in bello exciderant: item Aaron cum thuribulo ſtans inter mortuos, & viuentes deprecans Dominum.

3. Eadem veritas Purgatorij probatur ex teſtimo-

3. Reg. 2. v. 6. niis veteris teſtamenti. *Dominus mortificat, & viui-*

ficat, deducit ad inferos & reducit. Quem textum Rabini, præsertim R. Mnahen Razanac in cap. 21. Leuitici, explicant de Purgatorio.

2. In lib. 1. & 2. Reg. Dauid cum principibus suis flet, & ieiunat pro Saule, & Ionatha defunctis, & non pro filio suo paruulo mortuo; illud ergo fecit tanquam opus satisfactorium, quod poterat prodesse ad purgationem illorum adultorum defunctorum.

4. Tobias præcipit filio suo, vt panem & vinum ponat super sepulturam iusti, Tob. 4. v. 18. quia erant oblationes solitæ offerri pro mortuis.

5. *Iudas Machabæus*, 2. Machab. cap. 12. v. 43. *facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Ierosolymam offerri pro peccato mortuorum sacrificium, bene & religiose de resurrectione cogitans: quia,* inquit author libri huius, *sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.*

4. Confirmatur hæc veritas ex praxi, & traditione Iudæorum, credunt enim, vt habetur in articulo tertio symboli eorum fidei, omnes, qui commiserunt peccata per infirmitatem, & illecebram, post decessum purgari, antequam petant sinum Abrahæ.

R. Mnahen Kazanac ait in inferis esse quasdam mansiones minùs profundas, è quibus purgatæ animæ sordibus peccatorum, egrediuntur seu deducuntur, iuxta illud *deducit ad inferos, & reducit.* Reg. 2. v. 6.

In lib. Zoar in Gen. 18. &c. astruitur ignis purgatorius expurgans animas post hanc vitam per aliquod tempus à Deo præfinitum iuxta merita peccatorum; tandem in lib. Mazoz, seu Breuiario Iudæorum Romanorum, & in Siddartephiloth, seu Rituali Iudæorum Hispanorum fit aperta mentio Purgatorij, & nostræ precationis, quam nobiscum communem habent, *requiescant in pace,* hæc sunt verba eorum Ritualis: *Audito verbum pacis, requiescat anima sua in cubili suo in pace.*

5. Ex traditione legis naturæ eadem Purgatorij veritas, vt conſtans credita fuit, & creditur adhuc ab his populis, qui legem naturæ ſequuntur, nec-dum fidem catholicam ſuſceperunt; omnes enim populi in hac veritate conueniunt, apud quos ſcilicet erant ſacrificia, & purgationes pro mortuis, v. g. apud Hebræos, apud Ægyptios, apud Græcos, apud Romanos, apud Perſas, apud Sinas, apud Moſcouitas, & apud Orientales, & Occidentales populos, qui omnes hanc traditionem acceperunt à primis Patriarchis, & Patriarcharum filiis, per quos eorum fundata ſunt regna: conſule eorum populorum hiſtorias.

6. Philoſophi quoque eandem veritatem purgationis animarum poſt deceſſum à corpore tenuerunt; nam Triſmegiſtus apud Ægyptios in Aſclep. cap. 10. & 11. Pymandri teſtatur animas egreſſas è corpore antequam ad Patrem redeant, purgari in ſingulis globis, ſeu ſphæris, à ſordibus quas in terra contraxerunt.

Plato in Phædro, & apud Theodoretum ſerm. 11. *Qui verò*, inquit, *ſanabilia quidem, ſed tamen grauia viſi fuerint peccata commiſiſſe, hos ipſos in tartarum neceſſe eſt deiici: cumque ibi annum totum peregerint, ab vndis eiectantur, nec hæc priùs pati deſinunt, quam illos, quibus iniurij extiterunt, exorarint.*

Plutarchus de Iſide, & Oſyride, Herodotus, & Diodorus Siculus de Ægyptiorum moribus, eandem veritatem fatentur. Pythagoras purgationem animarum exprimebat per tranſmigrationem earum in corpora brutorum. Seneca de conſolatione ad Marc. c. 5. *Non eſt*, inquit, *quod ad ſepulchrum filij tui curras; peſſima hîc, & moleſtiſſima iacent oſſa, cineresque non magis illius partes, quam veſtes, aliaque integumenta corporum: integer ille animus nihil in terris relinquens, paululumque ſupra nos commoratus, dum expurgat inhærentia vitia, ſitumque mortalis cui excutit,*

deinde ad excelſa ſublatus inter fœlices currit animas.

Romani quotannis die 21. Februarij feralia, & parentationem, ſeu commemorationem defunctorum celebrabant.

7. Poëtæ etiam in ſuis carminibus Purgatorium admittunt, & deſcribunt. Orpheus ſcilicet, teſte Clemente Alexandrino, l. 3. Stromatum. Virgilius 2. Georg. & Æneidos, *Nam*, inquit, *animæ deceſſæ à corporibus exercentur pœnis, veterumque malorum*

Supplicia expendunt, aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos; aliis ſub gurgite vaſto
Infeſtum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Ouidius 4. Faſtorum. *Omnia*, inquit *purgat edax ignis.*

8. Vltimo loco veritas Purgatorij poteſt probari multis rationibus, quas affert Albertus Magnus ex ratione naturali, quam etiam tangit Plato loco citato.

1. Quia ex Auguſtino, *Tria ſunt genera hominum: quidam peſſimi, quibus ideo, vt damnatis, non proſunt Eccleſiæ ſuffragia: quidam valde boni, quibus non ſunt neceſſaria: & quidam nec valde boni, nec mali, habentes venialia; & his debetur pœna Purgatorij.*

2. Quia, ſicut ſumma bonitas non patitur bonum irremuneratum; ſic ſumma iuſtitia non patitur malum impunitum.

3. Quia diuinæ lucis tanta eſt dignitas, vt eam ſoli mundi oculi cernere poſſint; ergo prius expurgandi, qui etiam tantillum ſordeſcunt.

4. Quia peccatum eſt 1. offenſiuum diuinæ majeſtatis. 2. eſt damnoſum Eccleſiæ. 3. eſt deformatiuum imaginis diuinæ in nobis; ſed offenſa requirit punitionem, damnum requirit ſatisfactionem, & deformatio requirit expurgationem.

5. Quia contraria contrariis curantur; ergo peccatum ortum ex delectatione, debet deleri per pœnam.

6. Quia nulli debet ſuffragari negligentia: porrò maximè patrocinaretur, ſi nullum extaret Purgatorium; quia commodi plurimum reportare videretur aliquis ex ea quam neglexiſſet hoc in mundo pœnitentia. Igitur concedendus eſt Purgatorij locus.

7. Quia iuſtum eſt, vt ſpiritus, qui contempto ſummo bono ſubiecit ſe infimo, id eſt, peccato, ſubjiciatur poſtea inferioribus, id eſt, pœnis.

8. Breuitatis cauſa abſtineo à relatione teſtimoniorum noui Teſtamenti, & Conciliorum, & Patrum Eccleſiæ, quæ legere potes in libris Controuerſiarum: hæc prædicta abunde ſufficiant ad probandam concordantiam Fidei, Traditionis, Philoſophiæ, & Rationis naturalis, pro veritate purgationis animarum, poſt deceſſum à corporibus, idque in triplici lege, Naturali, Moſaïca, & Chriſtiana; itaque ſatis vehementem vocem dedit abyſſus Purgatorij, vt eam audias: age pœnitentiam, ne venias in hunc teterrimum & horrendum tormentorum locum, & tu ipſe clama ad Dominum. *De profundis, vt fiant aures eius intendentes in vocem orationis tuæ.*

Pſ. 129. v. 1.

Caput XXV.

De diuina iuſtitia damnante impios, prout Fides, Traditio ſapientum, & Ratio ſuadent.

1. *Ignis ſuccenſus eſt à furore meo*, inquit Deus per Moyſem in Deut. 32. v. 22. *& ardebit vſque ad inferni nouiſſima, deuorabitque terram cum germine ſuo, & montium fundamenta comburet: congregabo ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis.* O veritas inferni horrore plena; ſed luce clarior, quæ ſcilicet ab orbe condito, vbique terrarum, ab omnibus populis credita, licet à paucis ſeriò attenta, & meditata:

Si enim, inquit Bernardus libro de vita solitaria, *peccatores descenderent sæpe in infernum viuentes per diligentem meditationem, non vtique descenderent mortui: certe Deus non irridetur*, sed patientia eius multum à peccatoribus fatigata, & læsa fit furor. *Ille est à quo accensus est ignis inferni, cuius*, inquit Hieronymus in cap. 65. Isaiæ. *impij fumus sunt in furore Dei, & ignis ardens tota die, terram quoque, id est, carnem nostram eadem flamma comburet, & fundamenta montium, quæ se eleuant contra scientiam Dei: ipsos quoque montes Dei iacula dissperdent, vt humiliati in pœnis montes esse desistant.*

Ne autem (lector) me gratis veritatem hanc creditam ab orbe condito, ab omnibus populis asserere putes; attende diligenter sequentes probationes inferni pœnarum.

Infernus probatur primo ex motiuis Fidei.

Prima probatio est ex Fide, seu ex motiuis fidei, & Christianæ Religionis, de quibus inferius. Si enim vera est Christiana religio, verè infernus est, cum inter eius fidei articulos vnus sit ex præcipuis.

2. Ex Scriptura sacra vtriusque Testamenti, v. g. 1. ex locò citato, Deut. 32. v. 22. 2. ex libro Iob 24. v. 19. *Ad nimium calorem transeat ab aquis niuium, & vsque ad inferos peccatum illius.* 3. ex Psal. 48. v. 15. *Sicut Oues in inferno positi sunt, mors depascet eos.* 4. ex Isaiæ 30. v. 33. *Præparata est enim ab heri Tophet* (gehenna) *à rege præparata, profunda & dilatata. Nutrimenta eius, ignis & ligna multa: flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eam.* Et cap. 33. v. 14. *Quis poterit de vobis, habitare cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Ecce tres testes veteris testamenti sufficiunt: En totidem ex nouo 1. Matth. 25. v. 41. *Discedite à me*

maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & Angelis eius. 2. Mat. 25. 48. *Bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* 2. Thes. 1. v. 9. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini*, &c.

Scripturæ sacræ concordant omnes Ecclesiæ Patres, Concilia sacra, & Iudæorum Rabini, quorum testimonia taceo breuitatis causa.

Ex consensu vnanimi omnium populorum.

3. Probatio sumitur ex traditione perpetua omnium gentium, nationum, populorum, Orientalium, Occidentalium, Meridionalium, & Septentrionalium ab orbe condito ad hæc vsque tempora: ij enim omnes, barbaris paucis exceptis, tenuerunt, & adhuc credunt infernum, & pœnam impiorum æternam, vt videre licet in eorum historiis: eam enim tenuerunt Chaldæi, Hebræi, Ægyptij, Græci, & Romani, Saraceni, Turcæ, Sinenses, Iaponenses, Mexicani, Peruuij, Galli, Hispani, Angli, Germani, Moscouitæ: nonne consensus omnium vox naturæ putanda est?

4. Ex ipsa Atheorum & impiorum conscientia, ipsos persequente etiam tyrannos, & reges v. g. Nero post parricidia, Caracalla post fratricidium, Caligula post tot crudelitates; Theodoricus post trucidatum Boëtium Senatorem, & alij sine numero furiis inferni agitati, & excruciati noctu diuque, in vigilia, & in somno obierunt. Plures ego vidi Atheos qui sani in delitiis & criminibus diuinum numen, & infernum deridebant; graui autem morbo ad mortem eos euocante, eadem impellente conscientia, & diuina eos monente iustitia ad se reuersi humiliter Deum precabantur, eius misericordiam

Digitized by Google

interpellabant fuſis lacrymis, infernum fatebantur ſe mereri, pœnitentiæ tempus poſcebant, imo publicè ſua crimina confitebantur.

5. Ex teſtimoniis Philoſophorum, *Nouerunt enim & Philoſophi*, inquit Tertul. cap. 48. Apol. *diuerſitatem arcani, & publici ignis: ita longè alius eſt qui vſui humano, alius qui iudicio Dei apparet, ſiue de cælo fulmina ſtringens, ſiue de terra per vertices montium eructans; non enim abſumit quod exurit, ſed dum erogat, reparat: adeo manent montes ſemper ardentes, & qui de cælo tangitur, ſaluus eſt, vt nullo iam igni decinereſcat. Et hoc erit teſtimonium ignis æterni, hoc exemplum iugis Iudicij, pœnam nutrientis: montes vruntur & durant, quid nocentes & Dei hoſtes?* & Sixtus Empyricus de inferis, ſicut & de diis, omnes homines habere communem notionem teſtatur. Nam 1. Triſmegiſtus cum Ægyptiis in Aſclep. c. 10. *Ergo ne iis*, inquit, *criminibus implicemur, verendum, timendum, cauendumque eſſe cognoſce; incredibiles enim, poſt delicta, cogentur credere non verbis, ſed exemplis: non minis, ſed ipſi paſſioni pœnarum.* Et in Pimandro cap. 10. *Quo igitur modo cruciatur, ô pater! hominis anima poſt deceſſum, quod ſupplicium animæ grauius? impietas. O fili mi? cuiuſnam ignis ardentior flamma, quàm impietatis eſt? quanam fera mordax, ita lacerat corpus, vt impietas laniat animum? Nonne vides quot malis animus prematur impius? En ſic, fili, vociferatur Impius: Vror, abſumor, quid agam neſcio? deuorant me miſerum mala vndique confluentia: non video quidquam, ô miſer! non audio tales, ſicut animi afflicti voces, talis naturæ congrua multa.*

2. Plato in Phædro: *Qui autem viſi fuerint inſanabiles eſſe ob magnitudinem delictorum, vt qui ſacrilegia multa & grauia, & cædes multas præter fas & ius admiſerint, & quæ ſunt alia eiuſdem generis, hos omnes aqua & conueniens ſors in tartarum dimittet vnde nun-*

quam exurgent. Idem Plato, inquit Tertullianus de anima, cap. 54. *velut gremium terræ deſcribit in Phædone, quo omnes labes mundialium ſordium confluendo, & ibidem deſidendo exhalent, & quaſi cæno immunditiarum ſuarum, craſſiorem hauſtum, & priuatum illic aërem ſtipent.*

3. Plinius libro 2. cap. 54. ait hominem ita examinatum, id eſt, per diuinum iudicium cremari.

4. Lucianus ait fidem communem eſſe, malos vinculis ineffugibilibus retiari, ita vt exolui non poſſint.

6. Ex teſtimonio Poëtarum, qui non ſolùm inferni veritatem aſtruunt; verùm etiam lacum, & varias pro diuerſitate criminum pœnas eius deſcribunt. Præcipuè.

1. Virgilius lib. 6. Æneidos.

———at lerna malorum
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.
Nec non & Tityon, terræ omniparentis alumnum
Cernere erat, per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur, roſtroque immani vultur adunco
Immortale jecur tundens fœcundaque pœnis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona Pirrithoumque,
Quo ſuper alta ſilex, jamjam lapſura, cadentique
Imminet adſimilis, lucent genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulaque ante ora parata
Regifico luxui furiarum maxima iuxta
Accubat, & manibus prohibet contingere menſas.
Incluſi pœnam expectant.———
Saxum ingens voluunt alij, radijſque rotarum
Diſtricti pendent. Sedet, æternumque ſedebit
Infœlix Theſeus, Phlegiaſque miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur voce per vmbras:
Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

Digitized by Google

2. Ouidius in Ibin.

Sic tibi de furiis scindat latus vna flagello,
Vt sceleris numeros confiteare tui:
Altera tartareis sectos dabit anguibus artus,
Tertia fumantes incoquet igne genas.

Eundem vide in lib. 4. Metamorph.

3. Tragicus in Hercule furente. Act. 3.

———Verane est fama, inferis
Tam sera reddi iura, & oblitos sui
Sceleris nocentes debitas pœnas dare?
Quis iste veri rector, atque æqui arbiter?
Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus
Repetit, suoque premitur exemplo nocens.
Vidi cruentos carcere includi duces,
Et impotentis terga plebeiâ manu
Scindi tyranni.
———Sanguine humano abstine
Quicumque regnas: scelera taxantur modo
Majore vestra: certus inclusos tenet
Locus nocentes; vtque fert fama, impios
Supplicia vinclis sæua perpetuis domant:
Rapitur volucri tortus Ixion rota:
Cervice saxum grande Sisyphea sedet:
In amne medio faucibus siccis senex
Sectatur vndas, &c.

4. Statius 2 Theb.

Hoc, vt fama, loco pallentes deuius vmbras
Trames agit, nigrique Iouis vacua atria ditat
Mortibus, Arcadij perhibent si vera coloni,
Stridor vbi & gemitus pœnarum, atroque tumultu
Feruet ager: sæpe Eumenidum voces que, manusque
In medium sonuere diem; Lethique triformes.

5. Et Silius 13.

Has inter formas coniux Iunonis auernæ
Suggestu residens cognoscit crimina Regum.
Stant victi, seróque piget sub Iudice culpæ
Circumerrant furiæ, pœnarumque omnis imago.
Quam vellent nunquam sceptris fulsisse superbis!

Probatio ex rationibus quæ suadent pœnam æternam post mortem impijs debitam.

7. Probatio veritatis inferni sumitur ex rationibus, quibus inducti sunt populi, & sapientes, vt pœnam æternam crederent deberi impiis post mortem; *Sicut enim patet diuina potentia in creando*, inquit Albertus Magnus, *sapientia in gubernando, clementia in reparando, & remunerando; sic diuina patebit iustitia in puniendo:* nam iustum est, vt non remaneat dedecus culpæ sine decore iustitiæ; licet autem peccatum sit transitorium, tamen erit pœna perpetua multiplici ratione.

Prima, quia homo peccauit in suo æterno, seu æuo; ideo punietur in æterno Dei.

Secunda, quia materia ignis infernalis est æterna, sicut & peccati macula; ideo & pœna.

Tertia; quia peccatum est contra illum, qui est infinitus; vnde & pœna debet esse ei infinita, non quidem acerbitate, sed duratione.

Quarta, quia homo per peccatum perimit in se bonum, quod posset esse æternum bonum: & ideo meritò perpetuum incurrit malum.

Quinta, quia mala voluntas reproborum æterna est, vellent enim peccato, si possent, perpetuò delectari; & ideo perpetuò debent puniri.

Sexta; quia in infinitum errat appetitus rationalis, cum præponit finitum infinito, in iudicando. Similiter

militer concupiscibilis in appetendo, & irascibilis in aggregiendo; vnde & meritò pœna erit infinita in duratione; cum non possit esse infinita in acerbitate.

Septima, quia damnatus de peccato perpetrato, nunquam habebit veram pœnitentiam; vnde Deus nunquam mutabit punitionis eius sententiam.

Octaua; quia peccatum à vita perpetua separat, scilicet à Deo: ideo peccator mortem incurrit perpetuam. His rationibus Albertus addit exempla ad majorem confirmationem; *Videmus enim*, inquit.

1. *Quod emptio momentanea dat ius perpetuum possidendi.*

2. *Vulneratio momentanea dat mortem perpetuam.*

3. *Casus in foueam temporalis, est detentio perpetua.*

4. *Crimen læsæ majestatis temporale, est seruitus perpetua.*

5. *Plaga temporalis, est liuor perpetuus.*

3. *Quoniam autem in peccato est delectatio cum contemptu Dei, merito præcipitatur peccator in locum infimum, & despectum, & maxime à statu gloriæ Dei elongatum, scilicet infernum, vbi à despectis rebus puniatur, scilicet à fœcibus corporum mundanorum; quia in innouatione mundi, quidquid est ignobile in mundo, ad locum pœnarum defluet, & ibi horrorem carceris multiplicabit: & iterum secundum Basilium, Deus facta mundi purgatione diuidet à calore splendorem, & totum calorem mittet ad regionem damnatorum, vt amplius crucientur, & totum splendorem mittet ad regionem beatorum, vt amplius iucundentur.* Hactenus Albertus Magnus. lib. 7. compendij Theol. cap. 21.

4. Concludendum est ergo cum D. Chrysostomo, hom. 10. in cap. 5. 2. Cor. *Audiamus*, inquit, *& nos. Etiamsi ignem concupiscentiæ habueris, oppone alium ignem, & hic statim extinctus euanescet; & si volueris quid absurdum loqui, cogita stridorem dentium, & frænum erit ibi timor: & si rapere volueris, audi Indi-*

cem præcipientem, & dicentem: ligatis manibus & pedibus proijcite illum in tenebras exteriores, & sic hanc concupiscentiam eijcies, &c. Itaque hæc omnia cogitantes, ne admiremur eos, qui in delitiis: sed cogitemus quis eorum finis? ne admiremur raptores, sed cogitemus quis illorum finis? Noli itaque æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem; quoniam tanquam fœnum, velociter arescent, vt igni æterno sint aptiores. Pœnitentiam age pro delictis commissis, attende tibi, & saluti animæ tuæ, fuge à facie colubri, seu peccati, & dum tempus habes, operare bonum.

Caput XXVI.

De diuina Misericordia, & bonitate in remuneratione iustorum, seu de gloria æterna Sanctis promissa, & ab ijs possessa.

1. VAnum esset, & superfluum probare Deum esse verum obiectum beatitudinis Angelorum, & hominum, cum illud superius sit demonstratum. Est enim Deus, vt probaui, primum principium, est vltimus finis omnium, est bonum infinitum, est veritas æterna, & infinita, & in se continet id omne, quod creatura rationalis & intellectualis potest concipere, & desiderare: debet ergo esse vera, & æterna nostra beatitudo, & iustorum merces copiosissima iuxta illud Genesis 5. *Ego ero merces tua magna nimis.* Et Exod. 3. *Ostendam tibi omne bonum.* Et Psal. 23. *Satiabor, cum apparuerit gloria tua; vnde etiam* Ioan. 17. *Hæc est autem vita æterna: vt cognoscant te, solum Deum verum*, &c.

2. Quod quidem confirmatur ex definitione beatitudinis: est enim ex Boëtio 3. de Consol. *Status omnium bonorum aggregatione perfectus, vel infiniti boni*

tota ſimul & perfecta poſſeſſio; quæ quidem in nullo bono creato & finito poſſunt reperiri. Vnde experientia conſtat intellectum humanum nulla veritate creata, & finita poſſe ſatiari, & voluntatem nullo bono creato & finito: vnde bene Auguſt. l. 1. Conf. *Feciſti nos Domine ad te* (ſupple poſſidendum) *& inquietum eſt cor noſtrum, donec reuertatur ad te, & requieſcat in te.*

3. Communis autem omnium populorum, & nationum opinio, ſeu fides & traditio fuit, bonos & iuſtos fore beatos poſt mortem, & mercedem accepturos ſuis meritis congruentem à Deo iuſto Iudice, vt teſtatur Chryſoſtomus hom. 8. in Epiſt. ad Theſſalonicenſes: *Et Poëtæ*, inquit, *& Philoſophi & omnes in vniuerſum homines de retributione futura philoſophati ſunt*: quod confirmat Tertullianus in Apolog. c. 47. his verbis: *Si paradiſum nominemus, locum diuinæ amœnitatis recipiendis ſanctorum ſpiritibus deſtinatum, maceria quadam ignea illius zonæ à notitia orbis communis ſegregatum, Elyſij campi fidem occupauerunt. Vnde hæc, oro vos, Philoſophis, aut poëtis tam conſimilia? nonniſi de noſtris Sacramentis: id eſt, per traditionem communem Patriarcharum, quaſi per manus accepta.* Et certè

4. Triſmegiſtus in Pymandro cap. 1. & Aſcl. c. 10. hanc fatetur diuinæ beatitatis veritatem. *Tunc*, inquit, *animus harmoniæ notione exutus ad optatam naturam reuertitur, vim propriam habens, vna cum his, qui illic ſunt, Patrem laudat: ipſi quoque in poteſtatum numerum ſe conferunt, effectique poteſtates Deo fruuntur, atque id ſummum bonum eſt, quibus cognoſcendi ſors competit, Deum ſcilicet fieri.* Cui concordat illud Ioannis 1. c. 3. *Scimus quoniam videbimus eum ſicuti eſt.*

5. Plato quoque in Phædro non tantùm aſſerit beatitudinem noſtram in cognitione, amore, & vnione cum Deo conſiſtere; ſed etiam iuſtos, ſeu beatos in

ſempiternum viuere, & habitationes pulcherrimas conſequi, quas nec verbis exprimere poſſibile, nec ſi poſſet, tempus deficeret: concordans cum Scriptura ſacra Pſalm. 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et Pſalmo 149. *Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.* Et 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis, qui diligunt illum.*

6. Seneca etiam de Conſolatione ad Marc. loquens de animo expurgato poſt mortem, ait; *Deinde ad excelſa ſublatus inter fœlices currit animas.* Et Maximus Tyrius ſerm. 27. *Hoc inter terram intereſt & cælum: ibi enim longa & profunda pax eſt, cantuque ac diuinis choreis plena ſunt omnia: hîc vario, diſſonoque ſtrepitu infinitis negotiis omnia miſcentur.*

7. Huic lucidiſſimæ veritati Poëtæ conſentiunt omnes mille in locis, cum de beatitudine, de campis Eliſiis, de cælo, quod aſſerunt eſſe locum & habitationem beatorum, præcipue Virgilius lib. Æneid. Ouidius 1. Metam. Seneca in Hercul. fur. Val. Horatius, & alij, quorum teſtimonia potes legere in eorum libris. Ab his citandis abſtineo, breuitatis cauſa. Huc quoque ſpectant veterum Apotheoſes heroum, quos credebant in cælum raptos & diuina beatitudine & ſimilitudine participata frui.

8. Eædem quoque rationes prædictæ, quæ probant diuinam iuſtitiam punientem impios, eandem probant iuſtos remunerantem per oppoſitas conſequentias; iuſtum enim eſt, & debitum virtuti præmium, ſicut pœna vitio debetur: cum ergo plerumque videamus viros probos in hac vita continuis afflictos pœnis, ægritudinibus, pauperie, calumniis, &c. iuſtum eſt vt remunerentur in æterna vitæ. Vide quæ dixi ſupra de immortalitate animæ, & de inferno.

Digitized by Google

9. Porro æquum est etiam sanctorum Patrum, qui in Philosophia, & Theologia insignes fuêre, aliqua testimonia afferre pro veritate, & qualitate æternæ huius gloriæ, quæ est præcipuum diuinæ bonitatis & misericordiæ opus; plus enim eorum valet authoritas, quàm Philosophorum. Itaque

1. Augustinus de symbolo lib. 3. *Facilius*, inquit, *possumus dicere in illa vita æterna quid non sit, quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi lassitudo, non fames, nulla sitis, nullus æstus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla tristitia.* Et lib. 22. de Ciuitate, &c. *Sed verus honor, qui nulli negabitur digno, vera pax, & præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, eique seipsum dabit, quo melius & maius nihil potest esse, quia ibi Deus erit omnia in omnibus. Illuc festinate, vbi semper viuatis.*

2. Origenes. *Cœlum verò nouum & terra noua fundentur; amoue de conspectibus tuis etiam solis huius lucem, & da illi mundo, qui venturus est, solis septuplum; imò potius pone Virtutes, Potestates, atque omne nomen clarissimarum cælestiumque virtutum: inter hos omnes considera, & conjce quomodo agi possint dies festi Domini, quæ ibi festiuitas, quæ gaudia, quæ lætitia, magnitudo*, &c.

3. Basilius hom. 12. in Psal. 47. *Glorioſa dicta sunt de te ciuitas Dei. Illi ciuitati per Isaïam promittitur Deus: ponam te exultationem, æternam lætitiam generationibus: Deus in medio eius non commouebitur.*

4. Gregorius hom. 37. in Euang. *Quæ lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit, illa superna ciuitatis quanta sint gaudia, Angelorum choris interesse, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari. Delectet igitur mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.* Quæ sufficiunt ad probandam veritatem beatitudinis

æternæ, quæ misericorditer datur à Deo, tanquam merces virtuti debita.

Caput XXVII.

De Resurrectione corporum, quæ est opus diuinæ Omnipotentis Iustitiæ.

1. Iisdem verbis, quibus Tertullianus incipit librum de Resurrectione carnis, incipiam caput. *Fiducia Christianorum, resurrectio mortuorum: illa credentes sumus, hoc credere veritas cogit. Veritatem Deus aperit, sed vulgus inridet, existimans nihil supereſſe post mortem: & tamen defunctis parentant, & quidem impensissimo officio..... Sed & Platonici immortalem animam reclamant; imo adhuc proxime etiam in corpora remeabilem affirmant.*

Videamus ergo quomodo Deus aperuit nobis veritatem futuræ resurrectionis in triplici lege, scilicet in Lege naturali, scripta, & Christiana.

2. Quia autem *à quatuor ventis*, in Ezechiele 37. v. 7. *venit Spiritus, qui insufflauit super interfectos, quos suscitauit, & à quatuor mundi partibus venient, & recumbent cum patre Abraham in regno cælorum.* Et omnes penitus homines, qui in quatuor terminis terræ habitant, resurrecturi sunt; ideo Deus quatuor aperuit nobis portas ad hanc veritatem cognoscendam, scilicet Exempla naturæ, Traditionem, Scripturam, & Rationem.

Matth. 8. v. 11.

§. I.

Primam Portam intremus cum Tertulliano, libri supra laudati c. 12. *Aspice nunc*, inquit, *ad ipsa quoque exempla diuinæ potestatis. Dies moritur in noctem, & tenebris vsquequaque sepelitur. Funestatur mundi honor: omnis substantia denigratur: sordent, silent, stu-*

pent cuncta. Vbique qui es rerum, vbique iustitium est. Ita lux amissa lugentur, & tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem & integra, & tota vniuerso orbi reuiuiscit, interficiens mortem suam, noctem, rescindens sepulturam suam, tenebras, hæres sibi-met existens, donec & nox reuiuiscat cum suo & illa suggestu: redaccenduntur enim & stellarum radij, quos matutina succensio extinxerat.

2. Reducuntur & siderum absentiæ, quas temporalis distinctio exemerat. Redornantur & specula lunæ, quæ menstruus numerus attriuerat.

3. Reuoluuntur hyemes, & æstates, verna & autumna, cum suis viribus, moribus, fructibus.

4. Quippe etiam terræ de cælo disciplina est, arbores vestire post spolia, flores denuò colorare, herbas rursus imponere, exhibere eadem, quæ absumpta sunt semina: nec prius exhibere quàm absumpta, mira ratio de fraudatrice seruatrix, vt reddat, intercipit: vt custodiat, perdit.

5. Semel dixerim; vniuersa conditio recidiua est. Quodcumque conueneris, fuit: quodcunque amiseris, nihil non iterum est. Omnia in statum redeunt, cum ab cesserint: Omnia incipiunt, cum desierint: ideo finiuntur, vt fiant. Nihil deperit; nisi in salutem. Totus igitur hic ordo reuolubilis rerum, testatio est resurrectionis mortuorum. Operibus eam præscripsit Deus ante, quam litteris; viribus prædicauit ante, quàm vocibus. Præmisit tibi naturam magistram, submissurus & prophetiam, quò facilius credas prophetiæ, discipulus naturæ.

6. Accipe plenissimum, atque firmissimum huius rei specimen. Si quidem animalis est res, & vitæ obnoxia, & morti. Illum dico alitem Orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum: qui semet ipsum lubenter funerans renouat, natali fine decedens, atque succedens iterum Phœnix. Vbi iam nemo, iterum ipse: qui non iam, alius idem. Quid ex-

preſſius, atque ſignatius in hanc cauſam, aut cui alij rei tale documentum? Deus etiam Scripturis ſuis, Et florebit enim, inquit, *velut phœnix, id eſt, de morte, de funere; vti credas de ignibus quoque ſubſtantiam corporis exigi poſſe: Multis paſſeribus antiſtare nos Dominus pronunciauit, ſi non & phœnicibus, nihil magnum; ſed homines ſemel interibunt, auibus Arabiæ de reſurrectione ſecuris?* Nihil credo addi debere his exemplis, & rationibus præſtantiſſimis Tertulliani; niſi fortem attentionem, vt ſeriò perpendantur. Tunc enim clarè apparebit patens ianua ad reſurrectionis veritatem, cuius præjudicium, & ſpecimen Deus quotidie ob oculos noſtros præponit.

§. II.

Altera porta, quam Deus ad hanc veritatem cognoſcendam aperuit, eſt Traditio per quam à primis Patriarchis hæc veritas diffuſa eſt per mundum; ſancti enim Patriarchæ hanc à Deo acceperunt veritatem, quam poſteris ſuis, quaſi per manus tradiderunt; vt inductio demonſtrat. Etenim ob eam veritatis fidem. 1. Non dicuntur in Scripturis mortui; ſed dormientes, quaſi euigilaturi. 2. Dicuntur morientes appoſiti ad populum ſuum, vel ad patres ſuos, quaſi cum iis quieſcentes, & conuerſantes, donec cum Chriſto mortuorum primogenito reſurgerent. 3. Sedentes, non verò cubantes ſepulturæ mandabantur, ex antiqua praxi Hebræorum, Ægyptiorum, Saracenorum, &c. vt ſurrecturi ad vocem Domini. Hinc bene notauit Abulenſis in cap. 25. Geneſeos, Abrahamum ſepultum à filiis in ſpelunca duplici, quia totum corpus ſedebat in ſuperiori, tibiæ verò, & pedes eius in inferiori pendebant, quæ poſtura eſt ſedentium, non iacentium: ſic enim ſepeliebantur Reges Iudæorum in Hebron, nempe in Cathedra ſedentes, qui mos apud Orientales popu-

1. Cor. 15. v. 52. 1. Tim. 4. 15.

Digitized by Google

los inualuit. De Iacob moriente dicitur, *quod prius collegit pedes super lectulum, & obiit.* Idem vero situs est & dispositio infantis in ventre matris antequam nascatur; vnde & Æthiopes curui sepeliebantur; vt doceamur sepulchrum esse alterum secundæ natiuitatis locum. 4. Laërtius, c. 1. testatur *quod Magi Persarum censuerunt homines ex mortuis aliquando suscitandos, vt sempiterno fruantur æuo.* 5. Gen. 49.

5. Idumæi, & Hullitæ hanc traditionem firmiter tenuerunt acceptam ab Abrahamo, Isaacio & Esaü, eorum parentibus. S. P. Iob. teste Mose secundum multos in lib. Iob. cap. 19. v. 25. resurrectionem futuram clarè confitetur his verbis. *Scio enim quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum: & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum.*

6. Chaldæi apud Varronem eidem subscripsere veritati dicentes, animas quadringentis quadraginta annis post decessum à corporibus iterum sua corpora resumpturas esse.

7. Druidæ apud Lucanum confitentur eandem resurrectionis veritatem, cum dicunt indignum esse sapientibus, & probis viris *reditura parcere vitæ.*

8. Pythagorici etiam ei veritati firmiter adhæserunt, licet quidam eorum eam corruperint additis fabellis metamorphoseos, seu metempsychoseos.

9. Stoïci gloriabantur ex Nemesio, quasi authores, seu reparatores huius veritatis.

10. Apud Platonem, lib. 10. de Republica, D. Augustt. lib. 22. de Ciuitate, & Clementem Alexandrinum, lib. 5. stromatum fit mentio Zoroastris, & aliorum, qui resuscitati credebantur.

11. Heraclitus Ephesius apud eundem Clementem erat manifestè in hac sententia; sicut & Empedocles, qui meminit instaurationis mundi. Poëtæ eidem subscripsere, nam

12. Virgilius, Ecclog. 4. resurrectionem futuram testatur.

Altererit cum typhis & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella,
Atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

13. Valerius quoque Flaccus lib. 3.

——patet ollis ianua lethi,
Atque iterum remeare licet: comes vna sororum
Additur, & pariter terras, & æquora lustrans.

§. III.

Tertia porta, quæ est Scriptura sacra diuinitùs inspirata, est patens omnibus, sed tamen soli humiles possunt per eam intrare: pauca tantùm ex multis testimonia afferam ad resurrectionis futuræ veritatem confirmandam. *Viuent mortui tui, interfecti mei resurgent. Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus. Multi de his; qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt; alij in vitam æternam; alij in opprobrium, vt videant semper.* Et è nouo Testamento. *De resurrectione autem mortuorum non legistis, quod dictum est à Deo dicente vobis; Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus mortuorum, sed viuentium. Nolite mirari hoc; quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Et Ioan. cap. 11. *Christus suscitauit Lazarum quatriduanum fœtentem in sepulchro, clamans: Lazare veni foras*: in quæ verba Ambrosius in Ioan. 11. in Oratione de fide resurrect. *Cur*, inquit, *voce clamauit, quasi spiritu non soleat operari, & tacitus imperare? sed, vt illud ostenderet, quod scriptum est: Quoniam in momento oculi, in nouissima tuba mortui surgent incorrupti. Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora*

Isa. 26. v. 19.
Ezech. 37. v. 12.
Dan. 12. v. 2.
Matth. 22. v. 31.
Ioan 5. v. 28.
Rom. 8. v. 11.

vestra, &c. Eandem veritatem confitentur omnes Ecclesiæ Patres, virtute, sapientia, & doctrina insignes.

§. IV.

Tandem quarta Porta, quam Deus nobis aperuit ad veritatem resurrectionis firmiter tenendam, est ipsa Ratio, quæ exemplis, traditioni, & Scripturis optimè concordat. Nam anima 1. habet relationem, & habitudinem essentialem ad corpus, estque in statu naturaliter violento post separationem; non ergo potest esse perfectissimè beata, & perfecta, nisi post reunionem cum eo, quæ debet fieri per resurrectionem: cum autem anima beata debeat tandem esse perfecta, ad completæ beati tudinis perfectionem, nunquam euadet perfectè beata, nisi per sui reunionem cum corpore: quam rationem S. Ioannes videtur attingere, cum *vidit subtus altare animas Sanctorum Martyrum clamantes ad Deum, vt vindicet sanguinem eorum; quibus respondetur, vt expectent, & requiescant tempus modicum, donec compleantur conserui eorum, & fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut & illi.* Licet enim eas animas beatitudinis stolis albis amictas videat; non tamen videt eas in vltimo & perfecto actu beatitudinis; quia nondum habent suum corpus socium in beatitudine, quod habuerunt socium in martyrio. Estque Apoc. 6.

2. Ratio pro veritate resurrectionis, quam Tertullianus attingit lib. de resur. carn. cap. 8. his verbis. *Nulla omnino*, inquit, *anima salutem potest adipisci; nisi dum est in carne, crediderit; adeo caro salutis est cardo, de qua cum anima Deo allegitur, ipsa est quæ efficit vt anima allegi possit. Sed & caro abluitur, vt anima emaculetur. Caro vngitur, vt anima consecretur. Caro signatur, vt & anima muniatur. Caro manus impositione adumbratur, vt & anima spi-*

ritu illuminetur. Caro corpore & ſanguine Chriſti veſcitur, vt & anima de Deo ſaginetur. Non poſſunt ergo ſeparari in mercede, quas opera coniungit. Nam & ſacrificia Deo grata, conflictationes dico animæ, ieiunia, & feras, & aridas eſcas, & appendices huius officij ſordes, caro de proprio ſuo incommodo inſtaurat. Virginitas quoque, & viduitas, & modeſta in occulto matrimonij diſſimulatio, & vna notitia eius, de bonis carnis Deo adolentur. Age iam quid de ea ſentis, quum pro nominis fide in medium extracta, & odio publico expoſita, decertat? Cum in carceribus maceratur, teterrimo lucis exilio, penuria mundi, ſqualore, pœdore, contumelia victus, ne ſomno quidem libera: quippe ipſis etiam cubilibus vincta, ipſiſque ſtramentis lancinata, cum iam & in luce omni tormentorum machinatione laniatur.....haccine non reſurget toties Dei? Abſit, abſit, vt Deus manuum ſuarum operam, ingenij ſui curam, afflatus ſui vaginam, molitionis ſuæ reginam, liberalitatis ſuæ hæredem, religionis ſuæ ſacerdotem, teſtimonij ſui militem, Chriſti ſui ſororem in æternum deſtituat interitum.

3. Ratio petitur ex parte mundi, qui etiam ad ſui ornatum, & vltimæ perfectionis ſuæ complementum poſcit à Deo omnium corporum reſurrectionem, & reunionem animarum cum ſuis corporibus; aliàs in eo manerent ſubſtantiæ incompletæ.

4. Ratio ex parte ipſius Dei gloriæ & prouidentiæ, & iuſtitiæ, in quantùm fecit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, gloriæ ſuæ præconem, compendium orbis, ſeu microcoſmum, & omnium entium ſyſtaſin ſeu vnionem. Niſi autem fieret reſurrectio mortuorum, opus illud, quod videtur Deo glorioſius, & mundo honorabilius, in æternum deeſſet: quod repugnat diuinæ prouidentiæ, ſicut & iuſtitiæ, non remunerare corpus, quod fuit inſtrumentum animæ ſanctitatis, & meriti: imo, quia

Digitized by Google

totus homo, qui per Dei gratiam meruit beatitudinem, debet ipsemet totus remunerari à Deo. Confirmatur, quia sola anima non est homo, nec sola anima meruit, sed homo; vnde bene Apostolus. 2. Tim. 4. v. 7. ait: *Bonum certamen certaui cursum consummaui, fidem seruaui. De reliquo reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex*; certauit autem Paulus, non verò tantùm anima Pauli, &c. Hinc addit; *reddet mihi*, non autem reddet animæ meæ, &c. *Ergo*, inquit Tertullianus, *non possunt separari in mercede, quos operæ coniunxit.*

5. Ratio ex eo petitur, quod totus homo à Deo creatus est propter vltimum finem suum, qui est summum bonum, & æterna fœlicitas, quæ Deus ipse est. Ergo totus debet illum finem vltimum consequi; nisi ipse voluntaria, & obstinata libera voluntate ab illo se substrahat. Tunc enim Deus erit quidem eius finis, in quantùm eius iustitiæ infinitæ manifestandæ inseruiet ille impius apostata; Verùm Deo, id est suo fine vltimo non fruetur, propter suam malitiam obstinatam: Ergo indignum, & indecorum est pro Deo redituræ parcere vitæ; quinimo exponenda est pro eius gloria, pro publico Ecclesiæ bono, & pro obtinenda æterna, & beata vita nunquam finitura.

Caput XXVIII.

De fine, & innouatione mundi.

§. I.

Quod mundus conflagratione innouandus est.

1. IVxta B. Petri Prophetiam, *iam venerunt in nouissimis scilicet diebus, in deceptione illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicen-* 2. Epist. c. 3.

Digitized by Google

tes ; vbi eſt promiſſio ? aut aduentus eius ? ex quo enim Patres dormierunt , omnia ſic perſeuerant ab initio creaturæ. Verùm per ea, quæ in toto hoc libro dicta ſunt,& infra dicentur,facilè poſſunt argui impietatis, ſtultitiæ, & ignorantiæ. Impietatis quidem , quia ex Tertulliano in Apolog. *Hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere Deum prouidum, & iuſtum , quem ignorare non poſſunt.* Stultitiæ , quia ſtultiſſimum eſt negare diuinam prouidentiam, & iuſtitiam, ipſo ſolis lumine lucidiorem , & ſuum proprium ſenſum præferre omnibus populis,gentibus, ſapientibus,Doctoribus, & iuſtis. Tandem ignorantiæ arguentur ; quia ſolius corporis voluptatibus irretiti, paſſionibus carnis obcæcati, & viſibilibus , ſeu ſenſibilibus captiuati, nullam Philoſophiæ & ſapientiæ dant operam: ſciant autem , *Quod Deus non tardat promiſſionem*
2. Petr. 3. *ſuam , ſed patienter agit volens omnes ad pœnitentiam reuerti : Adueniet autem dies Domini vt fur , in quo cæli magno impetu tranſient , elementa verò calore ſoluentur ; terra autem , & quæ in ipſa ſunt opera exurentur. Cum igitur hæc diſſoluenda ſint , quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus , & pietatibus , expectantes , & properantes in aduentum diei Domini , per quem cæli ardentes ſoluentur ,& elementa ignis ardore tabeſcent ? Nouos verò cælos , & nouam terram ſecundùm promiſſa eius expectamus.*

2. Hæc eſt Chriſtiana veritas de fine & innouatione mundi. Cui veritati Traditio & Ratio congruunt : & certè quoad Traditionem, ab ipſo mundi exordio , teſte Ioſepho lib. 1. antiq. cap. 3. *Seth ſcientiæ , & ſapientiæ donis ornatus à parente Adamo hanc traditionem acceptam filiis ſuis , & nepotibus communicauit. Qui quidem ,* inquit *, ne inuenta ſua ex hominum notitia dilaberentur , & prius perirent , quàm prænoſcerentur : ſcientes Adamum dupliçem vniuer-*

ſalem rerum interitum præſciuiſſe, vnum incendio, diluuio alterum, excitatis duabus columnis vtrique ſua inuenta inſcripſerunt; vt, ſi lateritiam diluuio deleri contingeret, lapidea ſuperſtes hominibus diſcendi copiam faceret, & quæ inſcripta continebat, ſpectanda exhiberet: aiunt enim lapideam illam ab iſtis dedicatam, quæ noſtris temporibus extat in Syria. Cui veritati concordant Oracula Sybillarum lib. 7. Sybil. Orac. 8. tom. Bibliot. Patrum.

------vobis ſonitum tuba triſtem
Emittet, terramque perire videbitis omnem.
Eheu infœlix, eheu mare perfidioſum,
Omne vorax ignis te perdet; tu ſale gentes.
Tantus enim terris inſaniet ignis, aquæ vis
Quanta fluit: terram delebit funditùs, vret
Mont··, ſiccabit fontes, fluuioſque cremabit.
Mundus erit iam non mundus, populique peribunt;
Heu miſeri ardentes, & cœlum ſuſpicientes,
Cœlum non Aſtris rutilum, ſed ab igne laborans.

3. Conuenit quoque his apud Clementem Alexand. lib. 5. Stromat. Tragœd.

Erit profectò ſæculi tempus noui,
Quando ignis effundet refertas copias.
Auratus æther flamma------
Terrena cuncta, cunctaque vret furens rapere.

4. Conuenit & Ouidius lib. 1. Metamorph. & alij Poëtæ.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

5. Lucanus lib. 7.

Nil agis hac ira, tabeſne cadauera ſoluat,
An rogus? haud referet: placido natura receptat

Cuncta sinu, finemque sui sibi corpora debent.
Hos Cæsar populos si nunc non vsserit, ignis
Vret cum terris, vret cum gurgite ponti.
Communis mundo superest rogus, ossibus astra
Mixturus, &c.

Vide & Senec. in Her. fur. Lecretium l. 5. Manilium lib. 4. Plautum, & alios.

6. Plato quoque lib. 10. de Rep. mentionem facit de iudicio extremo, de resurrectione hominum, de fine, & reparatione mundi. Vide Euseb. lib. 11. de præparatione Euangel. cap. 18.

7. Stoici mundum asserunt esse theatrum, quod ideo sæpe immutatur, donec tandem omnino renouetur. Hinc Seneca Ep. 71. *Quid enim*, inquit, *mutationis periculo exceptum est? Non terra, non cælum, non totus hic rerum contextus, quamuis Deo agente ducatur. Non semper tenebit hunc ordinem, sed illum ex hoc cursu aliquis dies deiciet.*

8. Cicero de somnio Scipionis, ait *nos non modò æternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi posse, propter eluuiones, exustionesque terrarum, quas accidere tempore certo necesse est.* Et Plinius lib. 2. cap. 106. ait, *sæuientem naturam in æthna, exustionem terris denunciare.*

9. Eadem sententia Philosophorum Sinensium de mundi fine, & renouatione: nam ex Martinio lib. 1. Hist. Sinicæ, *liber eorum inscriptus, De Natura, testatur horâ nonâ, quæ nobis à meridie sexta, in orbe vniuerso magnam rerum, atque ordinum omnium perturbationem, ingentia bella, regnorum seditiones, & hinc publicas calamitates fore, donec tandem omnia ad suum chaos, vnde exierant, reuertantur*, &c.

10. Traditio autem hæc non solùm innititur sacræ Scripturæ authoritati, sed etiam rationibus, quæ ostendunt mundum senescentem debere tandem interire

Digitized by Google

terire seu finem habiturum. Nam 1. inquit Aristoteles. *Generatione & motu positis, necesse est, vt finis etiam sit; nec enim infinitus est aliquis motus, sed cujusque est aliquis finis.*

2. Omnia individua mundi, v. g. homines, animalia, plantæ, & alia mixta, imo & elementa corruptioni sunt obnoxia; ergo & tota species eorum est corruptibilis.

3. Videmus mundum ipsum senescere; quod autem senescit interitui est obnoxium, ergo & totus mundus.

4. Bella quotidiana Elementorum, & qualitatum oppositarum in ipsis etiam cælis, nil, nisi omnium interitum, & innouationem prædicant. Hinc Trismegistus c. 1. Pymand. Plato in Tim. Apul. de dogm. Plat. & Arius Dydimus apud Eusebium, asserunt ob eas rationes mundum hunc visibilem natum esse mutabilem, & perituram, ac innouandum.

§. II.

Quædam adnotanda circa mundi conflagrationem, & innouationem ex Alberto Magno de vltimis temporibus.

1. IGnis ergo maximus præcedet faciem Iudicis. Quia, *inquit Albertus Magnus*, virtute diuina, Ps. 96. non solùm ignis, qui est in sphæra sua, sed etiam omnes ignes, qui in terra, & super terram sunt, concurrent ad mundi conflagrationem.

2. Ignis autem ille quatuor habebit ignium officium; scilicet ignis inferni reprobos puniendo; ignis Purgatorij, bonos à venialibus purgando; ignis terrestris, vegetabilia & sensibilia consumendo, & omnium hominum corpora incinerando; & ignis elementaris, elementa repurgando, &

ad innouationem diſponendo : per illum igitur ignem ita facies terræ exuretur, vt figura huius mundi pereat, ſicut olim iam periit per diluuium, in quo apparuit primum Dei iudicium per aquam contra ardorem luxuriæ, quia *omnis caro corruperat viam ſuam :* Sicut vltimum Dei iudicium fiet per ignem contra torporem charitatis ; *refrigeſcet enim charitas multorum.*

Gen. 6. v. 12. Matth. 24. v. 12.

3. Porro iſtius ignis actio erit ſucceſſiua habens initium, medium, & finem. Primò enim Iudicis aduentum præueniet iuſtos purgans, impios puniens, & corpora redigens in cineres : quo facto ſtatim fiet reſurrectio corporum cum aduentu Iudicis, & tunc inflammabitur totus mundus per circuitum ; terminato autem iudicio, tota caliditas illius ignis exequetur ſententiam Iudicis ; inuoluet enim peccatores, & trahet in infernum. Lux verò illius ignis ad cælum empyreum ex D. Baſilio hom. 5. in Pſal. 28. aſcendet ad conſolationem beatorum, per Domini vocem, de qua hoc Pſalmo v. 7. *Vox Domini intercidentis flammam ignis :* ita, vt obſcurus ſit ignis ſupplicij, vi verò comburendi careat lux illa refocillationis, quæ eſt in cælis.

4. Poſt prædicta fiet mundi innouatio, quæ quidem differt ab eius purgatione. 1. Quia purgatio erit, qualitatum pœnalium detractio; innouatio verò erit, pulchrioris formæ inductio. 2. Purgatio, eſt elementorum ab impuritate, quam habent ex coniunctione, ad puritatem mutatio ; innouatio verò cælorum à ſtatu veteri in ſtatum nouum commutatio, per ceſſationem à motu. In cælis enim propter impermixtionem nulla eſt impuritas, ſed tantùm motus imperfectio, qua fit, vt oppoſitæ qualitates bella & diſcordias excitent ; vnde non erit in eis purgatio per ignem, ſed à motu ceſſatio. *Hæc Albertus.*

Noli ergo diuitiis, aut his corruptibilibus bonis

inhærere, ne cadas cum labili, ne corrumparis cum corruptili; sed tota mentis attentione ad Deum, ad cælestia, ad æterna, suspiria & desideria tua attolle.

Caput XXIX.

De Iudicio extremo, vltimo actu publico diuinæ iustitiæ.

1. Necesse est, vt Deus *iustificetur in sermonibus suis, & vincat*, siue cum iudicatur, siue cum iudicat. Nec ad hoc sufficit iudicium particulare cuiuscunque hominis, sed conuenientissimum est, vt palam, & publicè Deus summus omnium prouisor & Iudex, orbem terrarum iudicet in æquitate, & omnes populos in iustitia, iustam, & publicam ferens sententiam æternæ quidem remunerationis in iustos, æternæ verò damnationis in impios. *Quale autem spectaculum!* inquit Tertullianus lib. de Spectaculis. cap. 30. *In proximo est aduentus Domini iam indubitati, iam superbi, iam triumphantis. Qua illa exultatio Angelorum? quæ gloria resurgentum sanctorum? quale regnum exinde iustorum? qualis ciuitas noua Ierusalem? At enim supersunt alia spectacula, ille vltimus & perpetuus iudicij dies, ille nationibus insperatus, ille derisus, cum tanta sæculi vetustas, & tot eius natiuitates vno igne haurientur. Qua tunc spectaculi latitudo? quid admirer? quid rideam? vbi gaudeam? vbi exultem? spectans tot ac tantos Reges, qui in cælum recepti nuntiabantur! cum ipso Ioue & ipsis suis testibus in imis tenebris congemiscentes? Item præsides, persecutores Dominici sanguinis; qui sæuioribus quàm ipsi flammis sæuierunt, insultantibus contra Christianis, liquescentes? Quos preterea sapientes illos Philosophos coram discipulis suis vnà conflagrantibus* Ps. 50. v. 5.

erubeſcentes, quibus nihil ad Deum pertinere ſuadebant, quibus animas aut nullas, aut non in priſtina corpora redituras affirmabant; etiam Poëtas non ad Rhadamanti, nec ad Minoïs, ſed ad inopinati Chriſti tribunal palpitantes?

2. Hanc itaque veritatem Chriſtianam demonſtro ſacris Codicibus edoctam, veteri Traditione receptam, nec non Rationi naturali plane conſentaneam.

§. I.

Vtriuſque Teſtamenti teſtimonia illud Iudicium vniuerſale aſſerunt ſecundum omnium Patrum traditionem. Nam 1. Chryſoſtomus Epiſt. 5. explicans verba Pſal. 49. & Iſaiæ 18. *Veniet*, inquit, *Dominus iudicaturus terram, ſed quando veniet? audi Prophetas clamantes, & dicentes: Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit: ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida: aduocabit cælum deſurſum, & terram diiudicare populum ſuum. Ad hæc Iſaias pœnam nobis proponit. Ecce*, inquit, *dies Domini veniet, auſterus furore & ira, ad ponendum totum orbem terrarum in ſolitudinem, & ad abolendos peccatores ex ea.* Et infra, ſubſcribit Malachias cap. 3. *Ecce*, inquit, *veniet Dominus omnipotens, & quis poterit cogitare diem aduentus eius*, &c.

2. Hieronymus aduerſus Pelagianos quærens cur flebat Ezechias. *Nullus*, inquit, *intrepidus vadit ad iudicium Domini, habens conſcientiam peccatorum: erubeſcet luna, & confundetur ſol, quando viſitaueris Dominus ſuper militiam cæli in excelſis. Aſtra non ſunt munda in conſpectu eius, & aduerſum Angelos ſuos peruerſum quid reperit: luna erubeſcit, ſol confunditur, & cælum operitur cilicio; & nos intrepidi, atque lætantes quaſi careamus vitio, occurremus Iudicis majeſtati, quando tabeſcent montes, erecti videlicet in ſuperbiam*, &c. Et Hieron. lib. 6. in cap. 13. Iſaiæ. *Vlulate,*

4. Reg. 18.

Iob 25.

quia prope est dies Domini, quia vastitas à Domino veniet, propterea omnes manus dissoluentur, & omne cor hominis tabescet & conteretur; hæc est dies formidolosa, atque terribilis, de qua & Sophonias cap. 1. loquitur: *Metuite à facie Domini, quia prope est dies Domini*, &c. Et certè Hieron. ipsemet testatur se continuò prospicere diem illum, horrendumque audire sonitum tubæ Angelicæ, vocantis omnes ad iudicium.

3. Augustinus in concione ad Catechumenos tom. 6. explicans illud Psal. 88. *iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ. Expectatur*, inquit, *dies iudicij aderit ille æquissimus Iudex; qui nullius potentis personam accipiet, cuius palatum auro, vel argento nemo corrumpet. Stabunt omnes animæ, vt referat vnaquæque secundùm ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum*, &c.

4. Origenes hom. 9. in lib. Num. exponens illud Matth. 24. & 25. *Ite maledicti in ignem æternum. Tunc*, inquit, *Pontifex noster Christus, medius viuorum & mortuorum stare dicendus est, cum statuit oues à dextris suis, hædos autem à sinistris, & dicet iis, qui à dextris sunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: iis autem, qui à sinistris dicet: Item maledicti in ignem æternum. Et sunt vtique mortui, qui in ignem mittuntur æternum; sunt autem viui, qui mittuntur ad regnum.*

5. D. Gregorius lib. 3. Mor. cap. 5. explicans illud Prouerbiorum 31. *Quando sederit cum Senatoribus.* & illud Mat. 19. *Sedebitis super duodecim sedes. Vir*, inquit, *Ecclesiæ, est Christus Dominus, qui in portis nobilem se ostendit, qui despectus prius in contumeliis extitit, sed in ingressu regni sublimis apparebit: qui cum Senatoribus terræ residet, quia iudicij sententiam cum sanctis eiusdem Ecclesiæ Prædicatoribus decernet, sicut*

& ipſe in Euangelio dicit: Sedebitis ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim Tribus Iſraël, &c.

6. Bernardus. *Veniet Dominus iudicij, qui ipſas quoque iuſtitias iudicabit, vbi plus valebunt pura corda, quàm aſtuta verba.* Et in tractatu de Interiori domo cap. 38. *Attende quàm citò veniet dies vltima, præſentaberis ante tremendum Iudicem, accuſaberis multis & magnis offenſis*, &c.

Vt breuior fiam, cæteris teſtimoniis ſacris omiſ-
Act. 17. ſis. Dico cum Paulo. *Nunc Deus annuntiat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant; eo quod ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem in æquitate.*

§. II.

Traditio vetus, Iudicium vniuerſale aſtruit.

1. EX ſuperius dictis de Iudicio animæ ſeparatæ, & fine mundi ſatis patet vetus Traditio de Iudicio vniuerſali. His pauca hæc addam, quæ præcipuè faciunt de eo ſingularem mentionem. Et primò Oracula Sybillina Erithrææ Sybillæ, de quibus fit mentio apud Euſebium de vita Conſtantini, prædicant illud Iudicium in acroſticheo poëmate: Ieſus Chriſtus Dei filius, Seruator, Crux.

Iudicij fuerit cum ſignum, terra madebit,
Et cælo veniet princeps per ſecla futurus,
Scilicet vt carnem præſens, & iudicet orbem.
Omnis homo hunc, fiduſque Deum, infiduſque videbit.
Anà cum Sanctis excelſum: fine ſub æui,
Sede ſedens animas cenſebit, corpora & ipſa.
Cherſos erit mundus, ſpinas feret vndique tellus:
Reijcient ſimulachra homines, & munera diuis.
Inquirens portas infringet carceris atri:
Sic etenim cuncta veniet lux libera carni.
Tunc ignis ſanctus ſontes æternus aduret,
Occultos actus omnes & quiſque loquetur.
Sed tenebroſa Deus colluſtrans pectora pandet, &c.

Et venient omnes Reges magni ante Tribunal.

Quod quidem poema legit Cicero, & in Romanam dialectum transtulit, & suis inseruit Commentariis.

2. Manilius lib. 4. his concordat, cum ait:

Quæsitor scelerum veniet, vindexque reorum,
Qui commissa suis rimabitur argumentis,
In lucemque trahet, tacitaque licentia fraude, &c.

3. Huc quoque spectant iudicia Rhadamanti, & Minoïs, fabulis adumbrata apud omnes Poëtas.

4. Diphilus Comicus apud Clementem Alexandrinum lib. 5. Strom. idem sentit de Iudicio futuro, vt hæc verba declarant.

Tunc arbitraris mortuos, Nicerate,
Qui se omnibus dedêre vitæ gaudiis,
Fugisse Numen, & latere postea?
Est iustus oculus, cuncta qui solus videt:
Hinc inferorum ponimus duplicem locum,
Hunc destinamus impiis, illum piis, &c. Et Postea:
Errare noli, Iudicem inferi dabunt
Deum, supremum Regem, & authorem omnium, &c.

Cui conuenit Tragœdia apud eundem:

Erit profecto sæculi tempus noui;
Quando ignis effundet refertas copias, &c.

Tandem, ne sim prolixior, vno verbo dicam Trism. in Pymandro, Platonem in Tymæo, Phæd. & alibi, Orphæum, Lucanum, Lucretium, Heraclitum, Hesiodum, Panætium, Virgilium, Ouidium, Senecam, Ciceronem, & alios Philosophos, & Poëtas, de hoc vltimo Iudicij die multa scripsisse, quæ potes videre apud Clementem Alexandrinum in lib. Stromatum, Augustin. in libris de Ciuitate Dei, Tertullianum de spectaculis, de resurrectione carnis, & Commentaria Pymandri Trismegisti per Roselum lib. 3. pag. 6. 7. &c.

§. III.

Iudicium vniuerſale Rationi naturali conſentaneum.

1. RAtio congruentiæ, quæ aſtruit generale hoc Iudicium, ſumitur ex natura iudicandorum hominum, qui ſcilicet, cum ſint eiuſdem naturæ, & ſpeciei vnius, debent omnes iudicari, vt tota ſpecies ſimul iudicium ſubeat, tanquam vnum corpus.

2. Petitur ex natura Iudicis, vnius eiuſdemque, qui ſcilicet ipſe Deus, vel potius Chriſtus, qui ſimul Deus, & homo eſt, vt inferiùs dicam, vbi de Incarnatione: multùm enim intereſt diuinæ gloriæ, & prouidentiæ, vt omnibus hominibus appareat æquitas, ſeu iuſtitia admirabilis ſummi huius Iudicis, quæ obſeruata fuit in ſingulorum iudiciis particularibus; vt ipſe coram omnibus iuſtificetur contra impios, murmuratores, & calumniatores diuinæ iuſtitiæ. Ideo *iudicium, & iuſtitia* dicuntur *præparatio* ſeu ornatus *ſedis*, & throni eius.

3. Ex ipſa communi omnium cauſa, quæ ſimul debet decidi, & diiudicari, ita vt coram omnibus impij condemnentur, & puniantur, & iuſti ac probi iuſtificentur, & remunerentur ſimul.

4. Ex ipſa iuſtitia, quæ exigit, vt publicè humiles exaltentur, qui per totam vitam continuis calumniis, iniuriis, & confuſionibus vexati ſunt; ſuperbi verò, & hypocritæ humilientur, & confundantur, præſertim cum ſua vitia ſæpe virtutis pallio operuerint.

5. Ex peccatorum natura: cum enim omnia peccata ſint contra diuinam Majeſtatem perpetrata, iuſtum eſt, vt publicè iudicentur, condemnentur, & puniantur; vt ſolet fieri apud forum Regum terrenorum de peccatis læſæ Majeſtatis.

6. Ex natura diuinæ in Deum charitatis, pietatis, & religionis, quæ etiam debet remunerari, tanquam bonum publicum: omnis autem actio iustorum, licet fiat in occulto, est tamen quasi publica, ratione principij, & obiecti; imò nemo inter adultos saluus fiet, nisi debitum Deo cultum exsoluerit, imò etiam publicè fuerit professus, saltem quoties illud necessarium fuerit. Et hæc satis ad astruendam contra impios iudicij extremi veritatem, quam omnes diu, noctuque meditari deberent, & præuenire vera & digna pœnitentia. *Quia*, inquit Tertullianus, *Iudicij prima origo, vnde & delicti; tolle ergo delictum, & non timebis iudicium. Pronunciet in te peccatore pœnitentia, & pro Dei indignatione fungatur, temporali afflictione æterna expungens supplicia Quia autem ipse Dei filius, æterna Patris sapientia, tuus est futurus Iudex, sequere Orphei consilium.*

Et Verbum aspiciens diuinum, totus in illo
Persiste, atque tuæ præcordia corrige mentis.
Ingrediens recta, & solum cæli aspice Regem
Immortalem.

Caput XXX.

De cultu Animæ, & conclusione huius primi Libri.

1. *Credere oportet*, inquit Apostolus, *accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Hoc est enim primum, & firmissimum fundamentum omnis Religionis & virtutis, scire, vel credere diuinum Numen esse, ac esse prouidum, & iustum. Quam veritatem, vt reor, satis in hoc libro apertam, & manifestam habes, mi Lector; vt pote ab ipso Deo, qui est æterna sapientia, & veri- Hebr. 11.

Digitized by Google

tas, reuelatam per Scripturas ſacras; communi omnium populorum, & nationum, ab orbe condito, ad hoc vſque tempus, vnanimi conſenſu acceptam; ab omnibus ſapientibus, & ſanctis viris prædicatam; Philoſophorum omnium dogmatibus illuſtratam; tot miraculis, & prodigiis fundatam; & ratione naturali firmatam.

2. Quid ergo huic poſito fundamento addere te conuenit, diligenter attende; nempe cultum diuinum, timorem, & *amorem* huius adorandi *Numinis. Hoc ſit ergo*, inquit Plinius, *negotium tuum, hoc otium, hic labor, hæc requies, in his vigila, in his etiam ſomnus reponatur. Deus enim*, vt bene ſentit Celſus apud Originem lib. 8. *nullo pacto vnquam relinquendus eſt, non noctu, non interdiu, non in priuato, non in publico, non in cogitationibus vllis, non in operibus; ſed ſiue cum his, ſiue ſine his, ſemper intenta ad Deum ſit anima.* Illi ſupremum cultum debes, vt Deo; timorem, vt Domino; amorem, vt Patri prouido; obedientiam, vt ſummo omnium Principi & moderatori; gratitudinem, vt benefactori; te ipſum tandem, vt primo principio, & fini vltimo.

3. Nec ſolùm Deum optimum maximum, & prouidum in hoc libro inſpexiſti; ſed & te ipſum ad Dei imaginem factum, & animam tuam immortalem, & Angelicæ naturæ adſimilem vidiſti. Noli ergo eam negligere, noli Dei imaginem peccatorum fæcibus ſordidare, noli angelicam ſimilitudinem carnali contagione labefactare: ſed vt ait S. Leo ſer. 1. de Nat. Dom. *agnoſcens dignitatem tuam, intellectualis & aliquatenus diuinæ factus conſors naturæ, caue ne ab illa eminenti excellentia, vili, & prophana conuerſatione decidas. Etenim*, inquit Epictetus apud Arrian. lib. 2. cap. *Principale quiddam eſt delibatum ex Dei natura, habens aliquam partem, id eſt, participationem eius in temet-ipſo. Quare ignoras proſapiam tuam?*

Digitized by Google

neſcis te nutrire Deum, exercere Deum, circumferre Deum? Te ignoras, ô miſer. In te ipſo, inquam, illum geſtas, quem coinquinari abs te non ſentis. Impuris enim cogitationibus, ſordidiſque actionibus id facis: quod ſi effigies quædam Dei adeſſet, non in animum induceres tale quid agere; Deo autem ipſo præſente in penetralibus & inſpiciente omnia, atque audiente, non pudet iſta cogitare, aut facere, propriæ ignarum naturæ, & dignum, cui ſit iratus Deus?

4. Neque etiam te decet obliuiſci miram diuini Numinis dignationem, & magnam charitatis dilectionem, qua te Geniorum, ſeu Angelorum commiſit cuſtodiæ. Iis enim *mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Pſ. 90. v. 11. *Quantam*, inquit Bernardus in Pſal. 90. v. 11. Qui habitat, ſerm. 12. *tibi debet hoc verbum inferre reuerentiam pro præſentia, afferre deuotionem pro beneuolentia, conferre fiduciam pro cuſtodia? In ipſo ergo affectuosè dilige Angelos eius, tanquam futuros aliquando coheredes tuos; interim verò actores, tutores à Patre præpoſitos. Quoties ergo grauiſſima cernitur vrgere tentatio, & tribulatio vehemens imminere, inuoca cuſtodem tuum, ductorem tuum, adiutorem tuum: in oportunitatibus, in tribulatione inclama eum, & dic: ſalua nos Domine, perimus.*

5. Quia autem Deus videt, & odit, & grauiter punit peccata, ab iis diligenter abſtine, dele commiſſa fletibus, & fuge à facie eorum tanquam à facie colubri, & mortis animæ; *eſt namque iuſtus criminis vltor Deus.*

Diphilus apud Clem. Alex. lib. 5. Strom.

Eſt, profectò, ſi quis interim ſcelus
Patrat, ſceleſtus ponat in lucro moram;
Namque ille tandem maximam pœnam dabit.

Vſque adeo enim, inquit Tertul. lib. 2. contra Marcionem cap. 11. *iuſtitia eſt plenitudo diuinitatis, exhibens Deum perfectum. Et quis boni author, niſi*

Digitized by Google

qui & exactor? & de pœnit. *Quantaſcumque tenebras factis tuis ſuperſtruxeris, Deus lumen eſt. Nemo ergo ſibi aduletur.*

6. Diuinum itaque Iudicium pertimeſce, quia exactiſſimum eſt futurum. Prudenter præueni tuomet iudicio: Dei ipſius cauſam age: accuſa cum Deo peccata tua, iudica illa, rigide condemna quæ Deus in te condemnat, & vera contritione, ac iuſta ſatisfactione placa iratum: & compunctum te ſequatur vera emendatio, *quia vbi emendatio nulla, pœnitentia neceſſariò vana: quia caret fructu ſuo, cui eam Deus ſeuit, ſcilicet hominis ſaluti. Hæc te peccatorum fluctibus merſum perlauabit, & in portum diuinæ clementiæ protelabit.*

LIBER SECVNDVS.

De Religione vera.

CAPVT I.

De neceſsitate, dignitate, & antiquitate Religionis.

1. RELIGIONEM vocamus cultum debitum & exhibitum Deo, tanquam vniuerſali omnium principio & moderatori; ita enim definit Sauanarola, lib. 2. de triumpho Crucis. Cum igitur ſuperiori libro euicerimus, creaturas omnes, præſertimque hominem, ſuam à præpotenti Deo traxiſſe originem; aliquam in terris, eamque veram Religionem agnoſcamus ac profiteamur neceſſe eſt. Enim verò cuilibet effectui naturale eſt dependere à cauſa, eique ſubordinari ac ſubiici; adeo vt transfuſas ab illa dotes atque perfectiones, in ipſam, veluti fontem atque principium, ſumma cum gratitudine refundendas velit. Hinc generoſa illa hominis indoles inſtinctuſque naturalis, quo & in Deum, veluti germanum ac primum ſui principium ſeſe conuertere, illum vt prouiſorem ſapientiſſimum inuocare, ipſi vt benefactori optimo gratum animi ſenſum exhibere, illi vt principi ſupremo totum ſe mancipare ac deuouere, ipſum denique veluti omnium centrum bonorum, omniumque virtutum prototypum imitandum ſibi proponere conſueuit. Vnde

Dionyſius. *Omnia*, inquit *ad Dei amorem conuertuntur, & appetunt ei aſſimilari.* Et Proclus. *Cuncta precantur; ſed alia quidem intellectuali modo, alia rationali, alia naturali.* Quibus fauet Scriptura ſacra, quæ teſtatur Iob 38. *Aſtra matutina Deum laudare, & ipſos leonum catulos quærere eſcam ſibi; & omnia expectare vt det illis eſcam in tempore.*

2. Hinc Veteres dixere, mundum primum eſſe Dei templum; & cuncta precari, hymnoſque concinere ad ordinis ſui Ducem; huius autem templi verum ſacerdotem, & adoratorem eſſe hominem: quia, vt ait Plato in Protagora, *ſolus ex omnibus animalibus, homo diuinæ ſortis particeps effectus eſt in principio: & ideo ob hanc cognationem Deo aras ſtatuaſque dicauit.* Et Tertullianus lib. de Reſurrect. carnis, ait *Deum feciſſe Adamum ad imaginem ſuam, ſuæ Religionis ſacerdotem.*

3. Ex quibus patet Religionis antiquitas veneranda, quæ ſcilicet cum ipſo mundo ortum habuit. Quod confirmant omnes hiſtoriæ tam ſacræ, quàm prophanæ. Ex iis enim videmus priùs Religionem firmatam, quàm ipſas Monarchias; imò quàm ipſas populorum Colonias per vniuerſum orbem diſperſas, de quo conſule Patrem Paſchalem Rapinum in ſuo Naſcente Chriſtianiſmo. Et certè prima Dei cognitio, & fides, primum eſt ſacrificium, quod à nobis exigit Deus; iuxta illud Ozée 6. *Miſericordiam volo, & non ſacrificium, & ſcientiam Dei plus quàm holocauſta*; Cui veritati aſſentitur Philoſophia per Triſmegiſtum in Pim. cap. 1. cùm dicit, *pietatem eſſe cognitionem Dei*: vnde & Porphyrius apud Euſeb. 4. de præp. Euang. cap. 5. *Mundiſſimam*, inquit, *veritatem quaſi ſacram Hoſtiam ei offerimus; ſacrificium enim Deo eſt, aliena ab omni vitio mentis ſpeculatio.* Et Seneca, Ep. 52. *Primus eſt Deorum cultus Deos credere, deinde reddere illis majeſtatem, reddere bonitatem.*

Digitized by Google

4. Verùm, ne putes ab ipſo mundi exordio ſolum hunc cultum ſcientiæ, & fidei Deo fuiſſe exhibitum; omnis Scriptura ſacra, & prophana teſtatur, etiam primos orbis incolas exteriorem cultum huic addidiſſe, aras Deo dicaſſe, & tabernacula ſacra, ſacrificia & incenſum ei obtuliſſe, preces adeum fudiſſe, & in eius honorem cantica ceciniſſe. Teſtes habeo Moſen in Pentateucho, Triſmegiſtum in Pimandro, & Aſclepio, Orpheum,& alios Poëtas in canticis, Herodotum, Platonem, Senecam,& mille alios ſapientes: omnes inſuper Hiſtoriographos, qui hanc veritatem demonſtrant. De ortu, & progreſſu veræ Religionis, conſule eundem Rapinum in 2. tom. Chriſt. naſcentis, tract. primo.

5. Quanta ſit autem Religionis dignitas, ſatis patet 1. ex dignitate ſui obiecti; verſatur enim tota circa diuinum cultum. 2. Ex eiuſdem exemplari, quod habet in cælo, ſeu in ipſis beatis Intelligentiis, quæ triumphantem componunt Eccleſiam. 3. Ex eiuſdem exercitiis, quibus homo admirandum commercium habet cum Deo, ſiue per ſacrificia. 4. Ex eiuſdem fine, quæ eſt perfectiſſima, & fœliciſſima cum Deo vnio interminabilis, eiuſque poſſeſſio beatiſſima. Hinc bene Cicero 2. de Inuent. *Religio*, inquit, *eſt, quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ, quam diuinam vocant, curam, ceremoniamque affert.* Hierocles Pythag. dicit *Religionem Deum facere ex homine.* Idem teſtatur Triſmegiſtus in Pim. cap. 1. Et Plato *eam Deum inter & homines admirandam mercaturam.* Ideo etiam in Exodo, cap. 29. vocatur teſtamentum æternum Dei ad homines. *Teſtamentum æternum conſtituit cum illis.*

Caput II.

De falsis Religionibus, seu potius superstitionibus.

1. *STatim vt Deus coli cœpit*, inquit Tertullianus, lib. Scorp. *inuidiam Religio sortita est: quia Dæmon Dei similitudine frustratum se videns, & dominandi ardore succensus, in impios terræ incolas vsurpauit tyrannidem, qui in cœlicolas authoritatem diuinam voluerat vsurpare. Verùm in abyssum inferni dejectus licet, inflante tamen superbia semper æmulus diuinæ gloriæ extitit. Hinc, Deo iusto iudice id permittente, factus est princeps mundi huius tenebrarum, & pater omnium filiorum superbiæ, qui per peccatum liberè in authorem suæ naturæ rebelles, à summo bono, primo eorum principio, & fine vltimo defecerunt.*

2. Hinc modis omnibus ipse Dæmon tentauit eos, qui se illi tanquam diuinæ iustitiæ executori per peccatum voluntarie subdiderant, à vero Dei cultu auertere, vt iam superiori libro notaui, & prophanum, ac falsum inducere cultum in mundum per superstitionem, *Quæ quidem* ex D. Thom. 2. 2. q. 92. *est vitium oppositum Religioni per excessum, quo quis diuinum cultum exhibet ei, cui non debet, vel non eo modo, quo debet.* Vnde nascuntur multæ superstitionis species, quæ sunt tot prophanæ, & falsæ religiones: scilicet indebitus veri Dei cultus, idolatria, diuinatio, & vana obseruatio.

3. Nam primò ex parte objecti circa quod Religio versatur, potest diuinus cultus exhiberi ei, cui exhibendus est, sed modo indebito; v. g. tempore nouæ legis, peractis iam mysteriis Christi, pernicioſum est vti ceremoniis veteris legis, quibus Christi mysteria figurabantur futura: sicut etiam falsum, & periculosum

esset

esset verbo exprimere Christum adhuc passurum in carne. *Qui resurgens ex mortuis, jam non moritur, & cui mors vltra non dominabitur.* Rom. 6. Estque hæc falsa Iudæorum Religio. Secundò, si cultus diuinus exhibeatur creaturæ, cui non debetur, est idololatria, secunda species superstitionis. Tertiò, quia Religio ordinatur ad hoc, vt homo instruatur à Deo, quem colit: si quis dæmones consulat per aliqua pacta cum eis inita, siue tacita, siue expressa, opponitur veræ Religioni, estque diuinatio, tertia species superstitionis. Quartò, quia ordinatur cultus ad directionem actuum humanorum secundum instituta Dei, qui colitur: vanum est, & temerarium proprio sensu vti obseruantiis quibuscunque, diuina lege prohibitis, estque quarta superstitionis species.

4. Porro vanam & insulsam idololatriæ superstitionem satis superque confutauimus libro superiore, vbi ex Tertulliano euicimus, eos nullum agnoscere, qui plures inuehere ac credere Deos non dubitant. Satis sit & alterum istud D. Athanasij testimonium, ex oratione aduersus idola decerptum, *vt multitudo Deorum, nullitas est Deorum.* Cui attexere licet falsum hoc Senecæ dictum Ep. 123. *superstitio error insanus est; amandos timet; quos colit violat.* Ne igitur actum agere velle videamur, ab ea materia retractanda nobis temperamus. Et quia Iudæorum Religio sancta fuit, & à Deo instituta; vt homines ad Christum, seu Messiam venturum recipiendum disponerentur, per Legis figuras, & ceremonias, per sacrificia, & prophetias: absit, vt contra eam dicendum aliquid habeamus pro tempore durationis eius; cum in ea omnia nouæ legis mysteria fundentur, sitque ipsa præludium Christianæ Religionis. Verùm, ex quo ab ipso Deo illius authore abrogata fuit, non quidem quoad essentiam, sed quoad modum, id est, quoad legalia præcepta, quoad sacrificia, & cultum

exteriorem: impium eſt eam profiteri, & Chriſtum iterum paſſurum, ſeu etiam venturum in carne paſſibili credere; cum omnia iam eius myſteria completa ſint, vt lib. 3. oſtendemus, ſi Deo placuerit.

5. Iam verò Magia, & vana ſuperſtitio, quæ vt plurimum ſui ſunt comites indiuiduæ, ſuum ab Idololatria veluti fonte ac genere ortum ducunt: ſed de iis aut earum cultoribus diſſerere nobis non eſt animus; tum quia erroris, & vanitatis ſatis ſuperque illos conuicimus libro ſuperiore: tum quia legi poteſt Martinus Delrio, qui fuſiorem luculentioremque iis de rebus diſſertationem inſtituit.

6. Reſtat itaque vt de falſa Mahumetis religione, & de tot ſectis Philoſophorum attingam pauca: quamuis earum omnium falſitas ſatis eluceſcat, tum ex rationibus, quas inferius afferam pro veritate Chriſtianæ, & Catholicæ Religionis; tum ex earum impuritate, nequitia, abſurdis commentis, ac deliriis; tum etiam ex eo, quod neceſſariò vnica debet eſſe Religio vera, ſibi ſemper conſtans, à Deo inſtituta, & ſenſim ac paulatim in dies perfecta, vt ſuo loco oſtendam.

Caput III.

De ſectis Philoſophorum veterum.

1. Optime Tertullianus, lib. de anima, Philoſophum definit *animal gloriæ*; nam totum ſe ad famam comparandam dirigit. Quod autem attinet ad Philoſophorum ſectas innumeras, inter ſe omnimode diſcrepantes, etiam in iis, quæ prima ſunt Eccleſiæ fundamenta, nemo ſanæ mentis poteſt earum aliquam pro vera Religione ſumere, niſi ad naturæ legem reducatur. Nec enim inficias ibo, quin eorum permulti illam ſecuti fuerint; imo & peran-

Digitized by Google

tiquas etiam sanctorum Patriarcharum traditiones tenuerint, ac ipsam Scripturam sacram perlegerint, & in honore habuerint, ex qua scilicet Platonici, Pythagorici, Stoici, & alij multa præclara documenta, tanquam ex fonte primario deprompserint, vt optimè probat Paschalis Rapineus in suo nascente Christianismo; quod quidem ex iam notatis & inferius notandis certissimum fit; estque mens Tertulliani in Apologetico. *Quis enim*, inquit, *Poëtarum, quis Sophistarum, qui non de Prophetarum fonte potauerit? Inde igitur & Philosophi sitim ingenij sui riganerunt.*

2. *Verùm*, addit idem Author, *plerique inter eos, vt homines gloriæ, & eloquentiæ solius libidinosi, si quid in sanctis Digestis offenderunt, exinde regestum pro instituto curiositatis ad propria verterunt, neque satis credentes diuina esse, quominùs interpolarent, neque satis intelligentes, vt adhuc tunc subnubila, etiam ipsis Iudæis obumbrata, quorum propria videbantur.*

3. Si quæ ergo in eorum libris legantur congrua veritati Religionis, non eorum sectis attribuendum; sed veteri traditioni, & diuinæ Scripturæ instrumento, & rationi naturali. Ea siquidem sunt, in quibus nobiscum conueniunt, & quæ in ipsa lege naturæ & tradita & credita fuêre, tanquam vera Christianæ Religionis fundamenta, & primordia: v. g. vnicum esse Deum, optimum, maximum, mundi opificem, omnium principium, & finem, prouidum, & iustum, remuneratorem bonorum operum, & rigidum exactorem criminum: bonos & malos esse Genios, seu Angelos, quos etiam Deos inferiores vocabant; animæ immortalitatem, & alia id genus, de quibus in superiori libro, & in tertio.

4. Cum autem eorum libros vides tot erroribus refertos, & in eis tot dogmata sibi inuicem repugnantia, & deliria, aut quid simile, eorum superbiæ

& temeritati tribuendum est; quia permulti eorum
Rom.1. *Deum cum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis.* Hinc Clemens Alexandrinus, lib. 1. Stromatum, Philosophiam comparat nuci, quæ quidem non in totum esui est.

Caput IV.

De Astrologorum secta, & vana obseruatione.

1. QVia vero Astrologi inter Philosophos volunt annumerari, autumantes à cœlo, & astris nostra hæc humana gubernari; eorum error est refutandus. Ridiculum enim est cælestia corpora, vt causas assignare actuum spiritualium humanorum, quales sunt actus intellectus, & voluntatis, quos spirituales esse supra ostendi, vbi de animæ immortalitate, & facile demonstratur sequentibus rationibus, quas affert doctissimus Sauanarola, lib. 4. triumphi Crucis.

2. Nam primò, ordo talis est naturæ, vt inferiora per superiora tantùm regantur: intellectus autem siue Angelicus, siue humanus, cum sit spiritalis naturæ, vt probaui, est superior omnibus corporibus, etiam cælestibus; ergo non dirigitur per astra corporea, sed potius secundùm commune Prouerbium: *Sapiens dominabitur astris.*

3. Secundò, omnes Philospphi testantur nullum corpus agere, nisi per motum corporeum: ergo eorum, quæ sunt omnino extra motum illum, cuiusmodi sunt actiones intellectus & voluntatis, corpus cæleste non potest esse causa: cum potiùs ipsa anima per quietem à motibus, & per quandam à corpore abstractionem prudens, scienſque efficiatur. Et confirmatur; quia non tantùm quod mouetur corpus est, sed etiam quod motus corporei impressionem

Digitized by Google

ſuſcipit; quia in hoc eſt mobile: intellectus autem nec eſt corpus, nec virtus organo corporeo alligata.

4. Tertiò, quæ à motibus cæleſtibus fiunt, ſubjiciuntur tempori, quod eſt numerus motus primi mobilis: intellectus autem, aut voluntas nec à loco, nec à tempore dependent; cùm intellectus conſideret ipſa vniuerſalia, & futura, & præſentia, & præterita, Angelos, ipſam diuinam eſſentiam: Et ſimiliter voluntas fertur in amorem ipſius Dei, ipſius æternitatis, & ſpiritualium bonorum.

5. Quartò, nihil agere poteſt extra ſuam ſpeciem; ergo nulla corpora poterunt intelligere, aut velle; quia intellectio, & volitio ſpirituales actus ſunt: multò autem minùs poterunt in alio producere intellectionem, aut volitionem. Fateor tamen corpora cæleſtia poſſe indirectè, per phantaſiam & imaginatiuam virtutem, & alias corporis humani facultates concurrere ad intellectionem, & volitionem, mouendo ſpecies corporeas, & temperiem humorum, quod euenit ex intima vnione animæ rationalis cum corpore. Veruntamen, illa motio eſt tantùm moralis; vnde non poſſunt aſtra dici cogere voluntatem; ſed tantùm mouere aliquatenùs, ſeu per accidens, ac mediantibus facultatibus corporeis, in quas ipſa voluntas abſolutam habeat authoritatem, manens ſemper in ſe libera, ſicut intellectus. Plura vide apud Sauanarolam loco citato, ſi tamen lubet: *Quia*, inquit Tertullianus de Idololatria, *de Aſtrologis ne quidem loquendum eſt: vnum propono, Angelos illos deſertores Dei, eſſe proditores etiam huius curioſitatis; propterea quoque damnatos à Deo.*

CAPVT V.

De Sectis Hæreticorum.

1. CONditio *præsentium temporum*, inquit Tertullianus de præscriptionibus hæreticorum, *etiam hanc admonitionem nostram prouocat, non oportere nos mirari super hæreses, siue quia sunt; futuræ enim prænuntiabantur: siue quia fidem quorumdam subuertunt; ad hoc enim sunt, vt fides habendo tentationem, haberet etiam probationem.* Hæretici autem dicuntur, qui licet Christum, eiusque Euangelium confiteantur, variis tamen implicantur erroribus; quia, vt bene notat idem Author. *Deuiarunt à regula fidei, quæ est non Scriptura sola, sed traditio simul cum ea; fides enim in regula posita est: aduersus regulam nihil scire, omnia scire est.* Vnde etiam non vult eos admittendos ad vllam Scripturæ disputationem; tum quia illam, vel non integram recipiunt, vel deprimunt: tum quia pro suo proprio sensu explicant. *Tantùm autem veritati obstrepit adulter sensus, quantùm & corruptor stylus.*

2. Quia verò singulorum dogmata recensere, & refellere, in maius volumen excederet, omnes simul possumus falsitatis, & impietatis hæreses arguere, & destruere iisdem rationibus, quibus ipse Tertullianus vsus est contra sui temporis hæreses: Etenim multa inter se mala habent communia, quæ earum naturam peruersam demonstrant. Nam 1. omnis hæresis humanæ temeritatis, non diuinæ authoritatis negotium est, quæ sic semper emendat Scripturas, dum vitiat.

2. Ab idololatria, & impietate parum distat; cum & authoris, & operis eiusdem sint, & aliquam Deo

perfectionem essentialem detrahant, quâ sublatâ, restat idolum potius quàm Deus.

3. A Sophistica Philosophia subordinatur, & pro fundamento suo rationem naturalem deprauatam, & proprium cuiusque hæretici sensum habet; non verò diuinæ reuelationis authoritatem.

4. Ecclesiæ scindit vnitatem, quæ ab ea inseparabilis est, vt infra ostendam, cap. 7. Vnde hæretici à capite Ecclesiæ, tum inuisibi, cum visibili, tanquam corrupta membra separantur.

5. A D. Paulo inter crimina carnalia enumeratur hæresis. Quia scilicet corrupta mens etiam corpus sæpissimè fœdat: vnde vix hæresiarcha visus est vnquam impollutus, & expers carnalis contagionis, vt tota refert historia. Gal. 5. v. 20.

6. Sibi inuicem omnes contrariantur hæreses; imò nulla sibi ipsi constans est, sed asserit hodie, quod cras negabit, multasque in seipsa contradictiones inuoluit, vt optimè demonstrant Controuersistæ.

7. Omnes tument hæretici, & horrenda superbia inflati suum iudicium proprium, communi iudicio totius Ecclesiæ præferunt, vt etiam diuinæ authoritati; vnde etiam more Pharisaïco omnes alios iudicant, omnes condemnant, omnes aspernantur, se solos sufficientes sibi, & iustos, & doctos reputantes; quod proprium est hæreticorum omnium.

8. Nullæ hæreses possunt edere origines suarum Ecclesiarum, nec suorum Episcoporum successiuum ordinem à tempore Apostolorum, vel Apostolicorum virorum afferre, neque ostendere vllum è suis authoribus, aut Apostolum, aut virum Apostolicum, qui cum Apostolis in doctrina, & communione Ecclesiæ perseuerauerit.

9. Ipsa quoque hæretica conuersatio, vt asserit Tertullianus, omnino futilis, terrena, humana est; sine grauitate, siue authoritate, sine disciplina; vt

fidei ſuæ congruens. *In primis enim* loco citato, cap. 41 *quis Catechumenus, quis fidelis, incertum eſt: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant; etiam Ethnici ſi ſuperuenerint: pacem miſcent cum omnibus. Nil enim intereſt illis licet diuerſa tractantibus, dum ad vnius veritatis expugnationem conſpirent: Omnes tument, omnes ſcientiam pollicentur; ipſæ mulieres audent docere, & contendere: ordinationes inter eos nullæ, vel temerariæ: leues, & inconſtantes ſunt, nunc Neophytos collocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc Apoſtatas noſtros, vt gloriâ eos obligent, quia veritate non poſſunt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius: hodie Diaconus, qui cras Lector: hodie Preſbyter, qui cras Laïcus; nam & Laïcis ſacerdotalia munera injungunt.* Qui crediderit eam veram Religionem à Deo ordinatam, in qua tot mala, & tot confuſiones paſſim cernuntur? Certè, vt ait Epiphanius, lib. Ancorit. *Hæreſes ſingulis temporibus ſeipſas polluunt, vt ab Eccleſia abalienent, ſemper iniquitas mentita eſt ſibi.*

Pſ. 25. v. 12.

CAPVT VI.

De Secta Mahumetica.

1. MAhumetica Secta etiam faciliùs ſeipſa deſtruitur, cum nihîl, quod veram Religionem redolet, contineat, ſitque omnium falſarum Religionum quaſi compendium, ſeu complementum: habet enim cum Iudæis Circumciſionem, & quaſdam legis veteris ceremonias: tenet Fatum cùm Aſtrologis, & omnium ferè hæreſeôn continet errores; vnde ex omni parte vitiata eſt, neque vlla ratione diuina, aut humana, ſed ſola vi armorum, & tyrannide ſuſtineri poteſt. Eius autem falſitas anoteſcit

Primò, ex impietate, & ignorantia authoris eius. Mahumetes enim, vt ex ipso Alcorano liquet, in quo eius vita scribitur, vir fuit muliebris, lubricus totus, huius mundi & sensibilium amator, tyrannus insuper, & crudelis, comitiali morbo infectus, qui diuinorum se mysteriorum inscium aperte profitetur: varius insuper ac desultorius fuit, comitemque sibi adsciuit Sergium quemdam monachum apostatam, eiusdem farinæ hominem, cuius operâ vsus est in euulgandis anilibus prauisque dogmatibus, quemadmodum testatur Recardus Nobilis Arabs Christianus.

Secundò, ex doctrina Alcorani, quæ in nulla ratione vel naturali, vel supernaturali potest fundari. Liber enim ille, quem vocant Alcoranum, id est, præceptorum collectionem, tot fabulas, & commenta, totque contra bonos mores, vel imperata, vel permissa continet, idque insulsè, & confusè, vt nullum in eo deprehendere sit ordinem; immo deliria plura, pluraque impudica & impia commenta, sarcasmo & cachinno potius quam fusiori confutatione digna.

Tertiò. Innumeræ ferè contradictiones in eo libro continentur; Etenim quatuor Euangelia, vetusque Testamentum vbique probat, & confirmat Christum de Virgine natum, prophetamque verissimum confitetur; & tamen eius doctrinam negat, & contrariam docet, & sequitur.

Quartò. Impura hæc Secta, terrena tantùm sapiens, nulla veræ beatitudinis habita mentione, bestialem quamdam voluptatem, ventri consentaneam, post præsentem vitam pollicetur; nullamque tradit normam ad benè beatéque, imò & moraliter viuendum. Vnde quacumque secta Philosophica impurior. Quod etiam Auerrhoës & Auicenna Philosophi, licet Arabes, agnouerunt, testantes Philoso-

phos veteres meliùs de beatitudine ſenſiſſe, & diſſeruiſſe, quàm Mahumetem.

Quintò. Ex ipſius Sectæ ſtabiliendæ modo. Nam ipſe Mahumetes ait Chriſto miraculorum virtutem, quibus potiſſimè mundum conuerteret, ſibi verò gladij poteſtatem eſſe conceſſam, & ad hoc miſſum, vt per vim ad fidem ſuam populos conuertat; perinde ac ſi per tyrannidem, voluptateſque fiat acceptabile Deo ſacrificium. Vnde nil mirum, ſi armorum pondere, non rationum, licuit per illum de lege ſua diſputare; nouerat quippe illam nulla ſe poſſe ratione tueri. Cum tamen Religionis non ſit, Tertulliano teſte cogere Religionem, quæ non vi, ſed ſponte ſuſcipi debet: quia & hoſtiæ ab animo lubenti expoſtulantur, nemoque ſe ab inuito coli vellet, ne homo quidem. Quod autem maximum inter eos habetur: *Non eſt Deus, niſi vnus, & Mahumetes nuntius eius*, & *Deus eſt magnus & potens*, & notiſſima quædam de Deo, multis deturpata fabulis, quas neque pueri noſtri dignarentur credere, non nihil ei authoritatis addit, ait Sauanarola lib. de triumpho Crucis: cum ſint hæc prima ſolùm elementa Philoſophiæ naturalis, quæ etiam deprauat tot deliriis. Quàm verò ſtultè Mahumetes in Alcorano ſibimet contradicat, vel ex eo apparet, vbi ſe neſcire fatetur vtrum ipſe, & ſui in via ſint ſalutis, nec ne; neminemque inter mortales haberi, qui Alcoranum intelligat. Certè talis author doctrinæ, lapidibus potius obruendus eſſet, quàm audiendus & imitandus.

Nec tamen mirari ſubit, quod tot ac tantos populos, ſiue molles & effæminatos, ſiue fortes & bellicoſos dementauerit, ſuamque in ſectam quantumuis nefariam pellexerit: in tantum quippe fauet ſenſibus, tantumque deprauatæ indulget naturæ, vt nulli non abblandiatur homini, carnem odio non habenti. Addiderim ego Mahumetem ferro ſtrepituque armo-

Digitized by Google

rum plures subegisse, quàm legum à se conditarum sanctitate, & auctoritate. Qua in re profectò elucet horrendum, sed æquum Dei iudicium, permittentis, vt qui rebelles fuere lumini, & oblati sine sumptu Euangelij perlucidæ veritati acquiescere noluerunt, euidentissimæ falsitati credere, vel cedere cogantur etiam inuiti.

CAPVT VII.

Quod necessariò vnica est vera Religio.

QVi de summis rerum principiis doctissimè disputarunt, Mercurius, Plato, & Pythagoras, vnitatem bonorum omnium, multitudinem malorum omnium originem statuerunt: vnitas enim totius entis est fibula, & productionis ac conseruationis systasis, quæ in mutuo partium nexu, ac vnione consistit; multitudo verò diuisionis est cuneus, pugnæ & discordiæ fomes, omnia vrgens, & cogens ad interitum. Et certè vnitas cum ente vicissim, & retrò commeat: sicut dualitas cum eo, quod non est. Perire enim necesse est quidquid diuiditur; cum diuulsis, dissociatisque partibus, non possit actu permanere. Neque solum id verum est in physicis; sed etiam in moralibus, vbi & virtus vnica opponitur duobus extremis, & aurea mediocritas inter duo vitia interjacet; vnde peccatum est de numero infinitorum: vnica virtuti, & saluti proinde stat via; multa malis. Quæ si in naturalibus vera sunt, quantò magis in sacris, & diuinis, qualis est Religio, quæ tota circa diuina versatur, cognitione, amore & cultu? Itaque multitudinem Religionum rescindamus, vt diuisionem, & interitum earum vitemus. Certè sicut pluralitas deorum, nullitas deorum est; sic & Religionum. Ergo

ſicut vnus eſt Deus, ſic & vna fides, vna Religio. Quod probo ſequentibus rationibus.

Prima ſumitur ex ipſa Religionis natura. Eſt enim virtus quædam, per quam homo exhibet debitam reuerentiam, & cultum Deo ſub vna ratione, ſcilicet, vt eſt primum principium creationis, & gubernationis rerum omnium, vt teſtatur. D. Thom. 2. 2. q. 81. art. 3. Ergo cum virtutes diſtinguantur ſecundùm diuerſam rationem obiecti, neceſſariò vna, eadémque eſſe debet Religio, quæ ſuum obiectum eadem ratione conſiderat.

Secunda ratio Religionis vnitatis, ſumitur ex eius ſubiecto, quod in omnibus idem eſt, ſcilicet homo, eiuſque intellectus, & voluntas, in quantum eadem in omnibus hominibus debent diuino ſubiici imperio libenter, & voluntariè. Eſt enim Religio, nobilis quædam ſeruitus hominis erga Deum authorem omnium, & ſummum Imperatorem, quem omnes homines vt ſic credere, fateri, & colere debent, eique in omnibus ſubiici eodem prorſus modo.

Tertia ratio ſumitur ex eo, quod Religio propriè eſt regnum Dei, iuxtà illud: *Regnum Dei intrà vos eſt.* Luc. 17. v. 21. Eſt enim omnium hominum ordinata ſubiectio, ſub vno ſummo principe Deo opt. max. ergo vnica eſt.

Confirmatur ex eo, quod Monarchia eſt perfectiſſimum regimen; ergo Deo & Religioni eius competit. Hinc bene definitur Hierarchia, quæ eſt Eccleſiæ, & Religionis regimen, à D. Thom. 1. p. q. 108. art. 1. *Sacer principatus.*

Quarta ratio ſumitur ex actibus internis Religionis, qui in omnibus iidem eſſe debent, ſcilicet fidei, ſpei, charitatis, & obedientiæ. Fidei quidem, qua diuinam veritatem credimus, & agnoſcimus, & qua intellectum noſtrum Deo loquenti, ſeu per Scripturam, ſiue per Prophetiam, ſiue per creaturas, ſiue etiam per traditionem communem, ſubiicimus.

Digitized by Google

Spei, qua tendimus in Deum, vt finem vltimum, & noſtram Beatitudinem.

Charitatis, qua Deum diligimus vt Patrem, vt benefactorem, vt ſummum bonum, &c.

Obedientiæ, qua eiuſdem Dei legibus, & præceptis nos omnimode ſubdimus. Illi autem actus iidem ſunt in omnibus, qui verum Deo cultum exhibent. Nam 1. veritas eadem, & vnica eſt, quia eſt æterna.

2. Idem eſt omnium finis vltimus, & eadem beatitudo, nempe Deus optimus maximus.

3. Idem eſt omnium Pater & benefactor, & ſumma bonitas.

4. Idem eſt omnium Dominus. Et confirmatur: quia omnes illi actus ab intellectu, & voluntate hominum eliciuntur; quæ quidem facultates eædem ſunt in omnibus, & eodem modo ſuos actus proferunt.

Quinta ratio ſumitur ex iiſdem etiam actibus externis Religionis, qui ſunt, ſacrificare, orare, laudare, thus offerre, & ſe humiliare coram Deo, ſiue per proſtrationes, ſiue per genuflexiones, ſiue per inclinationes, & alia id genus. Hi autem actus ſunt communes omnibus hominibus erga Deum deuotis per Religionem. Nec obſtat quod diuerſa fuerint ſacrificia, & varij ritus, aut ceremoniæ: quia hæc ſunt accidentalia, non verò eſſentialia Religioni in genere ſumptæ.

Sexta ratio ſumitur ex Religionis perfectione. Eſt enim inter virtutes morales perfectiſſima; imò ſi ſumatur completè, id eſt, non vt ſimplex virtus, ſed vt continens omnia, quæ ipſam ſpectant, & quæ in ſe eminenter continet, eſt quid diuinum, & perfectiſſimum, vt capite 1. demonſtraui. Continet enim omnes actus Fidei, Spei, Charitatis, & Obedientiæ, cultus omnis exterioris, & interioris diuini, quiſquis ſit, nempe oblationis, ſacrificij, adoratio-

nis, laudis, &c. Ergo cum eò res sit perfectior, quò magis participat vnitatem, necessariò vnica Religio debet esse. Et confirmatur, quia eius præcipuum officium, & primus actus, vel effectus est vera & sublimis diuinæ majestatis cognitio: Plures religiones in hoc dissentientes non possunt esse simul veræ; cum veritas sit vna, & æterna. Hinc fit, vt vera Religio omnes alias diuersas à se condemnet; quia vnica virtutis, & veritatis est via.

Eph. 4. Ergo concludo cum D. Paulo. Omnes quotquot sunt veri fideles, vnum corpus Religionis constituunt per vnitatem vnius *Spiritus* Dei viuificantis: vocati à Deo Patre luminum in vna spe vocationis: quorum ideo vnus est Dominus, cui diuinum cultum exhibent: vna quoque Fides, quæ per dilectionem operatur: vnum Baptisma, & Sacramenta vnius eiusdemque rationis, in quantum eandem fidem internam, & eandem sanctitatem significant.

Vnus etiam est eorum *omnium Deus, & Pater omnium, cui seruiunt.* Deus quidem, vt Creator, Pater verò, vt prouidus mediorum ad consequendam beatitudinem collator: qui, cum sit super omnes, & Deus Deorum, Deos seu Genios, vel Angelos, & Iudices, ac Heroas, siue Sanctos dijudicans, ab omnibus supremo latriæ cultu adoratur: quique per omnia laudabilis, & sua intima præsentia omnia permeans, sua admirabili prouidentia, & sapientia

Sap. 8. v. 1. *Attingit à fine ad finem fortiter, disponens suauiter omnia in omnibus nobis, cui honor & gloria in sæcula sit.*

1. Tim. v. 1. 17. & 6. 16. & Heb. 13. 21.

Caput VIII.

De vera Religione in lege Naturæ.

VT cognoscamus facilius veram Religionem, id est, Christianam viguisse in lege Naturæ, operæ pretium est explicare, quid per illam Naturæ legem

intelligamus, quænam sit illa prima mundi lex, & quænam sit eius virtutis duratio? Quod vt facile cognoscatur, eius origo, & natura explicandæ sunt.

Quia mundus iste, quem Græci κόσμον appellauere ob elegantem eius ordinem, miram pulchritudinem, & constantem vicissitudinem, perfecta est communitas, è creaturis in commune bonum collineantibus contexta: supremum debet agnoscere moderatorem, à quo suis in muneribus obeundis immediate dirigatur: Hæc autem directio recte fieri non potest, nisi lex vigeat suprema in mente præpotentis archetypi, quæ suos quibusque creaturis fines præscribat, & altera inferior, qua creaturæ præsertimque dianoëticæ nouerint qua ratione suos in fines collimare possint ac debeant. Hinc duplex ab omnibus Philosophis atque Theologis agnoscitur lex: diuina scilicet, quæ summa est ratio gubernandi creaturas, in mente Dei existens ab æterno: & naturalis, seu quidam lucis diuinæ radius, de quo loquens Propheta regius, ait: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Nec immerito sane, quia illius ope Creatorem non tantum, atque prouisorem Deum cernere ac venerari possumus, verum etiam bonum à malo, verum à falso dispescere; vnde natiua quædam in bonum propensio, & à malo auersio emergit, quæ synderesis seu conscientia, seu vermis conscientiæ dicitur, eo quod per illam quæ nobis congenea est, ad vniuersalium beneuiuendi præceptorum notitiam torqueamur, ac velut acutioribus stimulis pungamur, quoties graue aliquod scelus certa ex scientia perpetramus.

Ex quo sequitur 1. Quod lex naturalis, prima est regula creata humanarum actionum; sicut enim gratia supponit naturam, ita & leges cæteræ naturalem, adeout ei nullatenus aduersari possint, si rectæ fuerint & iustæ. 2. Quod cum lex omnis propria, quædam

complectatur legis naturæ præcepta, prima quoque humanorum actuum principia lumine naturali comperta sunt, vel in se, vel facili & euidenti ratiocinio. 3. Quod lex naturæ vna est vnitate ordinis, quia omnia ab vno primo pendent præcepta, nimirum quod bonum sit amandum, malum vero fugiendum.

Hinc quoque colligere est hominem naturali teneri desiderio boni triplicis, nimirum illius quod sibi commune est cum omnibus entibus, qualis est vita & conseruatio vitæ: & illius quod habet commune cum aliis animantibus, qualis est amor in liberos, & tenera eorumdem educatio: illius denique quod sibi vni proprium est ac peculiare, vt cohærenter rectæ rationi viuere, Dei notitiam in votis habere, ipsum vt Parentem optimum diligere, timere vt Iudicem, in illum veluti finem suum vltimum tendere, ipsi denique vt primo rerum omnium principio, vitæque necisque arbitro cultum, reuerentiam & honorem exhibere. Quæ mens est D. Thomæ, lib. 3. contra gentes, cap. 129. & opusculo in Boët. vbi asserit Deum esse naturalem hominis finem, nec tamen naturaliter ab eo assequendum, sed solum per gratiam. Colligere est pariter cum Aristotele, hominem esse animal politicum & societatis amans, sicque non debere alteri facere, quod sibi non vult fieri. Hinc præceptum dilectionis proximi, sicuti mandatum amoris cultusque diuini emanat à primo.

Ex quibus concludere est cum sancto Thom. 1. 2. q. 94. art. 4. 1. prima legis naturæ principia nota esse omnibus, eorumque sequaces nunquam male agere. 2. Legem hanc immutabilem esse quoad præceptorum abolitionem, vtpote ab æterna & immutabili Dei lege oriundorum. 3. Legem istam in hominibus ratione vtentibus aboleri penitus & obliterari non posse; adeo vt in damnatis etiam inuitis vigeat superstes, non quidem ad directionem, sed ad accusationem:

nem: nec tamen diffitendum deleri aliquatenus posse, nimirum quoad præcepta secundaria, quæ quidem ignorari possunt ab idiotis hominibus; sicuti prima, quæ numquam ignorantur, possunt à nefariis hominibus practicè non applicari, id est, debita executione defraudari.

Porro lex illa naturalis tria continet media ad salutem consequendam, scilicet 1. Dei cognitionem, siue per Rationem naturalem, siue per fidem, quam singulis hominibus (qui nullum ei opponunt peccati obicem, per actualem & culpabilem transgressionem legis naturalis) Deus offert, & confert. 2. Motum interiorem gratiæ, sicut & externa auxilia, vt spes, & charitas Dei, & proximi elici possint, diuina seruentur Præcepta, & Deo debitus reddatur cultus. 3. Sacramenta quædam, vel sacrificia ad peccatum originale delendum. Quæ omnia per Christi meritum conferuntur; quia pro omnibus morituras erat, & mortuus est.

Fides autem, quæ fuit in lege Naturæ, ad salutem obtinendam necessaria, habebat pro obiecto explicito primario Dei existentiam, vnitatem, prouidentiam, bonitatem, iustitiam, & alia attributa communia, & in eo præcipuè rationem primi omnium principij, & finis vltimi, vt summi boni, & beatitudinis hominum; pro obiecto verò implicito etiam Christum, seu Messiam, & Reparatorem. Sic tamen, vt de eo satis fuerit credere, Deum prouidum suppeditare omnia ad æternam salutem auxilia necessaria, iuxta illud Pauli. *Sine fide impossibile est placere Deo, & accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Ac proinde illa fides in Christum implicita, continebatur in spe in Deum remuneratorem, quem amare vt patrem, & beneficum & summum bonum, ac etiam desiderare vt suam beatitudinem quiuis te-

Bagot. in Apol. Hebr. 11.

netur, cum cognitione propriæ miseriæ, & necessitatis diuini auxilij.

Quo ad sacrificia legis Naturæ, ex D. Thom. 1. 2. q. 103. art. 1. ad 1. illis in specie relicta sunt libera, modò essent diuino cultui interno idonea, nec rationi naturali, aut humanitati contraria. Idem est censendum de aliis ceremoniis: quæ tamen omnia eodem fere in vsu fuerunt apud omnes gentes, edoctas scilicet per traditionem sanctorum Patriarcharum, & rationem naturalem, simul cum diuino instinctu.

Tandem lex illa Naturæ non tantùm floruit vsque ad legem Mosaïcam, quæ ei fuit superaddita apud populum Israëliticum; sed etiam vsque ad Christum in omnibus gentibus, populis, & nationibus. Fuit enim *petra angularis, faciens utraque vnum*, & reuocans in vnum ouile aulæ cælestis, Ecclesiam Iudæorum, & gentium, vt inferius probabo; & complens, seu perficiens duplicem illam legem, Naturalem, & Mosaïcam, per suam Diuinam legem.

Caput IX.

De ortu Christianæ Religionis in Cælo, & in lege Naturæ, vbi de Euangelio & Testamento æterno. Apoc. 14. & Hebr. 13.

1. Sanctus Ioannes in Apocalypsi cap. 14. 6. *Vidit Angelum volantem per medium cæli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret sedentibus super terram, & super omnem gentem, & Tribum, & linguam, & populum, dicentem magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem; quia venit hora iudicij eius, & adorate eum qui fecit cælum & terram.* Ex quo testimonio facile infero, vnicam ab ortu mundi fuisse Religionem, & eandem vnicam duraturam

vsque ad finem mundi: Tum quia Euangelium vnicum est, illudque quoad verum fidei, spei, charitatis obiectum, nempe Deum Optimum Maximum; quod quidem Euangelium est regula veræ fidei, & veræ Religionis, ac pietatis. Tum quia de eius obs ru tione, vel transgressione iudicandi sunt homines omnes, qui purgati sunt in sanguine testamenti æterni, & agni immaculati, qui *occisus est ab origine mundi.* secundùm Apocal. 13. id est, in figuris, in diuina intentione, & ratione meriti, cui omnes communicauerunt. Vnde etiam *Iesus Christus heri & hodie ipse & in sæcula*, à D. Paulo prædicatur. Heb. 13. v. 20. Apoc. 21. Heb 13. v. 8.

Hinc idem Ioannes vidit *Ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem à Deo*, id est Ecclesiam Christianamque Religionem: quæ quidem Ecclesia, seu Ciuitas sancta, inquit August. lib. 1. de Baptismo, *Peperit Abel, Henoch & Noë: & ipsa peperit Moysen & Prophetas: & quæ istos, & ipsa Apostolos, & Martyres nostros, & omnes bonos Christianos. Omnes enim diuersis quidem temporibus nati apparuerunt, sed societate vnius populi continentur; quia eadem fides vtrosque coniungit, & eos qui crediderunt Christum venturum, & eos, qui iam venisse crediderunt; nam omnes per vnum fidei ostium, id est, Christum videmus ingressos.* August. tract. 45. in Ioan. Apoc. 21. v. 2.

Imo ab ipsis Angelis Christiana Religio videtur cultu obseruata, in quantum Christum crediderunt, & adorauerunt venturum iuxta illud. *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus.* Nec solùm Christus apparuit Angelis, sed & ipsi de plenitudine eius etiam acceperunt gratiam suam, secundùm mentem sanctorum Patrum. Propterea enim, inquit S. August. in Psal. 33. *Christus homo, vt possit Christianus esse Angelus.* Et in Psalm. 36. *Caput nostrum Christus est, corpus* 1 Tim. 3.

Digitized by Google

iſtius capitis nos ſumus : nunquid nos ſoli , & non etiam illi qui fuerunt ante nos ? Omnes qui ab initio fuerunt iuſti , adiunctis etiam exercitibus , & legionibus Angelorum , vt illa ciuitas vera fiat ſub vno Rege , & vna Prouincia ſub vno Imperatore.

Conuenit etiam Fulgent. lib. 2. ad Traſ. cap. 3. *Vna eſt*, inquit *in vtroque gratia operata : in hoc, ſcilicet homine, vt ſurgeret, in illo , ſupple Angelo , ne caderet : in illo , ne vulneraretur , in iſto, vt ſanaretur : ab hoc infirmitatem repulit , illum infirmari non ſiuit : illius eſca, iſtius medicina.* Hinc de myſterio Chriſti Euchariſti-
Pſ. 77. v. 25. co prædixit Pſaltes Regius. *Panem Angelorum manducauit homo.* Nec mireris , cum Pſal. 109. Chriſtum nobis annuntiet tanquam *ſacerdotem æternum ſecundùm Ordinem Melchiſedech. Non quidem* , inquit Auguſt. in illum Pſalm. *ſecundùm quod natus eſt ante Luciferum de Patre , Deus apud Deum coæternus gignenti ; ſed propter carnem aſſumptam , & propter victimam quam pro nobis offerret , à nobis aſſumptam. Itaque de plenitudine eius omnes accepimus :* quia teſte D. Thoma in 1. Ioan. *Plenitudo gratiæ quæ eſt in Chriſto , eſt cauſa omnium gratiarum quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis.*

Ergo Euangelium noſtrum , & Religionis Chriſtianæ teſtamentum , congruè æterna dicuntur. 1. Ratione myſteriorum æternorum adorandæ Trinitatis. 2. Ratione æternæ Chriſti diuinitatis. 3. Ratione legis diuinæ æternæ , in qua fundatur lex naturæ. 4. Ratione decreti æterni de Incarnatione futura , &c. 5. Ratione authoritatis diuinæ, ac veritatis æternæ , in quibus tota fides Chriſtiana ſubſiſtit. 6. Ratione eiuſdem fidei , quæ ab origine mundi vſque ad eius conſummationem eadem fuit, & erit omnibus fidelibus eſſentialiter , diuerſa licet ſecundùm modum , accidentaleſque circumſtantias.
Sap. 9. Vnde , *Per ſapientiam ſanati ſunt , quicumque placue-*

runt Deo à principio. Chriſtus autem ſapientia eſt æterna. Et Malac. 1. *Ab ortu ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.*

Quæ quidem veritas conſtantiſſima & clariſſima fiet ex infra dicendis, vbi de Incarnationis, & Euchariſtiæ myſteriis, atque aliis agam in particulari, oſtendens eorum vmbram, & traditionem in lege Naturæ, ſiue apud Orientales, ſiue apud Occidentales populos, qui de iis myſteriis edocti ſunt per ſanctos Patriarchas, eorumque filios, fundatores omnium gentium, nationum, & populorum. Vnde Iuſtinus Apol. 1. *Quæcumque apud omnes dicta ſunt noſtra, Chriſtianorum ſunt: ingeniti enim & ineffabilis Dei rationem & verbum ſecundùm Deum adoramus & complectimur.* Et Clemens Alexand. 7. Stromatum; *Vna eſt quidem via veritatis; in eam, tanquam in fluuium perennem, alia aliunde fluenta influunt: ſic ergo Græca & Barbara Philoſophia æternæ veritatis auulſam quandam particulam, nomine Bacchi Mythologia; ſed ex Verbi, quod ſemper eſt, Theologia decerpſit.* Conſule Auguſtinum Eugubinum, lib. de perenni Philoſophia.

Itaque, inquit Origenes hom. 30. in Matth. *Veritas Dei exit ab Oriente, id eſt à 1. initio creaturæ mundi, & apparet vſque ad Occidentem, id eſt, vſque ad finem mundi, iuxta illud: In generationem, & generationem veritas tua: vel ſimillima torrenti fluuio è ſummo in pronum præcipiti capacitate currenti*, vt ait Triſmegiſtus in Aſcl. cap. 4.

CAPVT X.

De ſtatu Chriſtianæ Religionis in lege Naturæ.

1. TRes ſtatus Chriſtianæ Religionis in lege Naturæ, in lege Moſaïca, & in lege Noua optimè poſſunt comparari vario, eidem tamen lumini,

ſideris, lunæ & ſolis: in quibus, vt eſt idem ſolis lumen, ita in illis idem eſt lumen fidei, minus tamen in lege naturæ, ſicut lumen ſiderum: majus in lege ſcripta, ſicut lumen lunæ: maximum & perfectiſſimum in lege noua, ſicut lumen ſolis, à quo luna & ſidera mutuantur ſuum lumen. Vnde in lege naturæ habemus myſteriorum fidei vmbram obſcuram; in lege Moſaïca figuram, & imaginem; in noua autem, & Chriſtiana clariſſimam veritatem. Poteſt etiam Religio comparari homini infanti, puero & viro: habuit enim in lege naturæ infantiam, in qua diuinis inſpirationibus veluti lacte vſa eſt: in lege ſcripta pueritiam, in qua tanquam paruula creuit ſub legis, & Prophetarum pædagogis, ex D. Paulo. Ac tandem ſub Euangelio, vt adulta donata eſt Chriſtiana veritate, habens nunc vbera vtriuſque Teſtamenti, cæleſtis doctrinæ lacte redundantia, & fœcunditatem prolis ſanctæ, quæ vniuerſum orbem replet. Cant. 1. v. 1. & 4. v. 5.

Gal. 3. v. 24.

2. In lege Naturæ Chriſtiana Religio apparuit, cum Deus pro ſua benignitate primis parentibus poſt lapſum Adami, Redemptorem promiſit filium ſuum incarnandum, vt caput ſerpentis contereret. Cum eundem Abrahæ è ſuo ſemine, & aliis Patriarchis Iſaac, Iacob, & Moyſi repromiſit naſcendum: cum iiſdem ſub diuerſis vmbris myſteria Trinitatis, & alia deſignauit; præcipuè cum ſignum aliquod velut ſacramentum primæ originalis culpæ purgatiuum præſcripſit; de quibus plura inferius notabuntur. Toto enim illo tempore, omnes iuſti per diuinam gratiam intuitu meritorum Chriſti, ſeu Meſſiæ & Reparatoris; quem venturum credebant, vna communi fide, ſpe, charitate, & Religione, vnum verum Deum coluerunt, eique vota, preces, & ſacrificia obtulerunt, & in Patrum traditione firmiter permanſerunt.

Gen. 3 v. 15.

3. Lex autem illa naturalis ex D. Thoma 1. 2. q. 9.

art. 2. in corp. est diuinæ legis æternæ participatio, quasi emanatio, vel impressio, ad modum radij cuiusdam luminis signati in creatura rationali, estque prima humanorum actuum regula. Idem 1. p. q. 1. art. 8. ad 2. & q. 2. art. 2. ad 1. Idem 1ª. 2ª. q. 95 art. 1. in Corp. Vnde sicut gratia naturam præsupponit; ita omnis lex positiua naturalem supponit legem, cuius lumine prima principia omnium actuum humanorum per se, vel per facilem deductionem fiunt nota singulis ratione vtentibus. Cum verò homo vt rationalis est, debeat naturaliter secundùm rationem rectam benè & honestè viuere, veritatem amare, vitare ignorantiam, & sibi proprium bonum appetere, etiam naturaliter vult rerum causas cognoscere, ac proinde facilè Deum potest omnium authorem attendere, in eum, vt finem vltimum, & sui perfectiuum tendere, & sperare, ac eundem appetere; imo & vt Patrem ac beneficum amare. Et inde effluunt præcepta primæ tabulæ de diligendo Deo; sicut præcepta de dilectione proximi emanant ex eo, quod homo, cum sit animal sociale, amat in societate viuere.

4. Lex illa naturalis (ibid. q. 94. art. 6. in Corp.) licet per peccatum in homine obscurata, & infirmata tantùm fuerit, non verò destructa; nemo tamen saluari potuit sine gratia, ad quam nulla sufficit dispositio naturalis: sed ob Christi merita offertur cuilibet ratione vtenti gratia prima nisi obicem ponat per actualem & culpabilem transgressionem legis naturalis, quam qui seruat fideliter, à Deo auxilia accipit (ibid. q 112. art. 2. & 3.) quibus tandem sanctificatur, & ideo ex iustitia denegatur gratia indignis, & aliis misericorditer datur. Vt autem clariùs appareat status Christianæ Religionis in lege naturæ, quæ inter gentes vsque ad Messiam, seu Christum vim habuit saluandi suos fideles, & Bagot. in Apol.

religiosos cultores, simulque antiquitas & constantia veræ & vnicæ Religionis; ab ipso mundi ortu ad nostra vsque tempora, Christiana consideranda sunt principia, & prænotiones fidei nostræ mysteriorum in hac lege Naturæ per totum orbem diffusa etiam
Ps. 65. inter gentes, iuxta illud. *Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius.*

Caput XI.

Prænotiones fidei Christianæ antè Diluuium.

1. Nemo dubitare potest de vera Religione primi hominis, Adami scilicet, & filiorum, ac nepotum eius vsque ad diluuium; certissimè enim constat cultum veræ fidei perseueraſſe in Abel, in Seth, in Enos, in Enoch, & in tota familia Noë, qui tempore diluuij sexcentorum erat annorum, & iustus, ac perfectus erat in generationibus suis. Quædam solùm non communia afferam in hoc capite, ad confirmationem huius veritatis. Et primò, si Templa etymum sumpserunt à contemplando, vt asserit Varro l. 6. de lingua Latina; & si Lucus numquam ponitur sine Religione, vt ait Seruius lib. 3. Æneid. quis non videat totum hunc mundum esse Templum magnum (vt notat Philo) à Deo creatum ad suam gloriam, cui hominem tanquam sacerdotem, & adoratorem suum præposuit?

2. Sed verius dicendum est potius cum Tertulliano, Augustino, D. Thoma, & aliis, Deum creasse paradisum voluptatis, vt augustum templum gloriæ majestatis suæ, eique primum sacerdotem Adamum præposuisse; ideo familiariter ibi cum Deo conuersatur, & cum Angelis. Transfertur enim, inquit

Tertul. lib. 2. contra Mar. *in puradisum, vt iam tunc de mundo in Ecclesiam translatus videretur. Et optimè,* inquit Augustin. lib. 4. in Donat. *Ecclesia paradiso comparata indicat nobis, posse quidem eius baptismum homines etiam foris suscipere.* Et confirmatur Ierem. 17. 12. *solium gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ.* Sed & Moyses Barcepha lib. 1. de paradiso, asserit Adamum inauguratum à Deo per manuum impositionem, quod ipsemet testatur Adamus in Psalmo qui incipit: *Domine probasti me.* Cuius Psalmi primum fuisse authorem vult idem author in hæc verba: *Tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.* Eadem quoque mens est D. Thomæ 2. 2. q. 85. art. 1. ad 2. Adamum à Deo sacerdotem creatum fuisse. Psl. 138. v. 4.

3. Addit Augustin. lib. 13. de Ciuit. cap. 20. ideo lignum vitæ positum in hoc paradisi templo, vt fructus eius esset in sacrificium, & Sacramentum Communionis. *Erat enim,* inquit Augustin. lib. 13. de ciuitate Dei, cap. 20. *in cæteris lignis alimentum, in illo sacramentum.* Cui videtur assentire D. Bonauentura lib. 2. dist. 29. num. 1. comparans comestionem fructus ligni vitæ communioni Sacramentorum nouæ legis. Quis neget lignum vitæ fuisse symbolum Christi Domini, Crucis eius, & sacræ Eucharistiæ, cum omnes in hoc Patres concordent?

4. At proh dolor! *homo cum in honore esset, non intellexit: Sed,* inquit Augustinus apud Glossam, *alienatus est à vita, non solùm quam cum Angelis esset accepturus, si perstitisset, sed ab illa, quam in paradiso habebat quasi excommunicatus à ligno vitæ quod erat ei pro Sacramento: sicut in Ecclesia solent homines à Sacramentis visibilibus Ecclesiæ disciplina remoueri.* Itaque Dominus ejecit Adam, & collocauit eum ante paradisum, iuxta 70. Interp. *Et posuit Cherubim, & flammeum gladium versatilem, ad custodien-* Psl. 48.

dam viam ligni vitæ; & tamen priuſquam Deus ejecerit eum de paradiſo, promiſit ei Reſtauratorem, & Saluatorem naſciturum de Virgine, & conculcaturum ſerpentis tentatoris caput. Vnde etiam plures credunt duo Cherubim (neque enim legitur Cherub in ſingulari, ſed Cherubim in plurali) quos poſuit Deus ad oſtium paradiſi, fuiſſe veras imagines Chriſti Meſſiæ, & Virginis Matris; & fauet etymon. Cherubim; ſignificat enim figuram aut pueri, aut magiſtri, aut reſtauratoris, *che* quaſi, *Rab* magiſter, *Rabia* puer, *Raphaïm* reſtaurator.

5. Hinc videtur illud atrium, ſeu veſtibulum paradiſi fuiſſe templum, in quo Adam ſacrificia iuſtitiæ, & pœnitentiæ obtulit Deo coram altari erecto iuxta fores paradiſi; idque in conſpectu Cherubim, qui repræſentabant Chriſtum venturum, verum filium Dei, ſimul & hominis; vt probat Rapineus tom. 2. tract. 2. cap. 9. ſect. 1. in Chriſt. naſcente. 1. v. 16. & 4. v. 5. eo modo quo repræſentatur in Apocalypſi cum gladio verſatili, & lampade ardente: nec non Virginem matrem contrituram caput ſer-
Gen. 3. pentis. In hoc templo Cain, & Abel obtulerunt vera
v. 15. ſacrificia Deo de primitiis terræ, & de gregibus ouium.

6. Non omittenda eſt hiſtoria, quam referunt Ioannes Gerbrandus in Chronico Belgico lib. 31. & Nouarinus in Adag. SS. Patrum, Excurſ. 174. Quod ſcilicet anno ſalutis 1374. inuenta fuerunt oſſa ingentia quaſi gigantis in valle Ioſaphat, iacentia in ſepulcro lateritio, à quibuſdam Chriſtianis, & Saracenis, iuſſu Sybillæ Reginæ Hungariæ, de licentia Soltanni Babylonici: cadauer autem longam habens barbam, & capillos oblongos adhuc capiti adhærentes, ſepultum erat in pellibus, cum titulo inſculpto litteris Hebraïcis ſub his verbis. *Ego Seth tertiò genitus filius Adæ, Credo in Ieſum Chriſtum Fi-*

Digitized by Google

lium Dei, & in Mariam Virginem Matrem eius, de lumbis meis venturos.

5. Sicut *Seth* primus fuit legis naturæ summus Pontifex; Adam enim propter peccatum suum suspensus fuit, & excommunicatus à Deo: ita & *Enos* primus extitit fundator religiosæ vitæ, vt optimè probant Bolduc, & alij lib. 1. de Eccl. ante legem. Hinc dicitur cœpisse inuocare nomen Domini, nempe sacris ritibus, & cæremoniis, idque publica professione religiosi cultus: & exinde originem suæ professionis sumpserunt Enoscæi.

8. Henoch *quoque Patriarcha cum Deo ambulauit,* Gen. 5. *& cum vixisset 365. annis, non apparuit, quia tulit eum Deus.* Vnde Irenæus lib. 4. cap. 30. *Henoch placens Deo, cum esset homo Dei, legatione ad Angelos fungebatur.* Quinam verò sint illi Angeli, ad quos legatione functus est, conjicere licet ex Scriptura: ij scilicet qui vocantur filij Dei, nempe homines Deo dicati, atque diuino cultui consecrati, qui à primo feruore defecerant; iis ergo Henoch prædicabat pœnitentiam vitæque emendationem, proponens futurum Dei iudicium, iuxta illud Iudæ v. 14. *Prophetauit autem, & de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere iudicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum,* &c.

9. Certè *Lamech* Pater Noë, Propheta fuit legis naturæ, prænoscens quisnam futurus esset suus filius, iuxta illud effatum propheticum. *Ipse consolabitur nos* Gen. 5. *ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra,* v. 29. *cui maledixit Dominus; ideo imposuit ei nomen Noë, quod hebr. interpretatur cessatio, vel requies.*

10. D. Petrus vocat Noë octauum præconem Epist. 2. iustitiæ diuinæ: & liber Genes. 5. testatur *Noë* iustum cap. 29. & perfectum virum inuenisse gratiam coram Domino, & ambulasse cum Deo: & Chrysost. hom. 23.

in Geneſim, teſtatur Noë continentiam ſeruaſſe per quingentos annos; cum autem quingentorum eſſet annorum Deo inſpirante nupſit, & genuit tres filios, Sem, Cham, & Iapher: deinde cum, ex Philone & Ioſepho, vbique pœnitentiam prædicaſſet, prædicens futurum diluuium, diuino iuſſu arcam ædificauit, quæ. erat figura crucis Domini, per quam humanum genus ſaluandum erat: hinc Arca illa habebat 300. cubitos longitudinis; in quo, inquit Clemens Alexand. lib. 7. Strom. *Crucem ſignabat, quia hic numerus per τ Græcum figurabatur: τ* autem eſt ſalutis ſignum. Sed & 300. eſt numerus litteræ formatiuæ nominis Ieſu, ſcilicet, ϖ, vt notaui. Quinquaginta verò cubiti latitudinis, ſignant Iubilæum plenarium per crucem: & triginta cubiti altitudinis, notabunt 30. annos Chriſti vitæ ſolitariæ. Vnde plerique Rabini teſtantur Noë Arcam illam conſtruxiſſe iuxtà exemplar eius quod in cælo viderat.

11. Addunt Hebræi, Noë ingreſſum fuiſſe cum tota familia in Arcam, poſtquam funebria obſequia præſtitit Mathuſalem defuncto die præcedenti, qui & ipſe cum Adamo vixerat, & conuerſatus fuerat per annos 243. ab eodem de diuinis veræ Religionis myſteriis edoctus.

12. *Ipſe autem Noë*, inquit Rupertus, lib. 4. in Geneſ. cap. 16. *mediatorem Dei, & hominum tam nomine, quàm opere ſignauit.* Nomine, quia interpretatur requies, *requies,* autem iure ipſe eſt, qui dicit: *tollite iugum meum ſuper vos, & inuenieris requiem animabus veſtris.* Opere autem

Primò. Quia Reparator fuit generis humani, & Doctor, & Rex, & Pontifex.

Secundò. Quia Arcam conſtruxit, quæ Eccleſiam deſignabat.

Tertiò. Quia ex Hieronymo, tom. 2. Epiſt. ad Ocean. *Columba Spiritus ſancti expulſo alite teterri-*

mo, ita ad Noë, quasi ad Christum in Iordane deuolat: & ramo, refectionis, ac luminis pacem orbi annuntiauit.

Quartò. Octo animæ, quæ familiam Noë componebant; Iesu octauum numerum figurabant.

Quintò. Duplex offert sacrificium Deo, cruentum de animalibus, & incruentum de primitiis terræ, vino scilicet, & frumento: cui sacrificio succedere facit communionem in ipsomet loco sacrificij, vt testatur Philo de planta Noë: sic & Christus obtulit sacrificium corporis sui cruentum in Cruce, & incruentum in Eucharistia.

Sextò. Nudatus dormit in tabernaculo post sacrificium; sicut Christus in cruce.

Septimò. Sua benedictione, & maledictione præfigurauit iudicium Christi in cruce erga latrones, & in vltimo die erga prædestinatos, & reprobos.

Octauò. Duplicis inspector ætatis & mundi faciei, sed nouam fundauit; sic Christus duplicis legis, sed nouam ipse fundauit.

Caput XII.

Quomodo Fidei, & Religionis lumen per omnes Nationes respersum est.

1. IN *generationem, & generationem veritas tua,* inquit Psaltes Regius, quia (vt ait Philo, lib. 3. de vita Mosis.) *Tanta est lux veritatis Dei, quæ nec solis, nec vniuersorum syderum obscurari potest deliquio, sed exit ab Oriente, secundùm Originem; Id est, à primo initio creaturæ mundi, & apparet vsque ad Occidentem, id est vsque ad finem mundi, & inter præsentis vitæ scopulos velificata Dei Spiritu,* vt loquitur Tertul. *Fides nauigat numquam peritura.* Hinc, ex

Ps. 118. Matth. 24. v. 27.

Pymandro, *Torrenti ſimillima eſt & fluuio, è ſummo in pronum præcipiti capacitate currenti.*

2. Certiſſimum eſt Adamum ab ipſo Deo edoctum, omnes ſcientias, ſiue cognitionem rerum naturalium, ac etiam ſupernaturalium, quæ ad ſalutem ſuam, & filiorum pertinent, per infuſionem accepiſſe per miniſterium Angelorum, vt credunt Hebræi; vnde ipſe omnibus rebus ſua quæque nomina impoſuit, iuxtà notitiam, quam habuit de earum natura, & eſſentia. *Huius enim inuentum* (inquit Suidas verbo Adam.) *ſunt artes, & litteræ: huius ſunt ſcientiæ tam diſertæ quàm mutæ: huius ſunt vaticinationes, ſacrificia, luſtrationes, leges, & inſtituta: huius ſunt omnia inuenta, omnes doctrinæ.* Vnde etiam ex Kirchero in Obeliſco, plures Arabes, & Rabini Iudæorum teſtantur Deum cum eo familiariter fuiſſe conuerſatum, ſicut poſteà cum Moyſe, eique dediſſe tabulas propria manu deſcriptas, in quibus ipſemet perlegit legem, & ceremonias Religionis, originem, & finem regnorum, diluuia, & alia id genus futura, & ipſo Deo iubente reſcripſit in pellibus animalium; ſicque compoſuit primum librum mundi, de quo Geneſ. 5. v. 1. *Hic eſt liber generationum Adam.* Quidam ex Hebræis aſſerunt Adamum compoſuiſſe plures Pſalmos, ſcil. 91. *Bonum eſt confiteri Domino.* qui inſcribitur Laus, & Canticum, quod cecinit primus homo in die Sabbati, & Pſal. 138. *Domine probaſti me*, &c. Itaque Adam primus fuit mundi Scriptor, & Dei Secretarius.

3 *Seth* ſecundus ſcriptor, teſte Kirchero in Prodromo, plures quoque libros conſcripſit, è quibus Samaritani, & Æthiopes ſuam Theologiam deprompſiſſe ſe jactitant. Duas quoque columnas, conſtruxiſſe vnam lateritiam, contra ignis impetum alteram æneam contra aquarum diluuium, in iiſque & Philoſophiæ axiomata ſculpſiſſe, & Religionis dogmata exaraſſe, teſtis eſt Ioſephus.

Digitized by Google

4. *Henoch* quoque libros composuit contra Caïniticam hæresim, & impietatem; & vltimum Domini aduentum prædixit. Eius libri fit mentio solemnis in Epist. Iudæv. 6.

5. *Noë* composuit historiam diluuij & testamentum suum, ac filiorum benedictiones, & prophetias, vt asserit Berosus: idem S. Patriarcha post diluuium, omnia quæ collegerat scripta veterum, & quæ composuerat, transtulit ad vrbem *Cariathsepher*, quæ ideo hoc nomine fuit insignita, quod sonat Ciuitatem litterarum, quæque etiam dicta est *Dabir*, id est Oratorium, quia etiam in ea propè Bibliothecam oratorium construxit: vnde mos laudabilis defluxit, propè templa Bibliothecas extruendi; vt ab oratione ad lectionem, à lectione ad meditationem facilis foret accessus. Huius Ciuitatis fit mentio, Ios. 17. Consule Paschalem Rapinum in tom. 1. Christianismi nascentis, tract. 1. cap. 3.

6. Tandem constat à Noë & filiis eius Sem, Cham & Iaphet, omnem Philosophiæ, & Religionis, ac Fidei cognitionem diffusam vbique terrarum. Ab iis Ægyptij, Æthiopes, Græci, Latini, Persæ, Indi, Sinenses, Germani, Galli per Druidas, Hispani, Poloni, & alij populi de Sapientia, Religione, & traditionibus sanctis edocti sunt, vt patebit ex conuenientia doctrinæ, & traditionum sacrarum apud omnes nationes. Et sanè ex ipsa temporum Chronologia videmus quod *Sem* (quem plerique asserunt esse eumdem, atque Melchisedech) vixit cum Abrahamo, eumque docuit: Abraham verò edocuit Isaac, & hic Iacob, & Esaü, Esaü autem Iob, & hic potuit docere Moysem; eodem enim anno mortuus est, quo lex data est Moysi in monte Synai, secundùm plures.

7. *Moyses* ergo edoctus non solùm in omni Ægyptiorum, & Hebræorum sapientia, sed præsertim in vera, & perfectissima Religionis Theologia,

Doctor extitit Hebræorum, seu Iudæorum, & Gentium, vt testantur Calcidius, Aristobulus, & ipsum Apollinis Oraculum in hæc verba.

Nemo illum nouit mortalia cuncta regentem,
Vnicus ille nisi Chaldæo sanguine natus.

Ab eo edoctus fuit *Trismegistus*, quem quidam volunt eius scribam fuisse, alij verò paulò post vixisse ferunt.

Itaque omnes Philosophi, & Poëtæ suam doctrinam saniorem desumpserunt ex libris sacris, vt volunt Tertullianus, Iustinus martyr, Clemens Alexand. & Augustinus.

Caput XIII.

De Symbolis, & prænotionibus veræ, & Christianæ Religionis in Ægypto.

SIngularis Dei prouidentia erga Ægyptum, quæ ex Scriptura sacra colligitur, sufficiens est argumentum Ægyptios in vero Dei cultu per longa temporum interualla perseueraſſe. Et certè sæpissimè visitati sunt per sanctos Patriarchas, diu conuersati sunt cum Abraham, Isaac, & Iacob: ad eos misit Deus Prophetas suos, imò & Angelos, qui præmonuerunt eorum Dynastas de iis, quæ facere, & quæ fugere debuerunt. *Cham* filius Noë, primus fuit eorum Dynasta, & Doctor. *Heber* non tantùm Hebræis nomen suum præstitit, sed & Ægyptiorum curam egit, ædificata apud eos vrbe *Tanim*, sicut *Hebron* condiderat in Palæstina: & ipsi libenter excepерunt Sanctos Dei seruos in eorum exilio. Sed (quod clarè conuincit) Sanctus Patriarcha Ioseph non tantùm multis annis rexit Ægyptum; sed etiam sibi vxorem desponsauit filiam Summi Pontificis, erudiit

principes

principes Ægypti; & ſenes prudentiam docuit. Quis credat tam Sanctum, & tam potentem adminiſtratorem Ægypti, idololatriam ſequi permiſiſſe Ægyptios, quos captiuos, & ſeruos habuit?

Hinc apparet quod pluſquam ſexcentis annis à diluuio in vero Dei cultu perſeuerauerit Ægyptus, cum Ioſeph numquam eis ſuaſerit ſuam mutare Religionem, quia eadem erat, quæ Hebræorum.

2. Videndum ergo eſt ſub quibuſnam Symbolis Deum verum coluerit. Tres præcipuè in eorum templis erant Imagines. Prima *Iſidis*: Secunda *Oſiridis*: Tertia *Serapidis*. Sed prima inſignior, & principalis erat, ſub qua diuinam & æternam Sapientiam, ſeu Verbum diuinum coluiſſe, ex ſequentibus conjicere licet. Nam 1. *Iſion* ſignificat domum intelligentiæ. 2. *Iſis*, quaſi *is is*, id eſt is eſt, qui eſt, ſcilicet filius, Sapientia Patris æterni; vnde etiam hanc habebat inſcriptionem ex Plutarcho: *Ego ſum omne quod eſt, quod fuit, quod futurum eſt: peplum meum nemo hactenus reuelauit.* Ideo etiam Moyſes miſſus ad Pharaonem, petens à Deo quodnam eſſet nomen eius, illud idem nomen audiuit: *Ego ſum qui ſum: dic eis: Qui eſt, miſit me ad vos.* 3. Ιαυς videtur idem nomen quod Ιαωυς, *Ieſus*. Nam Hebraïcè erant duæ primæ litteræ nominis Meſſiæ, יי, bis repetitæ, quod verbum ſignificat *qui eſt*; ſeu *is eſt*, vel *ipſe eſt*. Vide quæ ſuperius notaui, de nomine *Iehoua*, & nomine *Ieſu*. 4. Etiam Græcè *Iſis* ſignificat prudentem naturæ progreſſum, qui ſcilicet fit mediante Sapientia æterna gubernante. *Kircher. in Obel.*

3. *Oſiris* Græcè *ſacro-Sanctus*, cui nupſit *Iſis* Sapientia æterna, eſt humana natura, (Gotop. Hier. lib. 16.) cuius membra diſcerpta à Typhone, ſeu dæmone, per peccatum, collegit, & reuniuit *Iſis* per myſterium Crucis, quæ ideo iam tunc apud Ægyptios tanquam ſalutis Symbolum magno in honore

fuit: Hinc eſt quod ſacerdotes *Iſidis*, & *Oziridis* vitam puram, & auſteram degebant, per pœnitentiam, ieiunium, & orationem, diuinæ Sapientiæ placere cupientes, eiuſque templa fieri.

4. *Serapis* ſymbolum fuit Ioſephi Patriarchæ; hinc *Serapidi* quaſi Saræ nepoti cultum exhibuerunt Ægyptij poſt eius deceſſum, non quidem, vt ſupremo Deo, ſed vt Heroi ſancto. Hunc ſub figura *Apis*, vel Bouis pinxerunt, ob viſionem vaccarum pinguium, eique ſpicas in manibus dederunt; quia omnia frumenta Ægypti collegerat tempore fertilitatis, & diſtribuit populo ſterilitatis tempore.

Sixtus Senenſis, aliique teſtantur Ægyptios triplicem cultum exhibuiſſe: primum latriæ, ſummo omnium principi, & Deo, quem vocabant *Thaut* & *Kneph*, vel *Hemeth*, & omnia creaſſe, vel peregiſſe in *Phta* ϕ Filio ſuo, vel ex *Onophta*, hoc eſt, Intelligentia, quam produxit ad ſui ſimilitudinem, iuxta Iamblici interpretationem. Alij explicant *Onophta* generantem ſapientiam, omnia cum veritate artificiosè diſponentem, nempè *Thaautum*, quem exprimebant per circulum & τ hoc modo ☥: nam per circulum, Dei infinitatem, per *Thau*, ſeu τ, Redemptionis ſymbolum ad futuram vitam ſignabant; hanc autem crucis figuram fronti *Serapidis* inſerebant, ſed eam *Iſis*, & *Oziris* geſtabant in vna harum formarum. ☥ ⊖ + ✱ ♀

Quis non videt hæc myſteria à ſanctis Patriarchis, præcipuè à Ioſepho, & Moyſe clarius didiciſſe, quibus poſt obitum eorum vſi ſunt? Conſule Kircherum in Prodromo, cap. 4. & 5.

5. Porro notat idem Author inter plurima diuinæ majeſtatis nomina ſolùm nomen *Phta* ϕ τ ab Ægyptiis ſeu *Coptis* retentum, idque magno myſterio; ſicut ab Hebræis יהוה, à Græcis I A Ω, vel in circulo ἀϖ. Hoc quoque quoque dignum notatu, quod ſæ-

pè Orientales populi diuinum nomen per monogrammata expreſſerunt, ſicut Hebræi per א vel י vel ה, Chaldæi per י vel ך, Græci Chriſtum præſignabant per Χ vel α Χ ω, etiam hinc Latini IHS XC IHC. XC. Armeni quoque, teſte Ambroſio Theſeo, nomen Dei, & myſteria ſummæ fidei, litteris ſolis, ſine vocalibus conſignabant: qui ſanè omnes imitati ſunt mores Hebræorum, & Ægyptiorum.

6. Et-enim *Coptitæ*, ſeu Ægyptij per ϩ τ Dei nomen exprimebant, idque myſticè; quia per primam figuram duorum ſemi-circulorum ſimul iunctorum, per ι. diuinam Trinitatem in vnitate ſignabant, & per Thau τ. myſticum ſymbolum Meſſiæ Redemptoris. Niſi fortè per ϩ. ophis ſerpens intelligatur, & per τ crux Redemptoris: vnde etiam in eorum templis Serpens pingebatur quaſi accipiter expanſis alis in circulo in modum crucis, tanquam figura Chriſti deprædatoris inferni, eleuati in Cruce; ſicut fuit ſerpens æneus eleuatus in deſerto.

7. Ad confirmationem veræ Ægyptiorum Religionis eiuſdem, ac Hebræorum, ſufficiat prædictis addere *Serapidis* Oraculum, quod refert Iamblicus:

Principio Deus eſt, tum Verbum, his Spiritus vnus:
Congenita hæc tria ſunt, cuncta hæc tendentia in vnum.

Plura vide apud Kircherum, Caſalium de ſymbolis Ægyptiorum, Paſchalem Rapin. in Chriſtianiſmo naſcente, Plutarchum, Herodotum, & alios.

8. Quis ergo dubitet veteres Ægyptios veram Dei Religionem exercuiſſe, & myſteriorum fidei Hebræorum traditionem habuiſſe de vno, & ſummo Deo, de Trinitate, de futura Incarnatione, de Matre Virgine, cuius etiam colebant Imaginem in vrbe *Sais*, de Redemptione mundi per Crucem, &c.

Neque te terreant Imagines animalium, quas in veneratione habuerunt tanquam ſymbola myſtica; cum vnaquæque ſuum contineat myſterium, vt no-

tant Goropius & alij citati authores. Verum tamen eſt lapſu temporis in idololatriam ruiſſe præcipites, impellente dæmone, obcæcante peccato, & Deo id permittente.

CAPVT XIV.

De Mercurio Triſmegiſto.

1. MAgna eſt inter authores diſſertatio, quiſnam fuerit ille magnus Philoſophus, ſeu potius Theologus inter gentes, & quonam vixerit tempore: omnes tamen in hoc conueniunt eum, vel natione Ægyptium, vel ſaltem in Ægypto functum Doctoris officio: imo ſimul fuiſſe Regem, Sacerdotem, & Philoſophum: quibus libenter aſſentior, cum primogeniti in lege naturæ hoc triplici officio ſæpiſſimè functi fuerint.

Certum eſt etiam circa tempora Moyſis vixiſſe, ſcilicet centum circiter annis poſt eius obitum, licet alij Moyſe priorem faciant, & vnum è ſanctis Patriarchis, cui hæc auguſta nomina *Mercurij*, propter ſcientiæ eminentiam, & *Triſmegiſti* propter triplex illud officium, quod apud eos exercuit, tribuerunt. Quicquid ſit, nemo poteſt dubitare quin pleraque noſtræ Religionis myſteria prænouerit, ſiue ea reuelatione diuina, ſiue traditione Patriarcharum acceperit, ſiue etiam in ſacris libris perlegerit. Quædam eius teſtimonia hîc referam.

2. De Deo ita Triſm. Pymand. cap. 5. *Si mentis oculis inſpexeris, ille tibi, crede mihi, patebit Deus, ſanè totius expers inuidiæ, per ſingulas mundi particulas vbique ſplendet, atque adeo ſe notum præſtat, vt non intelligere modò, ſed manibus etiam ipſis, vt ita dixerim, liceat attrectare; nam vndique noſtris oculis eius obuerſatur, ſeque obijcit, & inculcat imago; quod ſi infinitum*

Digitized by Google

te latet, quomodo aut teipſum, aut eum inuenies?

3. De Trinitate, ibid. cap. 1. *Diu illum orani, vt eius ideam ad me conuerteret; quod cum ille feciſſet, repente perſpicio mea in mente lucem viribus innumeris exiſtentem, ornatum ſine termino, ignem vi ingenti circumquaque ſeptum, & in ipſa ſtabilitate dominantem. Hæc ipſe percepi per Pymandri verbum, qui me ſtupore attonitum ſic iterum affatus eſt: Vidiſti in mente primam ſpeciem infinito imperio præualentem; mens autem Deus, vtriuſque ſexus fœcunditate pleniſſimus, vita, & lux cum verbo ſuo mentem alteram opificem peperit, qui quidem Deus ignis, atque Spiritus numen.* Et paulò ante. *Mens autem Pater: neque enim diſtant ab inuicem: horum vnio vita eſt*, &c.

4. De Incarnatione ſic habet, cap. 13. quod eſt de Regeneratione ad Tatium filium. Quem Regenerationis modum docere volens, ſic ait Triſmeg. ibid. cap. 13. *O fili, contemplatiua in ſilentio ſapientia, ſemen eius verum bonum.* Tat. *Quonam ferente, Pater? Hoc enim ignoro.* Triſmeg. *Voluntate Dei, mi fili.* Tat. *Et quanti eſt qui non eſt genitus? expers enim intelligibilis eſſentiæ. Quod ſi aliter ſe habent, qui genitus Deus erit, Dei Filius*, &c. tum paulò poſt. Tat. *Age precor, regenerationis modum me doce.* Triſmeg. *Quid dicam, fili? quod dicam Pater? hoc non habeo quicquam, quod verum cerno ſpectaculum ex Dei benignitate mihi iam oblatum; vnde in corpus ſum immortale tranſlatus, ſumque non ille, qui prius fueram, ac mens nuper effectus, hoc myſterium non docetur.* Tat. *Dic age, quis eſt regenerationis author?* Triſm. *Dei filius homo vnius voluntate Dei.* Et cap. 4. *Cum craterem patulum hac impleſſet, præconem miſit, iubens talia quædam animis hominum nuntiare: Mergat ſeipſam in hanc pateram, quæcumque poteſt, quæ videlicet credit craterem animam ad eum qui dimiſerat redituram.* Et alibi, ait: *Deum vt homines ad ſui amorem traherent,*

imagini ſuæ virtutem attractiuam ſicut magneti contuliſſe, eamque ideo viſibilem reddidiſſe, vt facilius per eam traherentur. Quod factum credimus per Incarnationem.

5. De pœna impiorum poſt mortem, ita Pym. l. 10. *Quo igitur modo cruciatur, ô Pater, hominis anima, quodve ſupplicium animæ grauius? Impietas, ô Fili mi.* Tati. *Cuiuſnam ignis ardentior flamma, quàm impietatis eſt? quænam fera mordax, ita lacerat corpus, vt impietas laniat animam? Nonne vides quot malis animus prematur impius? En ſic fili, vociferatur: vror, abſumor, quid agam neſcio, deuorant me miſerum mala vndique confluentia; non video quidquam. O miſer! non audio. Tales ſunt animi afflicti voces, talis naturæ congrua mulcta.* Et idem in Aſclep. cap. 10. *Vltrices flammæ mirum in modum cruciantes, poſt delicta cogentur credere non verbis, ſed exemplis; neque minis, ſed ipſa paſſione pœnarum*, &c.

Cauſa breuitatis omitto quæ aſtruit de diuina Prouidentia, de Angelis, de regeneratione per Baptiſmum, de Communione, de Purgatorio, de Gratia diuina, & de futura Reſurrectione; cum vbique in eius libris paſſim videre liceat, ſed modo prophetico.

Caput XV.

De Prænotionibus Chriſtianæ Religionis in Perſide, Chaldæa, Arabia, & de eorum Magis.

1. IN Chaldæa, Arabia, & Perſide ſapientes, & Doctores *Magi* dicti ſunt, qui quidem primis temporibus ſimul ſacerdotum fungebantur officio; imo & regia dignitate ſæpiſſimè ſunt potiti. Ij, vt vult Laërtius, lib. 1. agnoſcunt ſuæ ſectæ & profeſſionis primum authorem *Zoroaſtrem*, id eſt, homi-

Digitized by Google

nem viuentem in astris, quem plerique volunt fuisse *Henochum*, quem ideo etiam primum *Trismegistum* vocant Arabes, qui de eius magisterio per eius libros, & Obeliscos gloriantur. Eumdem asserunt primam Bibliothecam fundasse in *Cariath-Sepher*, quam postea Noë, & Sem post diluuium restauraruntur. Eundem Græci *Athlantem* esse credunt.

2. Certissimum est filios Noë eamdem *Magiam*, seu sapientiam cælestem, & diuinam coluisse, & plura eiusdem collegia per omnes regiones fundasse, siue in Ægypto, siue in Chaldæa, & Arabia, ac præsertim in Persida, vbi primus regnauit *Ælam* primogenitus Sem; vnde etiam Persæ vocati sunt *Ælamitæ*. Hic ergo edoctus à patre veram Magiam, ac verum Dei cultum, Persas edocuit sacerdotes, Doctoris fungens officio. Et certè, vt ait Philo, de speciali lege: *Magiam non plebes modò, sed etiam Reges, & Regum maximi, & maximè Persarum sic exercent, vt nemo in Regem eligatur, nisi qui priùs Magorum consuetudine sit vsus.*

3. Eorum autem doctrina, & fides erat: Vnicum esse Deum omnipotentem, & immortalem: Genios, seu Angelos esse dispersos in tribus mundi Sphæris: animas hominum esse immortales. Tenebant corporum Resurrectionem, & vitam æternam, ad quam perueniebant, qui per Dei cultum, per diuitiarum contemptum, & per virtutum exercitium degebant in hoc mortali corpore. Sic autem teste Eusebio, lib. 1. de præpar. Euang. cap. 7. Deum describebant. *Deus incorruptibilium primus est, sempiternus, ingenitus, expers partium, sibi ipsi simillimus, bonorum omnium origo, munera non expectans, optimus, prudentissimus, pater iuris, sine doctrina iustitiam perdoctus, sapiens, sacræ naturæ vnicus inuentor.* Quam Fidem descriptam in vittis in fronte gestabant.

4. *Venerabantur etiam*, inquit Psellus de Oracul.

Chald. *Fontanam Trinitatem, Dei, Veritatis, & Amoris: dicentes cum Zoroaſtre, vnitatem extenſam eſſe in duabus productionibus, & tres Perſonas ad mundi creationem concurriſſe in his verbis: Omnia ſunt producta ex vno igne. Quippe cum omnia Pater perfecerit, & Menti tradiderit ſecundæ, quam Primam vocant nationes hominum.* Porro teſtatur Phlegon hunc Ignem, de quo loquitur Oraculum, non eſſe elementum, ſed Deum, quem ſcilicet nos vocamus Spiritum-ſanctum, & Amorem æternum; Filium autem Dei vocabant *Mytrham*, id eſt, vt ait Plutarchus, Deum mediatorem, cui ſacrificantes cincti erant triplici corona. Et certè Magi triplex munus Chriſto obtulerunt, aurum, thus, & myrrham.

5. Nulla colebant Idola, ſed tantùm Solem, vt imaginem Filij Dei; & Ignem, vt imaginem Spiritus-ſancti. Primitùs autem non hæc coluerunt diuino cultu latriæ; ſed ad inſtar Hebræorum, qui ſacrum fouebant Ignem in templis etiam diuino iuſſu. Quod autem *Mytrham* pingebant cum facie leonis, & hominis veſtibus, hanc traditionem acceperunt de futura Incarnatione à ſanctis Patriarchis. *Vicit Leo de Tribu Iuda. Et accubans dormiuit vt Leo.*

Apoc. 5. v. 5. Geneſ. 49. v. 9.

Magi quoque baptizabant eos, qui ſe vouebant Deo mediatori, ſeu *Mytræ*, in fronte ſignantes: deinde vocabant ad menſam Euchariſticam, in qua ſumebant panem & vinum: tum eos de futura corporum reſurrectione certos faciebant; ac tandem in *Mythræ* honorem, feſtum ſolemne *mortis vitiorum* celebrabant, fugantes, & occidentes quotquot ſerpentes poſſent reperire. Conſule Iuſtinum Apolog. 2. Herodotum, lib. 1. &c.

7. Author Operis imperfecti, Hom. 2. in cap. 2. Matth. aſſerit quoſdam populos Orientales conſeruaſſe ſollicitè Scripturas, in quibus fiebat mentio Stellæ, quæ Chriſtum prænuntiatura erat, & munc-

Digitized by Google

rum, quæ Magi eidem oblaturi erant. Et ideo ſemper ex præcipuis Magis duodecim deputatos eſſe, qui eam obſeruarent naſcentem, & ſingulis annis per tres dies ad hoc in Dei laudibus ſuper *Victoriæ* montem perſeuerantes, diuinum implorarent auxilium; quique tandem eam conſpexerunt exhibentem imaginem Infantis crucem deferentis, & monentis, vt in Iudæam pergerent Chriſtum natum adoraturi.

8. Tandem Sanctus Epiphanius in comp. doct. refert Hebræorum traditionem de muneribus auri, thuris & myrrhæ, quæ Abraham filiis Cethuræ vxoris ſuæ cuſtodienda mandauit, vt tandem Meſſiæ naſcituro illa deferrent; quæ munera à Regibus *Chodorlahomor*, & aliis à ſe victis abſtulerat, eoſque in Magodiam, & Arabiam ſe contuliſſe, illicque habitaſſe. Conſule Baron. in ann. Chriſti 1. numero 26. & Chryſologum, ſerm. 157.

CAPVT XVI.

De Zoroaſtre Principe Magorum.

1. ZOroaſtres interpretatur *Aſtrum viuens*, ſecundum Clementem Romanum, lib. 4. recogn. vel, vt vult Scaliger in Laërt. *Aſtrorum ſacrificator:* vel ſecundùm Bouchardum, *Aſtrologus*, ſeu *Contemplator Ephemeridarum:* vel ſecundùm Kircherum lingua Perſica, *Homo formans idola de igne*, vel *ſimulachrum ignis abſconditum*. Vnde patet eſſe nomen profeſſionis, non verò perſonæ; quo ſcilicet nomine inſigniti fuêre præcipui Magiæ, & ſapientiæ profeſſores. Quia autem duplex *Magia*, altera diuina, & naturalis, altera diabolica; hinc fit, vt de Zoroaſtre diuerſa & contraria narrentur; nam Plinius, lib. 7. cap. 16. ait *eum naſcentem riſiſſe, palpitante cerebro, non diuiſis ab inuicem dentibus.*

2. Laërtius teſtatur, *per viginti annos in ſolitudine vixiſſe ſolo caſeo incorrupto per tot annos.* D. Chryſoſtomus ait *hunc Magorum principem captum iuſtitiæ amore, ſeceſſiſſe in montem: vbi diuina conuerſatione vtens, cæleſti ſplendore circumfuſus apparebat diſcipulis inſignioribus pietate & doctrina.* Cedrenus, & Boiſſardus in Apoll. Tyan. aſſerunt *eum à ſuo dæmone combuſtum, cum ipſe Magicis artibus ignem Aſtrorum in terras tentaret attrahere: cuius diſcipuli credentes eum in curru igneo tanquam Dei amicum ad cælum ſublatum eſſe, cineres eius diligenter in Aſſyriam deportarunt, & ſollicitè conſeruarunt, æſtimantes tamquam Aſſyriorum Imperij tutelares cuſtodes: quibus diſſipatis, etiam Imperium corruit.*

3. Quis non videt has fabulas poëtico more in veritate hiſtoriæ ſacræ fundatas? Quis enim ille ſapientum Magiſter, qui naſcens riſit, niſi *Seth*, qui naſcens Adamum & Euam lætitiâ magnâ affecit, eo quod pro Abel mortuo diuina bonitate eis datus eſt filius, quem Chronicum Alexandrinum teſtatur *per quadraginta annos in monte cum Deo conuerſatum, & ſplendidum apparuiſſe ad inſtar Moyſis?* Vnde Laërtius eum dicit *vixiſſe ab immortali tempore.* Certum eſt etiam *Henochum* fuiſſe vocitatum, Triſmegiſtum, Hermetem & Zoroaſtrem, vt qui ſapientiæ reconditioris doctor cum Deo conuerſatus, in cœlum raptus eſt. *Noë* pariter, qui riſum & conſolationem patri, & toti mundo naſcens attulit, hoc nomine inſignitus ſemper fuit. Melchiſedech, Abraham, ſimiliter, Iſaac, Ioſeph, & Moyſes, inſignes veræ ſapientiæ cultores, qui cum Deo ita familiariter conuerſati ſunt, digni ſunt hoc vocari nomine: & quod de cineribus Zoroaſtris aſſerunt, hoc de cineribus Ioſeph verius conſtat, Imperium Ægypti ruiſſe, ſtatim ac perdidit ſacrum hoc depoſitum.

4. Ex quibus conſtat inſignem fuiſſe *Zoroaſtrem*,

Digitized by Google

non tamen vnicum, ſed plures: licet vnicus fuerit horum ſapientum Compilator, qui forte is eſt *Zaizas*, præceptor Pythagoræ, in cuius libris multæ prænotiones veritatis Chriſtianæ leguntur, v. g. quæ iam attuli de Deo vno, & trino, de Reparatore, & Mediatore, de futura corporum reſurrectione, & vita æterna, &c. *Ampliata eſt Monas*, inquit Zoroaſter apud Pſellum, *quæ duo generat: duitas enim apud hunc ſedet, & intellectualibus fulget ſectionibus.* Plura vide apud Auguſtinum Eugubinum de perenni Philoſophia, & Paſchalem Rapin. in Chriſtianiſmo naſcente.

CAPVT XVII.

De prænotionibus Chriſtianæ fidei in Æthiopia, & India.

1 DVas Claſſes Gymnoſophiſtarum Indiæ, & Æthiopiæ agnoſcit D. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum: alij *Samanei* vocati ſunt, alij *Brachmani.* Primi à Sem traxerunt originem, Brachmani ab Abraham. *Sem* enim ſedem ſuam fixit primùm in Chaldæa, ſicut *Iaphet* fixit tabernacula ſua in Europa. *Iectan* autem filius *Heber* in Indiam Orientalem Coloniam conduxit ſecundùm Rab. Salomonem apud Genebrardum. *Heber*, inquit, *genuit Iectan, à diminuendo, aut minorando nuncupatum, quod diminuerit ſibi de mundi negotiis, vt vacaret rebus Diuinis, & Philoſophicis: quaſi è duobus eius filiis vniuerſa ſapientia deriuata eſſet in homines. Diuina per Phalech Hebræorum Patrem, humana & Philoſophica per Iectan Indorum, & Orientalium Genitorem. Vnde Philoſophia in illis locis ab omni antiquitate floruit; illic enim Brachmanes, Gymnoſophiſtæ. Quis dubitat Iſmaëlem filium Abrahæ, eſſe patrem Saracenos-*

rum, & alios Abrahæ filios ex Cetura, Libiæ, & Arabiæ, & Æthiopiæ, &c. *populos fundaſſe?* Certum eſt autem iuxta dictum Angeli. *Præcepit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodirent viam Domini, & facerent iudicium, & iuſtitiam.*

Gen. 18. 9.

2. Hæc eſt ergo origo *Brachmanorum* pietatis in Deum, iuſtitiæ erga proximum, & iudicij ac vitæ auſteritatis erga ſe. Teſte Abaillardo, & aliis, vnicum Deum in Trinitate perſonarum adorabant, Deum generantem, ac Verbum, & Spiritum ſanctum confitebantur, atque etiam communicationem futuram Filij, & Spiritus ſancti erga nos. Integrum Didymi Regis teſtimonium inferiùs afferam. Quam profeſſionem acceperunt à ſanctis Patriarchis, vt teſtatur Bardeſanes apud Euſebium lib. 6. cap. 8. de præpar. Euangelica: *Hi enim*, inquit, *tam traditione Patrum, quàm legibus, nec ſimulachra colunt, neque animatum quid comedunt; vinum aut ſeruiſiam nunquam bibunt; ab omni demum malignitate abſunt, ſoli Deo attendentes.*

3. Quidam eorum, præſertim *Samanei*, in ſolitudinibus diuinæ ſapientiæ & orationi vacabant: *Brachmani* verò in templis publicis myſteria celebrabant diuina, induti lineis veſtibus, & cappis albis fericis, ſecundùm Philoſtratum, cum baculo paſtorali in manu, & annulo, & mythra, de qua pendebant ſtellæ. Extrà templa pellibus induti erant per mediam corporis partem: continentiam omnes ſeruabant, ſed diuerſimode: alij quidem perpetuam, alij autem ad tempus. Quia autem velut præteritum, futurum ſpectabant tempus in myſteriis: ſicut Prophetæ gloriabantur de ſua prima origine, & quodam Horoe vel ſemi-Deo de Virgine nato, quem vocabant *Bubda*, vel potius *Badaia*, quod Hebr. interpretatur *ſolus Dominus*: Vnde etiam Gymnoſophiſtæ Æthiopiæ, & Ægypti colebant Deum im-

Digitized by Google

mortalem, & mortalem, & Infantem nasciturum de Virgine.

4. Tandem vtebantur baptismatibus, & aqua lustrali, multisque ceremoniis sanctis, quæ fuerunt in vsu in triplici lege: & certam credebant animæ immortalitatem, vitam æternam, vt mercedem iustorum, ac supplicia æterna impiis debita.

CAPVT XVIII.

De Dydimo Indorum Rege & Gymnosophista.

1. ABailardus de Introductione ad Theologiam lib. 1. cap. 23. testatur veterum Patriarcharum traditiones de mysteriis Christianæ Religionis, ita studiosè & piè acceptas, ac seruatas in India, vt Regem Indorum *Didymum* nomine comparet Dauidi & Salomoni, ac etiam Nabuchonosori pœnitenti; dicens hos quatuor Reges tanquam quatuor Cherubim eleuasse, & traxisse admirandum gloriæ Trinitatis currum: & refert fragmentum Epistolæ, quam ille *Didymus* Orientis Princeps scripsit ad Alexandrum in hæc verba.

2. *Non suscipit Deus sacra sanguinea, cultum diligit incruentum, spernit funesta libamina, Verbo propitiatur orantibus, quod solum ei cum homine est commune, suaque similitudine numinis delectatur: Nam Verbum Deus est, mundum creauit: hoc regit, atque alit omnia, hoc nos veneramur, hoc diligimus, cum hoc spiritum trahimus: siquidem Deus ipse Spiritus atque mens est, atque ideò non terrenis diuitiis, neque largitate mirifica, sed religiosis operibus, & gratiarum actione placatur.*

CAPVT XIX.

De prænotionibus Christianæ veritatis apud Sinas.

1. VEtustissimum est sane Imperium *Sinarum*, secundùm omnes Historiographos; vnde etiam ipsi gloriantur de hac antiquitate, sicut & Ægyptij. Nam si primis eorum historiis, quæ totæ confusæ sunt, credere fas esset, regna Sinarum & Ægyptiorum, ante ipsam mundi creationem secundum sacram Chronologiam viderentur fundata. Verùm, sicut inter Ægyptiorum Dinastias, saltem quindecim priores ab omnibus Historiarum Scriptoribus fabulosæ creduntur; sic & Sinarum Principatus: cum etiam ex Sinica historia optimè concludat Martinius in lib. 1. Hist. Sin. quod primus certus Sinarum Imperator sit *Fohius*.

2. *Fohius* ille est, quem magnis virtutibus ornatum, Astrologiæ peritissimum, & inuentorem 64. figurarum mysticarum, quas obseruauerat in Draconis è lacu prodeuntis dorso, aliorumque Sinensium caracterum, qui quidem ad symbola Ægyptiorum accedebant, regnasse 113. annis asserunt. Eumdem dicunt sine patre natum è matre, quæ circumdata ab Iride eum concepit, & in prouincia *Xensi* peperit, anno ante Christum, iuxta Chronologiam nostram, 2952.

3. Videamus quisnam potuerit esse ille *Fohius*, Hebraïce פורוש, quod quidem verbum continet nomen Dei *tetragrammaton*, & litteram ו, quæ est formatiua nominis Iesu, vt superius notaui: & cum פ significet *os oris*, illud verbum interpretari potest, *os Domini Iesu*, seu *os Messiæ*, qui simul Deus & homo est. *Fohiu*, *Fhogiu*, Tunchinensi lingua interpretatur *Dominus iuuans*, aut *Dominatio sanctificans dies*

festos: & nota quod *Pho* est particula pluralis numeri cum honore, v. g. *dominationes vestræ.*

Iam verò quis dubitet *Fohium* fuisse vnum ex filiis, vel nepotibus *Sem*, qui iuxta Scripturam habitauerunt in Oriente, diuisa terra? præcipuè cum certum sit eius filium primogenitum *Ælam*, fuisse primum Persici regni fundatorem. Gen. 10.

4. Imo ipsemet *Sem*, qui vixit quingentis annis post diluuium, potuit hoc regnum Sinicum fundare, vt & alia. Cum enim fuerit per quingentos annos summus Pontifex legis Naturæ, fortè tanquam pius zelator diuini cultus, vsque ad vltimos Orientis terminos potuit se transferre, vt Dei veri Religionem vbique prædicaret: præcipuè cum pater eius Noë, licet senior vsque ad Italiam se contulerit, eodem zelo motus, vt asserunt plerique, nec desunt plures conjecturæ: nam conuenit tempus circiter vtriusque Natiuitatis.

2. *Fohium* sine patre dicunt conceptum, nec eius matrem nominant, in quo *Sem*, cui & Melchisedech concordat secundùm nonnullos, quem Paulus nominat sine patre, & matre.

3. Conueniunt in nomine. *Sem* enim interpretatur *nomen*, & sæpè pro *tetragrammato*, seu יהוה ponitur, continetque eandem litteram formatricem nominis *Iesu*, seu *Messiæ*, sicut *Fohius*.

4. Vterque in doctrina, pietate & virtutibus conueniunt, & Dei cultum instituerunt, easdemque Christianæ fidei tradiderunt prænotiones.

5. Quicquid sit, certissimè constat Sinenses easdem tenuisse veritates de Mundi creatione, de productione primi hominis, eiusque casu, de Diluuio, de Trinitate, de Redemptione humana, de Angelis & Dæmonibus, de Purgatorio, de æterna remuneratione Iustorum, & impiorum pœna, & alias quas sancti Patriarchæ tenuerunt, vt patet ex sequentibus.

Digitized by Google

Agnoſcunt enim cæli & terræ creationem à Deo factam, & primam, ſeu ſummam Rationem, quæ omnia ex chao, ſeu ouo, vt Ægyptij volebant, ordinatè fecit: illud enim Cahos, illud eſt, quòd dicitur Geneſ. 1. *In principio creauit Deus cælum & terram: terra autem erat inanis & vacua: & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Vnde etiam dicunt, *omnia in nocte media fuiſſe producta.*

6. Porro Deum, ſeu ſupremum Mundi Rectorem, & Imperatorem vocant *Xangthi*, quod lingua Tunchinenſi interpretatur *Claritas ſubſiſtens*, vt ſuprà notaui, vel lingua Hebræorum, *Aſpector meus.* Tunchinenſes verò eundem vocant cæli Dominum, *Mucmoi*, quod ſignificat *Oculum*, Hebræi verò *Medullam*, & *Quis ipſe?* alioque nomine appellant *Nguc hoang*, quod lingua Tunchinenſi ſignificat *Regem cæli, & inferorum.* Hebræi verò *Quietem eius, qui ſibi ſufficit*, quod idem eſt, ac *Saddai.* Conſule quæ ſuperiùs dixi prima parte cap. 2. Addunt Sinenſes primum Principium eſſe occultum, & patens: illud etiam vocant θa, vel *Tao*, quod eſt *Principium & finis.* Verùm de *Tao* infra.

7. Dicunt primum hominem fuiſſe *Puuncuum*, quod nomen eſt à radice heb. פוּץ *puac*, *offendere, ruere, cadere, educere, & producere*: quæ omnia Adamo perfectè conueniunt, qui cum eſſet primus hominum, Deum offendit, ruit in peccatum, cecidit de ſtatu innocentiæ; vnde in pœnam ſui criminis eductus, & expulſus è paradiſo, produxit tamen ſeu genuit filios. Lingua Tunchinenſi interpretatur *Phu, Chao, Maritus*: fuit enim primus maritus inter homines: hunc dicunt de deſerto, id eſt, de Meſopotamia prodiiſſe.

8. Quod autem dicunt Mulierem, quam vocant *oam*, lapidem capiti ſuo impoſuiſſe, ac cœlum reſarciſſe; ac ſimiliter colentes Imaginem Mulieris coronatæ

natæ gladium tenentis, & calcantis serpentem: illud idem est mysterium quod indicatur. Gen. 3. *Ipsa conteret caput tuum.* Nempè quod sacra Virgo Deipara per Filium suum debuerit caput serpentis, seu peccatum, mortem, & infernum conculcare, ac cælum resarcire: nam B. Virgo per Christum, qui dicitur *petra*, & *lapis angularis*, cælum nobis reparauit. Adde quod veteres dicebant Deum esse vtriusque sexus: hincque certum est ipsum Deum, qui est *alpha* & *omega* in Apoc. per Filium suum lapidem angularem cælum resarciisse. Is. 28. v. 16. & Eph. 2. v. 20. & 1. Pet. 2. v. 6.

9. Tenent Diluuij traditionem, veritatem occisi Serpentis & Draconis, sacrorum Numerorum mysteria, Angelorum & Heroum cultum, inferiorem tamen cultui latriæ, quem soli Deo tribuunt: purgationem animarum post mortem, earumque remunerationem, vel pœnam; augusta sacrificia, & communionem panis & vini, Hierarchiam inter sacros ministros, summum vnius Pontificatum, & multa alia, quæ sancti Patriarchæ docuerunt.

10 Pro symbolo Trinitatis, primò cælum, vt Dei sedem pingebant, tribus lineis. 2. Imaginem hominis tria capita habentis venerabantur; hæc autem capita se inuicem aspiciebant: *quia*, inquiunt, *vnicam habent voluntatem.* 3. Fingebant quandam substantiam nomine *Taicut*, & ab ea duas alias substantias processisse, *Am*, *du-Am*. Porro *Thai* significat lingua Tunchin. *Vterum grauidum & concipientem*, & *Cuc* est particula superlatiui gradus: quod perfectè notat Patrem æternum, generantem suum Filium: significat quoque maximum & primum Principium. *Am Am* significat *gerere infantem*: *Du* interpretatur *sufficiens*; *Thaicuc* eadem lingua Tunchin. interpretatur *simul concipiens*, vel *inuicem producens*, id est, Pater concipiens Filium & simul cum Filio producens Spiritum sanctum. *Am* quoque

Hebr. significat *Matrem. Thaicu* ab Hebr. תכה *Taca* interpretatur *coniungens*, & *adhærens*: quia tres substantiæ, seupotius subsistentiæ coniunctæ, & sibi adhærentes sunt per vnam essentiam, quam habent. *Am* עם ponitur sæpè pro *sunt*: vnde *Taicuc Am du-Am* interpretatur: *hæ tres sunt substantiæ ex se, & simul adhærentes vni essentiæ.* 4. Dicunt *Duo seu legem fecisse, vnum verò duo, duo verò tria, tria verò omnia.*

Eadem est Cabalistarum traditio, vnde etiam Pythagoreorum sacra ex his desumenda sunt. Illa etenim lex æterna Deus est. Pater vnus generat Filium, seu alteram personam: & Pater, & Filius producunt Spiritum-sanctum, qui est tertia persona: & exinde omnia opera Trinitatis ad extrà sunt indiuisa. Illud vetus adagium Virg. Eglog. non spernendum.

-------numero Deus impare gaudet,

quod etiam apud Sinenses viget.

11. Primis temporibus non vtebantur Templis, sed ad instar veterum Patriarcharum sacrificabant in excelsis, seu in montibus & syluis: verum successu temporis Templa constituxerunt, & omnes legis naturæ ceremonias obseruarunt, vnicum Deum adorantes: piis & sanctis viris, ac etiam Geniis, seu Angelis tutelaribus inferiorem cultum exhibebant, eorum imagines venerabantur. Solemnem quotannis Defunctorum commemorationem faciunt, pro iis offerunt sacrificia, ieiunant, & eleemosynas largiuntur etiam nunc.

12. Tandem de Messia, seu Redemptore nascituro ex Virgine, cuius Imaginem tenentis Infantem in vlnis multis in locis venerantur, veterem traditionem tenuerunt, vt statim adnotabo, vbi de *Confusio* Philosopho, & Propheta tractabo. Vt enim notat Martinius, lib. 4. historiæ Sinicæ: *Christus nascituus agnitus est, & prædictus à Confusio plusquam quingentis annis ante nativitatem ipsius Christi, quam etiam*

Digitized by Google

multa prodigia in Sina præcesserunt : vt idem notat ibid. lib. 10. *& sicut pax Imperio Romano data est in ipsa Christi Natiuitate ; sic etiam in Sina inter Tartaros, & Sinenses facta est ; vnde Sinarum Rex nomine* Pingus, *qui tunc imperabat, voluit vocari Pacificus.*

Neque mirum si in Imperio Sinico tot veræ Religionis prænotiones cernuntur, cum fuerit à sanctis Patriarchis fundatum, & toto hoc tempore ab idololatria immune seruatum fuerit, Sinensibus legis naturæ puritatem obseruantibus vsque ad annum post Christum natum sexagesimum quintum : quo anno variæ Sectæ hæreseôn, & idololatriæ ex India in Sinas allatæ sunt, ad quas debellandas etiam sancti Apostoli Thomas, & Bartholomæus missi sunt. Consule Martinium in libris Sinicæ historiæ, nec-non Aluarem Semedo, Fernandem Pinto, & alios, è quibus hæc sunt desumpta.

CAPVT XV.

De Confusio *Philosopho, & Propheta Sinensi.*

1. INter Sinenses Philosophos *Confusius* primas sedes tenet, doctrina, morum grauitate, pietate, & prudentia percelebris. Vixit eodem circiter tempore, quo Aristoteles in Græcia. Is ex Martinio, lib. 4. hist. Sinensis, 21. *anno Imperij* Lingi *ante Christum* 551. *natus est, patre præfecto regni : anno verò ætatis* 19. *vxorem duxit patri obediens, ex qua primo anno filium suscepit, vna illa contentus, & nefas credens more gentis concubinas superinducere. Quin & hanc postmodum repudiauit, vitam viuens celibem, procul ab vlla vxore, idque vt liberius Sapientiæ vacaret, & longius proferret suam Philosophiam, Sinas obeundo. Tria millia discipulorum habuit, & ex his septuaginta duos exquisitissimæ doctrinæ : duodecim verò*

lectissimos Philosophos, id est, omnibus doctrinis instructissimos.

2. *Natus annos 50. in natali solo Regni Ludi-Magister factus, publicum illud munus tanta gessit diligentia, vt regni mores breui commutarit in melius: plurimos abusus, & hominum sese fraudantium artes, præcipuè mercatorum sustulit; pondera, & mensuras aquales fecit; alendi, sepeliendique parentum obsequium docuit: maribus persuasit, vt animi candorem, fidelitatem in omnibus, innumèrasque virtutes alias; fœminis autem, vt simplicitatem, placidos mores, & castitatem sectarentur. In via reperta, nisi, qui ea amisisset, nemo tollebat. Quibus aliisque rebus effecit, vt totum regnum, non nisi familia vna, concors, & mutuis obsequiis intenta videretur: eosdemque mores exemplo suo in regna vicina quædam induxit. Anno sequenti ad* Colai *Regis dignitatem protractus est.*

3. *Verùm cum Regem à libidine, & amore cuiusdam puellæ non potuisset reuocare, relicto magistratu discessit è regno; ad cuius exemplum multi alij Philosophi aula contempta secesserunt in solitudines, sicut & sancti Prophetæ. Postquam autem septuaginta tres annos vixisset in omni virtutum praxi, mortuus est, numquam à suis satis laudatus, Instaurator, & explicator Litteratorum Secta, cuius vita, & doctrina adhuc apud Sinas magna in veneratione habetur.*

4. Prima primi eius libri sententia hæc est, totius Philosophiæ fundamentum. *Magna, siue magnorum virorum doctrina in eo posita est, vt cum quisque seipsum perfecerit, alios quoque perficiat; sic vt omnes vnum, hoc est, summum bonum consequantur. Sed sui ipsius perfectio in eo consistit, vt quisque lumen naturale in se accendat, clarumque reddat; ita vt à lege naturæ & præceptis à natura insitis nunquam exerret. Quod quia sine vera rerum cognitione, scientiaque fieri non potest. Inde Philosophiæ danda est opera, per quam*

eorum quæ agenda, quæque fugienda sunt, scientiam habamus. Hac scientia consilia nostra dirigimus, hac intellectum & voluntatem, hoc est, vtriusque actiones perficimus, vt nihil sentiamus, nihil velimus, nisi quod est rationi consentaneum. Exinde corporis etiam existit, sensuumque perfectio, & in omnibus externis actionibus apta ex virtute constitutio: quæ nunquam prouentura est, si non è bona mente, velut è fœcunda terra efflorescit.

5. Illud frequens *Confusij* dictum erat. *Ne facias vlli quod pati nolis.*

Pietatem definiebat *virtutem cordis, & regulam amoris:* hanc volebat haberi non solùm erga Deum, sed etiam erga parentes, erga seipsum, & erga omnes homines.

Addebat æquo animo ferendas esse iniurias, *hactenus quidem, vt nulli faciam malè, quia ab illo offensus fuerim; sed vt eodem modo sim erga amicum, atque inimicum affectus.*

Rationem à cælo nobis infusam dicebat; quodque in cælo est, esse sine figura perfectissimum, ac summum: ad hæc, à cælo puniri malos, & si malè ageret, ab eodem puniendum se confitebatur. Per Cælum autem intelligere volebat eum, qui cælum à se conditum sedem sibi delegerat, vbi singulari & augustiori modo fulget eius majestas.

6. Ipse est *Confusius*, qui Mulierem, quam vocat OA, lapidem capiti suo imposuisse, ac cælum resarcisse dixit: quam futuræ Redemptionis figuram supra explicaui.

Idem in libris suis monuit, *Sanctum in terra Occidentis quærendum esse:* intellige in Ierusalem, & Roma, quæ sunt Occidentales respectu Sinarum.

7. Tandem, vt notat Martinus, lib. 4. hist. Sin. *Confusius* præuidit Verbum carnem futurum, imò & annum, quo illud futurum esset, in Cyclo Sinico

eum cognouiſſe, idque non dubia ſpe prædixiſſe, teſtatur: quæ prædictio in hæc verba enarratur.

Anno Kingi *Sinenſium Imperatoris trigeſimo nono, ante Chriſti ortum 475. fortè* Lu *Regis venatores extra portam vrbis Occidentalem, animal rarum* Kilin *nomine, ſed hoc ſolo notum apud Sinas, captum occiderant: conſtanti fama celebrabatur, cum viſum eſſet animal huiuſce prodigij, ſuoceſſurum magnæ ſanctitatis Heroem, ſummæ, quæ poſſet orbi contingere, fœlicitatis nuntium. Id ergo, vbi nunciatum eſt* Confuſio, *ingenti ſuſpirio pectus concutiens: Quis te adueniſſe* Kilin, *dixit? Quis te adueniſſe* Kilin, *dixit? Ingeminauit. Iam iam doctrina mea extremum ſpectat, iam finem habet, cum tu adueneris.* Hæc vbi dixit, auerſo ad parietem vultu, effuſiſſimè fleuit.

8. Notandum verò *Kilin* à Sinis appellari manſuetiſſimum animal, quod neminem lædat, nemini malum inferat; imo nec mortem offerentibus noceat. Ex quo vides Agnum Dei tollentem peccata mundi, occiſum pro Redemptione hominum omnium extrà portam Occidentalem, verum Legiſlatorem, qui bella, & lites componeret, cuique omnes Philoſophi, Sectæque cederent.

Hinc *Confuſius* hoc eodem anno finem libris ſcribendis impoſuit, imperfecto vltimo, quem incœperat, relicto; & fleuit amarè, ſiue præ gaudio ob futurum Chriſti aduentum, ſiue præ compaſſione ſuper futuram eius Paſſionem.

Digitized by Google

CAPVT XXI.

De cultu veri Dei, & prænotionibus fidei mysteriorum apud Gallos, Britannos, Germanos, & alios populos Occidentales.

1. CErtum est Gallos, alioſque populos Occidentales, nationis & Religionis ſuæ originem traxiſſe à Gomero filio Iaphet filij Noë, ex Ioſepho, lib. 1. Antiq. cap. 11. Beroſo, lib. 4. & aliis; Vnde cum prædixerit Noë filio ſuo Iaphet, quod habitaret in tabernaculis Sem, id eſt, quod diu permaneret in eadem Religione, & iiſdem traditionibus; non eſt mirum, ſi per multa temporum interualla in Gallia, & aliis Occidentis partibus vera ſanctorum Patriarcharum ſubſiſtat Religio.

2. Videmus enim ex antiquis Scriptoribus, quod Crux in eorum populorum Templis campeſtribus eleuata, & culta fuit; Imago Deiparæ Virginis, Filium in vlnis portantis, fuit honorata; quod nomen Tetragrammaton, ſeu etiam *Ieſus*, fuit inuocatum; quod ſacro-Sancta Trinitas fuit credita: ſicut & alia fidei noſtræ myſteria, vt clariùs patebit ex capite ſequenti de Druidarum Religione.

3. Quatuor adnotanda ſunt genera Sacerdotum, ſeu Doctorum apud hos populos Occidentales. 1. *Semnotheorum*; id eſt cultorum veri Dei *Sem*, & habitantium in eius tabernaculis; ſeu inſigniter, & deuotè ſeruantium traditiones, & ſacras Ceremonias eius. *Semnotheos* enim interpretatur, *pietate, & religione ſublimis, ſeu illuſtris*; vnde illud nomen, & genus commune erat omnibus fidelibus Deo dicatis. Alterum erat *Bardorum*, quorum munus erat componendi, & cantandi, ad modum Poëtarum, Can-

tica, & Pſalmos in Dei honorem, & in res præclarè geſtas Heroum, ſeu illuſtrium virorum, componendique Annales.

4. Tertium genus erat *Sarronitarum*, qui præſertim Philoſophiæ, & ſecretis Naturæ explicandis vacabant.

Quartum *Druidarum*, qui toti Myſteriis diuinis, ſeu Theologiæ, & ſacrificiis vacabant, iis occupationibus erat deditum. Vnde Druidæ *à Driſin*, quod Hebraïcè *Contemplator* interpretatur, ſunt dicti: vel potius libenter dicam cum Voſſio, lib. 1. de origine Idol. cap. 35. Britannis, & Germanis *Dru* interpretatur fides, pro quo alij *Trou* dicunt; vnde & Deus veteribus Germanis *Drutin*, ſiue *Trutin*, vt videre eſt ex Euangelio Olfridi. Itaque *Drutin* interpretatur *Diuinus*, aut *fidelis*; vtraque vox Sacerdotibus conueniens. Fortè à Quercu, ſub qua ſua myſteria complebant, *Druidæ* dicti ſunt.

5. Ex quo ſatis patet, quod Druidarum Deus idem fuerit, ac Deus *Sem*, ſeu Melchiſedech: vnde ſimul erant Iudices, Doctores, & Sacerdotes; ſicut ſancti Patriarchæ. Docebant autem non ſcriptis, ſed traditione, veritatem vnius ſummi Dei, immortalitatem animorum, vitam beatam futuram; Trinitatis, futuræ Incarnationis, & Dei ex Virgine naſcituri Myſteria, ſub iiſdem tamen velis, & figuris, quibus vtebantur.

6. Habebant autem & ſuas Virgines, doctrina, pietate & ſapientia præditas: quarum vna centum circiter annis ante Chriſtum natum ſpecialem de Incarnatione Verbi diuini, & Natiuitate eius ex Virgine Deipara reuelationem habuit: cuius ſcilicet perſuaſione ſacram illam Imaginem, quæ adhuc in ſubterranea Crypta Eccleſiæ Carnotenſis colitur, Virgini Deiparæ conſecrarunt Druidæ.

7. Solebant *Druidæ* ex Valerio Maximo, & veteres

Galli *pecuniam credere suam trapezitis seu nummulariis, recuperandam cum fœnere in altera vita*; quia immortalitatem animæ & futuram corporum resurrectionem firmiter credebant: vnde etiam *Lucanus* testatur eos æstimare quid indignum,

----------reditura parcere vitæ.

CAPVT XXII.

De Druidarum Religione, & solemni sacrificio.

1. LVcanus, lib. 1. Druidis loquens congruè dicit.

Solis nosse Deos, & cæli numina vobis,
Aut solis nescire datur.

Quia scilicet nulla Idola colebant, sed Deum, summum Cæli & terræ Creatorem. Cui concordat Iulius Cæsar, lib. 6. de bello Gallico, asserens *Gallos & Druidas esse religiosissimos, & tamen Idolorum, & exterarum Religionum infestissimos hostes; cum Religionis causa, Romæ templum Iouis Capitolini, & Delphis in Græcia Templum diripuerint, ac spoliauerint, Idolis conculcatis.* Vnde, inquit Cicero pro Marco Fonteio: *Tantùm Galli à cæterarum gentium more, ac natura dissentiunt, quod cætera pro suis Religionibus bella suscipiant, illi verò cum Diis immortalibus bella gesserunt.* Quomodo itaque possunt vocari religiosissimi; nisi quia vnicum Deum, cæli & terræ Dominum colebant?

2. Quantò ergo ab Idololatris discrepabant, tantò ad Patriarchatum mores, & Religionem accedebant. In quantum

1. Simul erant Iudices, seu Reges, Doctores, & Sacerdotes.

2. Diem à vespera incipiebant, & menses per Lunæ, non verò per Solis motus numerabant; iuxta illud Geneſis 1.

Factum est vespere & mane dies vnus.

3. Ab immundis escis abstinebant.

4. Columbam, vt auem mysticam venerabantur; quia vt signum pacis, oliuam ad *Noë* attulerat.

5. In syluis, & nemoribus orabant, & sacrificabant sub quercu, sicut *Abraham*, & alij.

6. Panem & vinum Deo in sacrificium offerebant, sicut *Melchisedech*, & duos tauros candidos sine iugo.

7. Lineis vestibus in mysteriis vtebantur.

8. Licet nulla colerent Idola, tamen in aditu tabernaculorum sacrorum, & sacri nemoris, habebant *Theraphim*, id est, Sanctorum virorum Imagines duas, velut duo Cherubim.

9. Ex Maximo Tyrio, & aliis: *Eorum altaria erant figura triangularis, ad pedes quercus sublimis, crucis figuram repræsentantis.* Vnde etiam censet *Lypsius* Crucem Domini è ligno quercus fuisse constructam.

10. Ab eis *Pythagoras* communem vitam accepit, mysterium quoque sacræ *Tetractis*, ac Philosophiam *Acroamaticam*, per sola verba, non scripto, sed per auditum accepta, iuxta veterem *Cabalam* Hebræorum; nec non praxim *Anathematis*, seu excommunicationis contra Apostatas, & suæ professionis desertores, quibus media in schola tumulum erigentes, eos velut mortuos reputabant.

Tertiò. Ex Lucano, Lactantio, & aliis, Deum colebant sub his quatuor nominibus. *Theutates, Hesus, Taramis, & Belenus. Theutates*, vt vult Eusebius, lib. 1. de præparatione Euangelica, ipse est Deus, quem Phœnices vocabant *Thaut*, Ægyptij *Thoit*, Alexandrini *Thot*, vnde Germani *Goth*: alij Mercurium, quem Hebræi, & Chaldæi vocabant *Iasod*, quod interpretatur *fundamentum*; sub his nominibus verum *Iesum* adorantes, qui est sapientia Patris, & simul lapis angularis, primum Ecclesiæ fundamentum.

4. *Heus*, vel, vt alij volunt, *Iehus* & *Heus*, quod Hebraïcè interpretatur *Existens*, idem quoque est noster *Iesus*, seu futurus *Messias*, Filius futurus Virginis parituræ; vnde teste Eusebio, Phœnices dicebant, *Iehad* vnicum esse Filium Dei.

Huc spectat illud: *Iehosua*, seu, *Iesum salutare tuum, Domine, expectabo.* Hinc Veteres dicebant *Hesum* esse *Martem*, seu Deum fortem, Deum *Sabbahoth*, exercituum. Fortè ex eo nomen accepit Puteus ille perantiquus capellæ subterraneæ Ecclesiæ Carnotensis, veteribus Druidarum mysteriis inseruiens: vocatur enim locus ille *Sanctorum fortium.* Sed & cantat Ecclesia *Deum sanctum*, *Deum fortem*, *Deum immortalem*: & *Gabriel* missus ad Virginem Deiparam de futura *Iesu* Conceptione tractaturus, interpretatur, *Dei fortitudo.* Tandem, vt ait Seruius in Virgil. *Vnessus*, veteri lingua Celtica interpretatur, *Homo fortis.* Genes. 49.

5. *Taramis*, vel *Tobaramiseh*, interpretatur Hebraïcè *Purgans hominem*, à radice מהו *mundare, purgare*: littera מ est formatiua participij איש *homo vir*, מ quoque significat *ab*, & sic poterit interpretari *Purgans à sordibus hominem*: quæ omnia congruunt *Iesu* purificanti homines per Passionem suam, in qua fortiter victor mortis extitit.

6. Tandem *Belenus*, vel *Baal Enos* interpretatur *Deus homo*, vel *Dominus hominum*, vel *Maritus hominis*, seu humanitatis: nam *Baal*, בעל. interpretatur *dominari, possidere*, vt *Dominum, & maritum esse*, & *Enos* אנוש, *Homo-virgo.* Quis iam dubitet *Druidas* fuisse veros cultores vnici Filij Dei de Virgine nascituri, in cuius sacro vtero humanitatem sibi desponsauit, *Deus* factus *homo*, & *hominum* summus *Dominus?* Quod confirmatur ex solemni eorum sacrificio quotannis fieri solito, in quo præfigurabant apertissimè *Iesu Christi* sacrificium incruen-

tum ſub ſpeciebus panis & vini, & cruentum in Cruce. Omnes ergo, & ſingulæ ceremoniæ ſunt obſeruandæ, & in eis noſtræ myſteria Religionis prænotanda.

7. Primò notandus eſt dies *Veneris*, quem ſuis myſteriis conficiendis conſecrauerunt in ſingulis hebdomadis; ſed precipuè Dies *Veneris*, primus menſis Ianuarij, in quo magnum ſacrificium perage-bant, ſecundum Plinium l.16. c.44. & l.24. c.11. *Hac itaque die conuocato omni populo fiebat ſolemnis Proceſſio à preſbyteris indutis lineis veſtibus; ſequente ſummo eorum Pontifice, induto deſuper cappa ſerica coloris albi ad locum ſacrificio deſtinatum: qui quidem locus erat ipſe mons* Carnoteus, *in cuius ſummitate erat* Quercus *ſublimis, & recta, duobus ramis extenſis in* Crucis *modum, ad cuius pedes altare erat erectum.*

8. *Vbi ad prædictum locum* Proceſſio *aduenerat*; Oratio *fiebat publica, tum* Exhortatio *à ſummo Sacerdote, deinde* proſtratio *populi, & peccatorum publica* confeſſio, *non quidem in ſpeciali, ſed tantùm generaliter: Interim verò* Pontifex, *conſcenſa ſcala* Quercui *innixa, colligebat aureo cultello* Viſcum, *ſeu flores hyemales* Quercus, *eos recipientibus in linteo mundo duobus aliis preſbyteris magnâ cum deuotione. Viſcum enim hunc,* inquit Plinius, *è cælo miſſum putant, ſignumque eſſe ſelectæ ab ipſo Deo arboris, &* Omnia ſanantem *appellantes ſuo vocabulo.*

9. *Poſtquam* Viſcum *collegerat Pontifex, illum benedicebat, & populo tradebat, dicens: Accipite electionis ſignum: en contra omnia mala remedium, en munus de cælo miſſum. Tum panem & vinum in ſacrificio offerebat Deo. Deinde duos Tauros candidos immolabat.*

10. Non omittendum quod *quatuor prædicta Dei nomina huic myſtica* Quercui *appendebantur inſcripta*

in hunc modum : In ſummitate , & in infima eius parte , primum Tharamis. 2. Belenus. *In medio* Heſus : *& in ſiniſtro* Theutates.

11. Quis non videt ſub his figuris perfectè deſcriptum Chriſti ſacrificium ? quod eadem feria ſexta fuit oblatum in monte *Caluariæ*, poſtquam Chriſtus proceſſionaliter aſcendit Ieruſalem, in qua primò ſeipſum obtulit hoſtiam ſanctam & immaculatam ſub ſpeciebus panis & vini. Deinde in monte *Caluariæ* ſeipſum in ſacrificium cruentum obtulit etiam Patri moriens in Cruce, ex qua viſus eſt quaſi *Viſcus* collectus à Nicodemo, & Ioſepho ab Arimathia ; eſt enim germen iuſtum, & flos de radice *Ieſſe*. Sanguis eius eſt verum noſtræ electionis ſacramentum, eſt remedium omnium malorum : & munus è cælo miſſum. Ierem. 23. v. 5. Iſa. 11. v. 1.

Huc ſpectat traditio, quod Crux Domini conſtructa fuerit ex *Quercu*, ex Euſebio, & aliis. Quatuor quoque prædicta nomina, vt notaui, perfectè Ieſu Chriſto Cruci affixo conueniunt, & duæ naturæ eius per duos *Tauros* deſignabantur.

Adde quod *Viſcus* à Græcis vocatur *Panchreſtos, omnia ſanans*. Floret autem in tenebris, non propriæ arboris virtute, ſed cæleſti : neque à terra ſumit alimentum, ſed à cælo : ſine vlla vi procellarum, folia ſemper virentia nunquam amittit, ac tandem gummium, quaſi vnguentum, vel *Chriſma* comitiali morbo perutile producit.

Digitized by Google

Caput XXIII.

De cognitione veri Dei, & prænotionibus Christianæ fidei in Græcia, Italia, & aliis Europæis Prouinciis.

1. Græcos litteras à Phœnicibus, occultiora Sacramenta ab Ægyptiis, suam vero Philosophiam, ac Thologiam ab Hebræis, & Barbaris accepisse testis est Cyrillus Alexandrinus, in libris Stromatum, passimque alij; Italos verò à Græcis præsertim, & Pythagoreis.

2. Verùm vt altiùs ascendamus, certum est ex Iosepho lib. 1. antiq. Iudaï. cap. 6. Berosо, & aliis, quos videre est apud Goropium Becanum, imò ex Genes. 9. & 10. *Iapetum* Noë filium primum fuisse authorem populorum Europæorum & Septentrionalium, ac proinde eorum primæ Religionis institutorem. Hinc duplicem à patre accepit benedictionem, primam quidem temporalem, quoad dilatationem terrarum, quas debebat obtinere; alteram spiritualem quoad habitationem in tabernaculis Sem, id est, quoad perseuerantiam in Ecclesia, seu vera Religione *Sem* summi Pontificis legis naturæ; in quantum, vt primogenitus non tantùm politiam, sed & Ecclesiam regere & dirigere debuit. Vocatur autem Iapetus à Poëtis, ac pater Promethei, quem credebant hominem formasse de limo terræ, quia ab eo didicerant historiam creationis Adami.

3. Berosus & alij testantur *Noachum* primum Latinorum seu Italorum fundatorem, quem poëtæ *Ianum* vocarunt: cui duplicem tribuebant faciem, quia duplicem mundi statum antè & post diluuium viderat: eum autem agnoscebant, vt authorem politiæ sacræ, & prophanæ, qui scilicet cœlum, & terram

Digitized by Google

colere, vineamque ad sacrum, & communem vsum plantare didicerat; vnde *Ianus* ab Hebræo יין *Iain, vinum*, deducitur. *Idem est*, inquit Goropius in Franc. lib. 4. *Noachus, qui Romæ aram maximam erexit cum Iapeto, & hanc Religionis sedem latè inde sese per totum orbem sparsuræ promisit:* de hac ara Virg. 8. Æneidos.

Hanc aram Luco statuit, quæ maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima semper.

4. Huc spectat quod scribit Iacobus Mazochius lib. de antiquis Inscriptionibus, Romæ asseruari lapidem marmoreum, in quo tres cernuntur figuræ: prima repræsentat hominem perfectum, cum hoc titulo, *honor:* altera fæminam, eidem homini manum præbentem, cum hoc titulo, *veritas:* tertia media infantem, in capite inscriptum habentem hoc verbum, *amor:* & super circulum has figuras continentem, hæc verba insculpta: *Fidei simulachrum.* Adde quæ veteres narrant de Templo dicato vni Deo, quem vocabant *Fidium-medium,* & *Semipatrem.* Quis ergo non videat hæc esse, & plura alia quæ inferiùs adnotabo, vestigia veræ Religionis sanctorum Patriarcharum de adoranda Trinitate, à *Iano*, seu Noacho tradita?

5. Berosus lib. 3. testatur eundem Noachum fuisse vocatum *Vulcanum*; eo quod ignis è cælo descenderit super sacrificium quod obtulit post diluuium: eius autem vxorem *Thyteam Cybelem*, id est sacrificiorum Reginam, & *Vestam*, id est, Ignis nutricem: eosque per Europam peregrinatos, præsertim per Græciam, & Italiam, vt Dei cultum, & veram Religionem vbique instituerent, & docerent; ac plura collegia virginum Vestalium ad custodiam Ignis sacri ipsam *Vestam* fundasse. Erat enim præceptum legis Naturæ, & Mosaïcæ, in altari diuino ignem sacrum semper ardere debere. In Templo *Vestæ* videbatur

Imago Virginis gerentis Infantem in vlnis cum hac inscriptione, *Vestæ matri*, seu *Virgini Matri*, ex Grut. de Inscrip. In Græcia similis Imago cernebatur in templo Palladis, in quo etiam degebant Vestales.

6. Veram Religionem Patriarcharum primitùs apud Græcos, & Latinos floruisse, etiam demon-
Act. 18. strant. 1. altaria *Ignoto Deo*, id est, (vt notat Hilduinus in collatione D. Pauli cum Dionysio Areopagita) Deo, qui cum nondum se demonstrasset, venturus erat & regnaturus in cœlo, & in terra sine fine; Athenis, Burdigalis, & alibi erecta.

2. Templum perantiquum Romæ erectum, & dicatum primæ *Rationi*, cuius *Pinaces* & *Politiani* sacerdotes, qui crucem adamantinam in pectore gestabant ad modum Rationalis, seu pectoralis, in memoriam traditionis futuri Messiæ, cruci affigendi pro mundi salute.

3. Item primæ litteræ Christi nominis, insculptæ sub aquila deferente fulmen *Iouis* Ammonij.

4. Testimonium Ciceronis lib. 2. de diuinat. Quo agnoscit Regem nouum venturum Græcis & Latinis eandem sacram politiam daturum: & Virg. 4. Eclog. qui eum describit *Infantem noua progenie* è cęlo emittendum, & restituturum aureum sæculum, & alia in seriùs citanda tùm Græcorum, cùm Latinorum Philosophorum, vbi de Trinit. & Incarnatione differam.

5. Augustum panis & vini sacrificium, à summo sacerdote offerri solitum, tanquam verum Melchisedechianum.

6. Baptismata, seu ablutiones, aliæque ceremoniæ.

7. Sybillarum Oracula.

8. Traditiones communes de mundi creatione, de diluuio, de cultu sanctarum Imaginum, siue Dei, siue Angelorum, siue Heroum, id est, sanctorum virorum, de purgatione animarum post mortem, de feriis & festis diebus, de vltimo Dei iudicio, de remunera-

tione

Digitized by Google

tione Iustorum, & pœna Impiorum post mortem, de quibus inferius; hæc enim omnia passim habentur in libris Philosophorum, & Poëtarum.

9. Ipsorum Deorum explicatio, & attributio Dei perfectionibus, ac sanctis Patriarchis, priusquam idololatria ipsos fœdasset.

CAPVT XXIV.

De Diis Gentium.

LIcet vnitas, seu solitas sit propriè, & necessariò annexa primo, & summo Enti, seu primo Principio, & vltimo fini omnium, id est, Deo optimo mamo; ita vt impossibile sit verè plures Deos esse propriè, & Deorum pluralitas sit Deorum nullitas, vt alibi fuit probatum: nihil tamen verat, quin ipsemet Deus, qui quidem iustos effecit consortes diuinæ suæ naturæ per gratiam, iis quoque, siue Angelis, siue hominibus suum nomen Dei communicauerit, non quidem nomen ineffabile יהוה, sed quodlibet aliud, quod ex se non significat præcisè & propriè infinitam eius perfectionem; vnde videtur sibimet sua propria motus bonitate communicatiua complacere, cum stat in Synagoga Deorum. Hinc ipsemet alloquens Sanctos, eos vocat Deos: *Ego dixi: Dij estis, & filij Excelsi omnes.* Et per Moysen prohibet Diis detrahere. Ne mireris ergo, si apud veteres Philosophos Dij pluraliter nominentur: neque inde præcisè reputes eos idololatras; si tamen vnicum Deum optimum maximum agnoscant, & eum solum vero cultu latriæ venerentur. Ps. 81. v. 6. Exod. 22.

2. Itaque ex Clomente Romano lib. 2. Recog. non solum Theologia Gentilium, sed etiam Scriptura diuina Dei nomen tribuit triplici subiecto.

1. Summo omnium Creatori, qui illud per propriam naturam possidet.

2. Angelis, tanquam eius nuntiis & Legatis ad homines per commissionem & officium.

3. Sanctis viris per gratiam & beneuolentiam. Sic etiam Philo Bilius apud Eusebium lib. 1. cap. 6. & lib. 4. cap. 3. ait Phœnices, tum Ægyptios, deinde alios populos in lege naturæ Dei nomen iisdem attribuisse, nempe Deo supremo Enti, deinde Diis immortalibus, scilicet Angelis, & Geniis, tum Diis mortalibus, seu Heroïbus, & sanctis Viris. Et fuit ea mens Poëtarum, Philosophorum, ac Sacerdotum: nam Poëtæ secundùm sensum mysticum contemplabantur Dei perfectiones sub variis nominibus: Philosophi loquuntur de Angelis, cælos, & Astra inhabitantibus per motum, quos Deos vocant immortales: & Sacerdotes tractantes popularem Theologiam, proponebant simul venerationem Deorum mortalium, id est, Heroum, seu Sanctorum.

3. Et hæc quidem vera censeri possunt in puritate legis naturæ ante ortum Idololatriæ; nam constat eam cùm dæmonum astutia & inuidia, tum hominum vanitate intolerabili, & deprauato parentum amore, omnem ferè terrarum orbem pro majori parte corrupisse: vnde Idololatræ, & impij censendi sunt, ac diuinæ læsæ majestatis rei, qui vnicovero, summo, & optimo Numini debitum cultum, Angelis, vel hominibus licet sanctissimis, multò magis qui impiis, impuris, & sceleratissimis reddunt, quales fuere, qui inter homines Dei, *Saturni, Iouis,* & alia nomina diuinis perfectionibus attribui solita, ausu temerario sibi arrogarunt, & vt Dij coli voluerunt.

Digitized by Google

CAPVT XXV.

Quod in ſtatu Legis Naturæ ante corruptionem Idololatriæ, Dei attributa ſub nominibus variis, tanquam Dij gentium fuerunt in veneratione, & coli cœperunt.

1. DEus optimus maximus, cum ſit in ſe incomprehenſibilis, à creaturis *ineffabilis* denominatus eſt, inquit author lib. de mundo; ab omnibus effectibus, quorum ſpecimen edere ipſe ſolet. Vndè optimè Georgius Venetus de Harmonia mundi cantu 1. tom. 1. cap. 6. *In Deo eſſe quædam nomina*, inquit, *non ambigimus, quæ attributa vocamus, v. g. ſapientiam, quam antiqui Palladem nominarunt; intelligentiam, aut ſolertiam, Mercurium; ſempiternum, Saturnum, & ſic de aliis.* Quod etiam optimè notat Cuſanus de docta ignorantia, lib. 2. cap. 25. *Tunc*, inquit, *inter homines hæc fuit differentia, vt omnes Deum vnum maximum quo majus eſſe non poteſt, crederent, quem Iudæi, & Siſennij in ſua ſimpliciſſima vnitate, vt eſt rerum omnium complicatio, colebant; alij verò in his colebant, vbi explicationem diuinitatis reperiebant.* Quibus fauet Seneca, lib. 4. de Beneficiis, cap. 7. *Tot*, inquit, *Dei appellationes, quot munera; hunc & Liberum Patrem, & Herculem, atque Mercurium noſtri putant: ſic hunc* Naturam *voca*, Fatum, Fortunam: *omnia eiuſdem Dei nomina ſunt variè vtentis ſuæ poteſtate.* Idem teſtantur Herodotus in Euterp. Maximus Tyrius, Sermone 23. & alij.

CAPVT XXVI.

De Saturno, & Maia, ſcilicet Patre, & Matre Deorum.

1. IAm videndum eſt, quomodo nomina, & præcipua geſta, ſeu etiam Symbola Deorum conueniant Dei perfectionibus. *A Saturno* Patre Deorum eſt incipiendum; clariſſimum enim eſt veteres in eo coluiſſe Dei æternitatem incomprehenſibilem, vel incomprehenſibilitatem æternam, quæ eſt principium, menſura, & finis temporis; vnde Græcè χρόνος dicitur: ſuum autem verum etymum ſumpſit ab Hebræo טהר *Satar*, quod interpretatur *abſcondere, latere*, & נוח *Nuch*, *quieſcere*; quia Deus in ſua æternitate ſemper immotus, & fœliciter beatus eſt, ſed in ſeipſo abſconditus quieſcit, iuxtà illud. *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* Omnia enim Dei attributa, & omnia eius opera, myſteria ſunt. Hinc in Iſaia dicuntur Seraphim velare faciem, & pedes eius; & ideo præcipua Dei opera mediis in tenebris peracta ſunt. Vnde etiam ad hoc ſignandum, in ſacris vſi ſunt ab omni æuo in triplici Lege incenſo fumigante, & apparuit Dominus in fumo, & nube: & Veteres in ſyluis opacis ſacra faciebant, & thura adolebant *ignoto Deo*. Cui fauet, quod ipſe Deus teſtetur Moyſi, quod primis temporibus ſuum nomen יהוה non indicauerit, id eſt, eius nominis prolationem, ſicut poſtea indicauit Moyſi, vt in Lege ſcripta à ſummo Sacerdote pronunciaretur in tabernaculo fœderis, ſemel tantùm in anno.

Pſ. 17. v. 12.

2. Probabile eſt ergo, veteres Patrem æternum ſub hoc nomine *Saturni* coluiſſe, vt *Antiquum dierum* in Danièle, vel ipſum diuinum Numen in ſua

æterna vnitate. Quod autem finxere eum Filium Cæli, & Vestæ, seu Luminis, & Ignis, vel Bonitatis; fortè intellexerunt, quod primæ eius essent perfectiones, quæ etiam ipsius in nobis cognitionem generant: quod etiam innuit Dionys. lib. 4. de diuinis nominibus, dicens *ipsam Dei bonitatem esse quasi principium, & originem diuinæ naturæ*, in quantum non cognoscitur Deus Trinus sine communicatione suæ naturæ, neque communicatio potest concipi sine bonitate, quæ eius est origo.

Hinc etiam insigniores Philosophi *Ignem* dixerunt omnium esse principium, & sub Ignis Symbolo Chaldæi, Persæ, & alij Orientales populi diuinam coluere Bonitatem.

3. Cum fingunt *Saturnum* suam sororem *Opem*, seu *Maiam*, vel *Ideam* Deorum matrem duxisse vxorem, non tantùm voluerunt exprimere, quod omnes homines Deus formauit de limo terræ; sed etiam, quod per Filium suum, seu Verbum, & Idæam omnia produxit. Patris autem regnum vsurpauit, quando sub hoc nomine *Saturni* fuit cultus, cum antea sub nomine *Lucis* incomprehensibilis coleretur. Pater extitit *Iouis*, *Neptuni*, & *Plutonis*: quia est Creator Angelorum, seu Geniorum, qui præsunt aëri, terræ, & aquis.

4. Quia autem veteres Prouidentiam & potentiam in *Ioue*, cuius nominatiuus est Iupiter, quasi *iuuans Pater*; Sapientiam in *Neptuno*, quia aqua est Symbolum sapientiæ; & diuitias Bonitatis in *Plutone*, seu *Dite* colebant: in eodem fonte æternæ, & incomprehensibilis Diuinitatis vides tres proprietates trium diuinarum Personarum, Patris Potentiam, Sapientiam Filij, & Bonitatem Spiritus sancti: de quibus plura inferiùs.

5. Tandem cum dicitur *Saturnus* regno priuatus à *Ioue* filio, nil vetat credere illud dictum fuisse eadem

ratione, qua Rabini notant, Deum ante Legem Mosaïcam adoratum fuisse sub nomine *Adonai*, quod significat *Dominum vniuersorum, & Antiquum dierum:* post Legem verò sub nomine *Iehoua*, quod idem est ac *Iouis:* sicut in Lege noua colitur sub nomine *Iesus*; quæ tria in vna conueniunt radice.

6. Quoad *Maiam* matrem Deorum & hominum, verè ipsa est diuina æterna Sapientia, per quam Deus Angelos, & homines, vniuersumque orbem creauit; id est, vt inquit Tertul. *Verbo, quo iussit; ratione qua disposuit; virtute, qua potuit, de nihilo expressit.*

Confirmatur ex eo, quod simul vocetur *Idea*, quod est proprium nomen Filij Dei, in quantum est figura substantiæ Patris æterni: Imago bonitatis illius: & speculum sine macula. Vocatur etiam *Cybele*, Græcè Κυβέλη, *splendor Cubi*. Consule quæ inferius notabo de mystico Diuini nominis numero; etenim Filius Dei est etiam verum eius nomen: *Cybele* in Hebræo etymum potest sumere à חבל *Chabal*, *pignerare*, aut *pignerari*; quia diuina Sapientia, seu Dei Filius suam naturam accepit à Patre, & seipsum nobis dedit pignus Redemptionis nostræ: vel à קבל *Guabal*, *acquiescere*, quia acquieuit in sinu Patris ab æterno, & in tempore acquieuit in sinu matris Mariæ Virg. Dicunt autem eam esse *Terram*, verùm intellige Terram viuentium.

Vocatur etiam *Ops*; quia omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei in Filio Dei reconditi sunt, iuxtà
Prou 8. illud. *Mecum sunt diuitiæ, & gloria.* Maia autem ab Hebræo מיה *Maia*, quod aquam significat, etymum sumit; aqua enim est Symbolum sapientiæ iuxtà il-
Eccl.15. lud. *Aqua sapientiæ salutaris potauit illum.*

7. Nihil etiam vetat dicere Deorum Matrem veteres coluisse sub nomine *Maiæ* iuxtà traditionem Hebræorum, à quibus didicerant Filium Dei Incarnandum de Maria Virgine, & *Iesum* vocandum, vt

Digitized by Google

re, & nomine fieret Saluator hominum. Vt autem myſterium illud fieret occultius, & ſacratius, vtriuſque nominis tacebant vnam litteram, ſcilicet *Sch* in *Ieſu*, quem vocabant *Iehoua*, & *Iouem*, & litteram ℛ in *Maria*, quam vocabant *Maiam*. Et confirmatur ex eo, quod Eccleſia diuinæ Sapientiæ proprietates tribuat Virgini Mariæ, Dei Filij, ſeu æternæ Sapientiæ Incarnatæ diuinæ Matri, vt etiam in publicis Officiis quotidie cernimus. Et certè ſicut *Maia* fuit Mater, Soror, & Sponſa *Iouis*; ita beatiſſima Virgo Maria vera Dei Mater eſt, & Soror & Sponſa ſaltem Spiritalis.

CAPVT XXVII.

De Ioue, Neptuno, Plutone, & eorum Sorore Iunone.

1. IAm ſuperiùs fuit notatum, *Iouem* eſſe verum Hebræorum *Iehoua*. Vnde etiam Græci à *vita* Ζεὺς vocant, & διὸς: quia per eum, ſummum & ſupremum Deum intelligebant, qui omnibus vitam præſtabat, & proprio amoris ſui motu impulſus, erga bonos beneficus, erga impios fulmineus, erga omnes erat prouidus. Cum autem dixerunt; *Iouis omnia plena*, & Virg. Ecloga *Iupiter eſt quodcumque vides, quodcumque mouetur*, idem eſt ac illud effatum Pauli. *Non longè eſt ab vnoquoque noſtrum; in ipſo enim viuimus moremur, & ſummus, ipſius & genus ſumus.* Act. 17. Cum enim Deus ſit primum Ens, & Entis fons, videtur quaſi refuſus in omnibus, ſicut vnitas in numero. Vnde etiam dicitur eſſe *omnia in omnibus*. Hinc ſumit *Iehoua* etymum ab היה, quod interpretatur, *fuit, eſt, & erit*; ac etiam *vita*, quia eſt, *qui eſt*, & vita ſubſiſtens Entis, & vitæ participationem creaturis communicans.

2. *Neptunus* quem Deum maris appellabant, ab Hebræo נפץ *Napats*, quod significat *dispergere cum fractione seu contritione*: quia quod *Iouis* amor beneficus, & sapientia disponens omnia suauiter, non vult, hoc *Neptuni* iustitia suo tridente conterit, & dispergit: Hæc est ergo diuina Iustitia, quam veteres in *Neptuno* colebant; est autem Neptunus *Iouis* frater, quia Dei Iustitia est soror diuinæ Prouidentiæ, & Sapientiæ æternæ, quæ tres perfectiones Dei Filio attribuuntur, qui *attingit à fine ad finem fortiter, suauiterque disponit omnia*; qui ducit volentes, nolentes trahit iuxtà illud Senecæ. Epist. 107.

Sap. 8.

Ducunt volentem Fata, nolentem trahunt,
Maluſque patiar, quod pati licuit bono.

Hæ ergo tres diuinæ perfectiones conficiunt Tridentem *Neptuni*.

3. Huc quoque spectat *Pluto* diuinæ Iustitiæ Symbolum. Nam *Pluto*, quem Inferorum Deum venerabantur, sumit etymum ab Hebræo פלץ *Palats*, quod significat *terreri*, & *formidare*: quia verè Deus iustus impiis est formidabilis, quos viuos conterit, & confringit, vt Neptunus; & mortuos æternis pœnis apud Inferos cruciat, vt Pluto. Πλοῦτος autem Græcè significat *diuitias*; quia in Dei sapientia duplex est Thesaurus, primus amoris, alter iræ, iuxtà illud Pauli. *An contemnis diuitias bonitatis eius, & thesaurizas tibi iram in die vindictæ?* Aiebant Veteres *Pacem* fuisse eius *Plutonis* nutricem: quia diu pacificè Deus exspectat peccatores ad pœnitentiam, antequam obstinatos æternis damnet suppliciis. *Claues*, & *virga*, cum quibus pingitur, sunt claues Cæli, & abyssi: & virga directionis, seu amoris, vel virga ferrea. Ei sacrificabantur Tauri, tanquam hostia, pro peccatis. Rapit *Proserpinam*, id est, impietatem, & iniustitiam, quæ cædibus omnia vastat; vel potius iniustam animam, & ad inferos eam deducit: vnde tamen *Iu-*

Rom. 2.

piter, seu *Iesus* Redemptor, & *Iuuans Pater* eam reducturus est, iuxtà illud. *Deducit ad inferos & reducit.* 1. Reg. cap. 2.

4. Quid autem veteres per *Iunonem* Iouis *Sororem*, simul & *Vxorem*, Virginem simul, & Matrem intelgere voluerunt, nisi Ecclesiam veram Sponsam Dei, seu *Ichoua*, vel *Iah* יה, quod est Dei nomen, à quo etymum sumpsit? nam priscis Romanis idem fuerunt *Iana*, & *Iuno*. v. 6.

In illa ergo venerabantur fœcunditatem diuinæ Sapientiæ, seu diuini Verbi, per quod facta sunt omnia, & à quo omnes iusti potestatem acceperunt, *vt Filij Dei fierent*, & strenui milites Dei *Sabbaoth*, Dei exercituum in hoc militiæ tempore. Vnde ipsa *Iuno* mater *Martis* dicitur, & *Nuptiarum* siue spiritualium, siue corporalium Patrona; vnde fortè etiam sumpsit etymum יון *Ioun*, quod significat *Columbam*, animal fœcundissimum, & simplicissimum, cui Ecclesia comparatur in amoris Cantico: vel à יבנ *Ianac*, quod interpretatur *sugere*, & *lactare*; habent enim Sapientia diuina, & Ecclesia sua vbera, iuxta illud *Meliora sunt vbera tua vino.* Forte *Iunon* est ipsum nomen יבין *Iinon*, quod in Psal. 71. tribuitur Messiæ, seu Filio Dei Incarnando: erit nomen eius in æternum: ante Solem יבון nomen eius; interpretatur autem *Natus*, *Filius*, *Genitus*. Ioan. 1. Cant. 1. v. 1.

5. Pingebatur *Iuno* tripliciter 1. vt Matrona sedens super *Leones*, vna manu sceptrum tenens, & *fusum* altera: vt Ecclesiæ victoriam, & labores exprimeret; est enim militans operando, & operans militando: vnde Prou. 31. *fortis mulier apprehendit fusum*; quia in hac vita sibi texit stolam gloriæ.

2. Capite lineis operto pingebatur coronata *Iride*, sicut etiam in Apocalypsi 12. describitur amicta sole, & stellis coronata, cuius indumentum est byssus. Quod autem pingitur Ecclesia tenens vna manu *fulmen*, & altera *malum granatum*, indicatur fulmen Prou. 30.

anathematum in ſiniſtra Eccleſiæ manu; atque etiam fidelium, & Sanctorum *Communio*, per malum granatum expreſſa.

3. Pingebatur *Iuno* armata, coronata *radiis*, & circumamicta ramulis *vineæ*: quia Eccleſia eſt armata, vt militans; coronata, vt ſemper triumphans; & vineæ ramulis circumligata, ob ſacrificium Melchiſedechianum, ſeu Euchariſtiæ. Habebat autem *Iuno* ſub pedibus pellem *Leonis*: quia Eccleſia contriuit caput dæmonis, qui vt *Leo circuit quærens quem deuoret.*

6. Per *Iunonem* etiam Veteres præfigurarunt Virginem Mariam, cui prædicta conueniunt. Et confirmatur ex eo, quod dicebant eam ſine conſortio viri genuiſſe *Martem*, mediante *flore*, iuxta illud: Iſaiæ 11. *Virga Ieſſe floruit*, &c. Sicut *Iupiter* genuerat *Mineruam* ſine conſortio fœminæ. Conſule, quæ ſuperiùs notaui de *Maia*, quæ eſt Mater, Soror, & Sponſa *Iouis.*

CAPVT XXVIII.

De Mercurio, Minerua, & Marte.

MErcurius, Iouis, & Maiæ filius, quem vocant Nuncium, & Interpretem Deorum, etymum ſumit ab Hebræo מרח חור *Maracur*: *Marac* interpr. *operire, alligare*, faſciare, *cur* verò, ſignificat *album, cauernam, latibulum*: in eo venerati ſunt futurum Meſſiam, Redemptorem, verum pacis Nuncium, magni conſilij Angelum, Interpretem omnium diuinorum myſteriorum, qui aurea catenula fidei homines per aures, quocumque vellet, erat Rom. 10. attracturus. *Fides* enim *ex auditu, auditus autem per Verbum Dei.* Hic operire, ſeu occultare debebat

formam Dei, & objicere dæmonibus formam Infantis fasciis circumligati, vt hos tartareos Reges, & principes tenebrarum alligaret in compedibus, & manicis ferreis. Hic, inquam, qui licet innocentia candidus, velut fur *Latibula* erat petiturus, fugiens in Ægyptum, vt eam Idolis spoliaret, & impietatem vastaret Idololatriæ: qui vt latro suspensus inter latrones, opertus hædinis peccatorum pellibus, moriens in ipsis inferni latibulis, ex eis nobilem Sanctorum Patrum prædam erat erepturus, & captiuam ducturus captiuitatem. Ne mireris ergo si hunc *Mercurium* vocauerunt, Deum *furum*, nec-non *mercaturæ*; Christus enim seipsum dedit nobis emendum, & ipsum cælum tanquam pretiosam Margaritam. Ne mireris, si *alatum* pinxerunt; quia tandem in cælum euolauit, & quotidie in tremendis mysteriis è cælo aduolat in sacerdotum manus: cuius etiam faciem, & pedes alis Cherubicis obuelata vidit Isaias. Hic etiam Mediator fuit, & author fœderis Dei cum hominibus, & veræ spiritualis *Musicæ* Inuentor, cuius *Lyra* Crux fuit, qua omnia, quæ in cælo, in terra, & sub terra sunt, pacificans, verus Pastorum Deus, & militantis Ecclesiæ Præpositus.

Quod autem in conuiuiis ei *Vinum* dicabatur, & ad eius pedes *Spicæ* frumenti apponebantur cum Dea *Pacis*; id fiebat in memoriam Augustissimi sacrificij Eucharistiæ, quod erat instituturus iuxtà traditionem Veterum.

Tandem pingebatur cum *triplici capite*, in symbolum adorandæ Trinitatis, cuius mysterium erat declaraturus: gerens *Ouem* in humeris suis; quia descensurus erat de Cælo ad quærendam ouem perditam: & aliam in brachio, vt fieret *vnum ouile* ex populo Gentili, & Iudaïco. Armatus Dei armatura, vt generalis Dux militiæ cælestis, sicut Ioan. 10.

describitur Verbum Dei in Apocalypsi, *cum galea salutis, & gladio spiritus.*

2. *Minerua*, vel *Pallas*, quam Veteres Sapientiæ, Scientiæ, & Artium Inuentricem dicebant, ab Hebræo *Minerba*, quod interpretatur *lumen in ipsa*, & פלא *Pala*, quod interpretatur *mirabile esse, difficile, & absconditum*, & *segregare*, etymum sortita est. Hanc armatam, natam è *Iouis cerebro* finxere Poëtæ; vt clarè per eam, Dei Sapientiam, quæ est ipsum diuinum Verbum, & Filius Dei, præsignarent; vnde certò certius est in ea Dei Filium in veneratione habuisse; Hic est enim fons scientiæ, & sapientiæ in Excelsis à Patre diuino procedens per viam Intellectus: est *Deus de Deo, lumen de lumine*, in quo *vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Vnde est Verbum & mirabile, & absconditum, quod quidem in Apocalypsi describitur, vt Dux militiæ cælestis, tenens scutum, in quo incantatricis *Medusæ*, id est, dæmonis, seu aspidis caput erat insculptum in signum victoriæ, de qua Gen. 3 iuxta 70. Interpretes, ipsum *conteret caput tuum.* Quæ victoria Filij Dei in dæmonem, mundi tyrannum, signabatur in *oliua*, quæ ad pedes *Mineruæ* apponebatur. Iungebatur eius Imago Imagini *Mercurij*; vt denotarent magnum *Incarnationis* mysterium. Eius *Galea* Crystallina & deaurata idem significabat; *Aurum* enim diuinitatem, *Crystallus* humanitatem Messiæ designabat, & *oliua* vtramque in Christo Iesu, cuius nomen est, velut *oleum effusum* in Cantico amoris. Cant. 1. v. 1.

3. *Mars* ab Hebræo מרץ *marats, fortificare, & roborare* sumit etymum; vnde Veteres eum, vt Deum *Belli* colebant, quem Ouidius *Iunonis* filium testatur sine viri consortio, & eum amore *Veneris* captum, per *Vulcanum* alligatum, sed ope *Neptuni* solutum; addit eum semper in prælio victorem. Quem autem

Veteres, putas, designarunt, nisi verum *Messiam* futurum Iesum, cuius nomen in Prophetis, *Deus fortis, Dominus potens in prælio?* Quem captum amore Animæ humanæ, quam voluit redimere suo pretioso sanguine, *Vulcanus*, id est, Diabolus per ministros alligauit in Cruce ferreis catenis, id est, tribus clauis: sed à *Neptuno*, seu à diuina Iustitia, cui perfectè pro nobis satisfecerat, ereptus, tandemque victor mortis, & dæmonum semper extitit etiam moriens, quia tunc ipse morsus fuit mortis, & *mors inferni*; ipse quoque est fortitudo nostra, & Dux generalissimus cælestis, & militantis Ecclesiæ exercitus.

CAPVT XXIX.

Quod sub nomine Deorum Gentium, sancti Patriarchæ, & Illustriores viri, seu Heroës culti sunt, & fabulæ Poëtarum ab Historia sancta ortum habent.

1. IAm superiùs notaui, in Scripturis sacris Iudices, Sacerdotes, & viros sanctos, *Deos* esse vocatos, iuxtà illud. *Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi, Dij estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est*, &c. Luc. 10. v. 35. siue quia diuinam similitudinem perfectius in se exprimunt, per omnium virtutum praxim: siue quia funguntur diuinis officiis, & ministeriis in iudicando, purgando, illuminando, dirigendo, & perficiendo alios. Vnde ex Elia Cretensi *Iarchas* Brachmanorum princeps, interrogatus ab Apollonio, quinam essent eius discipuli, respondit: *opinari se Deos esse, quoniam boni viri sunt*: & S. Patriarcha *Enos*, teste Cyrillo lib. 9. contra Iulianum, meritò vocabatur vocabulo *Dei* ab his, qui tunc erant: & in Eccles. 49. v. 19. legitur, quod *Seth*

Digitized by Google

& Sem gloriam adepti ſunt ſuper omnem animam in origine Adam : & Moyſes à Deo conſtitutus eſt
Exod. 7. v. 1. *Deus Pharaonis*. Vnde etiam Gentiles ex 1. l. Mach. cap. 3. v. 58. *ex libris Legis ſcrutabantur ſimilitudinem ſimulachrorum ſuorum* : ex quo infert Tertullianus lib. de Anima cap. 6. *eos deſumpſiſſe ex libris ſacris myſteria ſuorum Deorum, eoſque vt Deos coluiſſe, quorum præclara geſta narrat Scriptura diuina.*

2. *Adam* itaque pœnitens, & in diuino cultu per nongentos annos perſeuerans, cultus fuit in ſuo nomine in *Adama* ciuitate Ciliciæ, tum ſub nomine *Saturni* à Gentilibus; is enim eſt *Antiquus dierum, & Deorum*, de quo Tertul. in Apol. cap. 10. *Ante Saturnum Deus penes vos nemo eſt.* Hic enim dominio, quod acceperat in omnia animalia, expulſus, & ſacris miniſteriis interdictus ob crimen inobedientiæ, pudore nuditatis ſe abſcondit à facie Domini: poſteà exactus paradiſo, factus eſt agricola, & agriculturam docuit. Fuit Filius Dei cæleſtis, formatus ex puluere terræ *Veſtæ*: ſuos filios *deuorauit*, quia omnes ex ſe deſcendentes ſuo peccato morte æterna damnauit. Et ſicut à Saturno ſceptrum regium ablatum ceſſit *Ioui* eius filio; ſic ab Adamo ad *Seth* eius filium tranſlatum eſt Sacerdotium, iuxta ſupremi iudicis ſententiam, teſte Auguſtino apud Gloſſam, cum ait *Adamum excommunicatum à ligno vitæ, quod erat ei pro ſacramento*, &c. Et hæc eſt explicatio fabulæ, ſeu parabolæ *Saturnalis.*

3. *Eua*, & *Abel* eius filius, culti ſunt in Ægypto, & alibi ſub nominibus *Iſidis*, & *Oſiridis*. Nam *Iſcha* Hebr. interpretatur *Virago*, quod eſt *Euæ* nomen; & *Oſiris* à Plutarcho interpretatur *Sacro-ſanctus*, quod nomen optimè conuenit *Abeli* hominum *proto-ſancto*, qui meruit tres *aureolas* Doctoris, Virginis, & Martyris. Vnde *Oſiris* fœliciter regnans, per inuidiam à fratre *Tryphone* occiſus eſt, & diſcerptus,

cuius membra collecta sunt ab *Iside* matre, vel sponsa, vel sorore; sicut *Abel* à fratre *Caïn* inuido occisus, ab *Eua* sepultus est matre. Et notandum, quod *Bos* sacer fuit *Osiridi*, flamma cernebatur cadens super caput eius, & *Oculus* in summitate Sceptri eius, quod confectum erat in modum pastoralis baculi; vt signaretur 1. eius sacrificium ab igne cælesti consumptum. 2. Officium Pastoris. 3. Causa martyrij, scilicet dissertatio de diuina Prouidentia ex traditione Hebræorum. Adde quod super caput, vel ad pedes *Isidis* cernitur *serpens*, per quem scilicet tentata fuit *Eua*: & *Crux*, seu *Thau* signata in pectore, & manibus vtriusque imaginum, vt notaretur traditio Veterum de Redemptione per Crucem Mediatoris.

4. *Seth*, vt iam dixi, primus nomine *Dei* insignitus, Pater vocatur filiorum Dei, estque primus *Baal*, vel Patronus *Sarmareorum* Syriæ, *Sarmanenorum* Indiæ, & *Sarmaneorum* Galliæ.

5. *Enos* similem gloriam hæreditauit, *Esseorum*, seu *Enosceorum* Pater extitit. Vocatur *Baal-Enos*, vel per syncopen, *Belenus* à Druidis.

6. *Henoc* est verus Priscorum *Athlas*, vt firma Fidei columna, qui precibus Cælum sustinuit, ne peccatores fulmine percuteret, ex Kirchero. Ab Arabibus primus *Hermes*, & *Mercurius* vocatus, legatione ad homines per Deum missus, vt ad pœnitentiam reuocaret.

7. *Noë* sub diuersis nominibus apud varios populos cultus fuit: à Chananæis, & multis aliis sub nomine *Saturni*, qui in arca latitauit, qui filios *Cham*, & *Chanaam*, ac posteros maledictione deuorauit: cuius tres filij, Sem, *Iupiter*, Cham, *Pluto*, & Iapetus, *Neptunus*, deuictis Titanibus, sorte mundum diuiserunt. *Ioui* Cælum, seu plaga Orientalis; *Plutoni* Infernus, id est, Occidentalis plaga; & *Neptuno* Maria, seu Insulæ cesserunt. Idem *Noë* apud Armenos vo-

catus est *Sol*, & *Olympus*: apud Europeanos, *Ianus*; quia duplici facie priora *Diluuij*, & posteriora tempora viderat, in cuius honorem *Nauem* suæ monetæ signabant.

8. *Sem* ab Ammonitis sub nomine *Melchisedech* cultus est, ex Bolduc lib. 1. de Eccles. ante leg. cap. 10. & per syncopen *Melech*. Moloch *Cham* à Moabitis sub nomine *Chamos*: Iaphet pater *Iauan* sub nomine *Iouis* ab Italis, & Cretensibus, lib. 1. cap. 19. lib. 2. cap. 6.

9. *Abraham* pater Israëlitarum à Phœnicibus sub nomine etiam *Saturni* cultus fuit, ob filij vnici *Isaac* sacrificium, quo diuinam placauit majestatem, & ingentia bella atrocia diuertit. Consule Porphyrium apud Eusebium lib. 1. de præpar. Euang. & confirmatur ex Genes. 33. v. 20 Nam Iacob in *Bethel* erecto altari, & tabernaculo inuocauit super illud fortissimum Deum Israël. Huius altaris Inscripto hæc erat: *Altare Dei Deorum Israël* (in Heb.) *vocauit illud & Elohe Israël*, Deus Deorum Israël.

10. *Moyses*, verus censendus est *Mercurius*: Iosue, verus *Bacchus* racemum ferens è terra promissa: Samson, verus *Hercules* monstrorum domitor; & Ioseph *Serapis*, seu Saræ pronepos, cui *Bos* sacer signabat somnium Iosephi: *modius* super eius caput notat distributionem frumentorum in Ægyto; & *Cruces* in vestibus depictæ futurum Messiam mundi liberatorem per Crucem, cuius ipse figura erat, præsignabant. Isdem sub nomine *Cereris* fuit cultus, ob frumenta distributa. Quod autem sub huius Deæ fœminini sexus nomine fuit honoratus, eius admirabilis Pudicitia causa fuit.

11. *Thobel*, vel *Kibalcain* fuit cultus sub nomine *Vulcani*: Nembrodus sub nomine *Martis*: Iubal pater *Canentium Cythara*, sub nomine *Apollinis*.

12. *Noëma*, seu *Naam* à filia Lamechi, culta fuit sub

sub nomine *Mineruæ*; hæc enim repetit artem conficiendæ telæ. Genes. 4.

13. Vxor Noë quam sanctus Epiphanius vocat *Barthenon*, Georgius Venetus *Thyteam*, Berosus *Thercam*, & *Vestam*, sub hoc vltimo Vestæ nomine apud Italos, & Græcos culta fuit, tanquam prima *Vestalium* virginum Institutrix. Eadem culta fuit sub nomine *Dianæ*, seu *Dinæ Ianæ*; quia vxor erat Noë vocati *Iani*.

14. *Deus* ergo *Deorum Dominus stat in Synagoga, in medio Deos dijudicans*: eos illuminans, perficiens ac remunerans. Reliqui verò Dij, inquit Onatus Pythagoricus apud Stobæum, *erga Primum summumque noscendum sic se habent, vt Chorus ad Choryphæum, & Milites ad Ducem.* Et bene Anthistides apud Ciceronem libro primo de Natura Deorum, *populares Deos multos, naturalem vnum esse dixit*, de quo Plato in Timæo: *Dij Deorum, quorum opifex, & Pater ego sum.* Cui etiam veritati fauet illud Trismegisti cap. 2. Pimandri: *Reliqui igitur Dij immortales honorati nomine Dei; Deus autem, bonum, non secundùm honorationem, sed ipsam sui naturam.* Ex quibus colligimus, plures non fuisse Idololatras, qui tamen tales censentur à multis; quia solum vnum Deum, vt rerum omnium creatorem, & gubernatorem adorabant: Angelos vero sub nomine *Geniorum*, & illustres viros ac sanctos sub nomine *Heroum*, ac etiam Deorum secundi, & tertij ordinis colebant: sicut etiam Christiani venerantur, & inuocant Angelos & Sanctos, quos ipsemet Deus Opt. Max. Deos vocat iuxta Psal. 81. v. 6. *Ego dixi: Dij estis, & filij Excelsi omnes.*

Ps. 49. v. 1. Ps. 81. v. 1.

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

De ſtatu Chriſtianæ Religionis in lege Moſaïca.

CAPVT PRIMVM.

De Abrahamo, *quem Deus elegit, vt eſſet Pater ſingularis ſuæ familiæ, & Pater Fidei.*

1. MAGNVS *planè vir Abraham*, inquit Ambroſius lib. de Abraham, cap. 2. *& multarum virtutum clarus inſignibus, quem votis ſuis Philoſophia æquare non potuit: minus eſt quod illa finxit, quàm quod iſte geſſit: maiorque ambitioſo eloquentiæ mendacio ſimplex veritatis fides.* Hunc Deus optimus maximus ſingulariter elegit, vt eſſet fidei Pater, & parens multarum gentium, Iſraëlitarum præcipuè, & Iudæorum, qui ſpecialem Dei populum, ſeu familiam compoſuerunt: cui ideo non tantùm naturalis ſapientiæ arcana ſubtiliora detexit, ſed etiam Chriſtianæ Religionis
Ioan. 8. myſteria præmonſtrauit, iuxta illud: *Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum; vidit & gauiſus eſt.*

2. Poſtquam illum Deus omnibus modis tentatum probauit, & omnium virtutum exornauit inſignibus, ſponſam eius *Saram* ſterilem fœcundauit, eique dilectum filium *Iſaac* dedit, & in ſemine eius promiſit benedictionem omnium gentium per Chriſtum *Meſſiam*, quem de ſemine eius naſcitu-

Digitized by Google

rum prædixit, atque iuramento firmauit diuino. In eo emicuerunt Christianæ virtutes : Fides qua nulla major, cum propter eam martyrium subierit, & miraculosè de *Vr*, seu igne Chaldæorum idololatrarum à Deo ereptus sit, secundùm Rabinorum traditionem. Spes, quia in spem contra spem credidit in oblatione filij sui Isaac : Charitas, qua animam suam pro Deo, & amicis posuit : Paupertas, qua omnia ad Dei vocem dimisit, patriam, parentes, amicos, & peregrinam vitam duxit in terris : Obedientia, qua Isaacium filium suum Deo iubenti sacrificauit ; & ita de aliis.

3. Nec mirum, quia *perfectus ambulauit coram Deo*, vitam cælestem ducens, cum Angelis familiariter conuersatus, signaculum diuinum accepit, contemplationi deditus diuinorum Arcanorum. Deum trinum in personis, & vnum in essentia adorauit, cum *tres videns Angelos, vnum adorauit*. Filium Dei incarnandum ex suo semine, summum futurum sacerdotem adorauit in *Melchisedech*, eique decimas obtulit, & sacrificium Christi corporis & sanguinis, sub speciebus panis & vini in Melchisedechiano sacrificio præuidit, & veneratus est, eique in spiritu communicauit. Quicumque meditatus fuerit librum eius *Ietzira*, id est, *de formatione*, dubitare non poterit quin arcana fidei Christianæ omnia à Deo reuelante acceperit præcognita. Tandem multa tabernacula, & altaria Deo vero erexit, plura obtulit sacrificia, plures idololatras conuertit ad fidem, & vbique diuinum cultum instituit, atque plurima gymnasia non tantùm Philosophorum, sed etiam Theologorum fundauit : quos omnes veram Dei mysteriorum traditionem, seu *Cabalam* edocuit, tanquam Doctor, & Propheta, vt notat D. Ambr. & cap. sequenti notabitur. Gen. 18.

Digitized by Google

CAPVT II.

De fundatione Academiarum *per ſanctos Patriarchas poſt diluuium, vt Fides reuiuiſceret, & Traditio, ſeu* Cabala *ſeruaretur.*

1. QVis dubitet ſanctum Patriarcham *Noemum* egredientem de Arca ſimul extraxiſſe monumenta antiquæ Religionis, oſſa Adami, columnas Sethi, & ſacros Enochi, aliorumque Patriarcharum libros, quorum permultos depoſuit in vrbe *Cariathſepher*, id eſt, *in vrbe litterarum*, & alios filiis ſuis diſtribuit, vt nepotes edocerent ſimul cum Philoſophia verum Dei cultum: à quibus edocti ſunt non tantùm Abraham, & Patriarchæ; verùm etiam *Eſſeni*, *Druidæ*, *Amorrhæi*, id eſt, *Prædicatores eloquentes*, *Henæi*, id eſt, *viuentes*, *ſeu viuificantes*, & alij, ac tandem *Pythagoræi*.

2. Omnes ferè Orientales agnoſcunt Abraham vt Patrem, & Doctorem, vt ſuperiùs notaui, ſed præcipuè Chaldæi, Ægyptij, & Indorum *Brachmani*, quaſi *Abrahamani*. Vnde de eo Chryſoſtomus hom. 31. in Geneſ. *Magna*, inquit, *cum claritate, & gloria, locupletatuſque diuitiis, redit iuſtus, & fit doctor per ea, quæ contigerunt Ægyptiis, ac etiam omnibus, qui in itinere erant, & qui in Palæſtina habitabant.*

3. Hinc ſæpius fit mentiõ in Scriptura de tabernaculis ab Abrahamo erectis in iis locis, vbi Spiritus-ſanctus eum deducebat, de quibus *Salianus* poſt Rabinos ſcribit in hæc verba: Anno mundi 2218. In epit. num. 2. *Exiſtimo Tabernacula tria illa comprehendere domum priuatam, domum Doctrinæ, & ædiculam ſacram, ſiue Oraculum, vt à Ioſepho appellatur, orationi*

destinatum. De his Tabernaculis intelligenda sunt verba Geneseos cum testatur, quod *Iacob vir simplex habitabat in tabernaculis, vt Minister domus doctrinæ, secundum Caldericum paraphrastem.*

Huc spectat illud Matth. 17. *Faciamus hîc tria Tabernacula*; sicut mos erat.

4. Porrò inter *Academias* percelebres, quas sancti Patriarchæ fundarunt, duæ insignes erant, altera in terra *Chanaan*, altera in *Theman*, de quibus Baruc 3. 22. *Non est audita*, supple, Sapientia, *in terra Chanaan, neque visa est in Theman.* Quasi diceret: Si vera diuina sapientia non est audita in *Chanaan*, & *Theman*, vbi communiter docetur, sanè signum est eam nondum in terras è sinu Patris descendisse. Quæ autem in Chanaan fundata fuit Academia, eadem est, quæ in *Cariath-sepher*, de qua Iosuë 25. 16. *Dabir, quæ priùs vocabatur Cariat-sepher*, id est, *Ciuitas litterarum.* Dicta autem fuit *Dabir*, vel *Oraculum*; siue quia Prophetæ illic docebant, & dabant oracula diuina: siue quia in eius Bibliotheca custodiebantur libri sacri. Huius Academiæ Doctores fuerunt *Sem*, seu *Melchisedech*, *Heber*, *Abraham*, *Isaac*, *Iacob*, & alij. Quæ verò in *Theman* fundata fuit in Idumæa, ea Doctores, ac cultores habuit *Iob* Patriarcham, & tres amicos eius: quorum primus fuit Sapiens, seu Theologus, scilicet *Eliphas Themanites*; alter Scriba, *nempè Iophas*; tertius *Baldac*, Conquisitor, seu Philosophus.

Hinc de iisdem ministeriis Academicis D. Paulus: *Vbi sapiens? vbi Scriba? vbi Conquisitor?* Alius Theologiam docebat; alter Litteras humaniores, & apud Iudæos sensum litteralem Scripturæ sacræ; tertius aperiebat Naturæ secreta Philosophica. 1. Cor. 1.

Digitized by Google

CAPVT III.

Quod Moyſes, *à Deo miſſus eſt Doctor Gentium, & Iudæorum, ac Legiſlator diuinæ Legis ſcriptæ.*

1. CVm iam bis mille, & circiter quadringinti anni à creatione mundi effluxiſſent, & Religio vera in multis terræ partibus penè extincta eſſet per admixtam ſuperſtitionem, & idololatriam, quæ paulatim in orbem irrepſerant; Deus ſuſcitauit *Moyſen*, vt eſſet ſimul Doctor Gentium, & Iudæorum; ita vt non humana facundia, ſed diuina inſpiratione, (vt fatetur *Calcidius*) diuina & humana ſapientia, tum voce, cùm admirandis ſcriptis vniuerſum illuſtrauerit mundum.

2. Ille diuina prouidentia ab aquarum ſuffocatione ab ipſis cunis ereptus, & in palatio *Pharaonis* Regis Ægypti, vt eius filiæ adoptiuus educatus, & *in omni Ægyptiorum doctrina inſtructus*, mirabiliter à Deo è medio ardentis rubi vocatus, cum Aarone fratre ad Regem è cuius aula fugerat, remiſſus eſt, ad petendam liberationem ſui populi Iſraëlitici è diuturna captiuitate ducentorum, & plus annorum: quam tandem poſt innumera coram eo patrata prodigia obtinuit gloriosè.

3. Factus ergo Dux Gentis Iſraëliticæ, ſexcenta ferè millia peditum virorum arma geſtantium, abſque paruulis, & vulgus promiſcuum innumerabile eduxit de Ægypto, & per deſerta ad Terram promiſſam conduxit, quamplurimis victoriis reportatis de Regibus, & populis ſibi oppoſitis in itinere: multis inſuper patratis miraculis, vt populum ſuum ſæ-

piùs diuinæ voluntati rebellem ad debitum cultum reuocaret.

4. Mense tertio egressionis Israël de Ægypto, diuino iussu *Moyses* in montem *Sinaï* ascendit. Sanctificato priùs populo, & ad legem Dei reuerenter suscipiendam præparato, ipse Deus montem replet fumo, igne, fulguribus, tonitruis, terræmotu, & clangore buccinæ: cumque ibi quadraginta diebus, & totidem noctibus neque manducans, neque bibens, sed continuæ orationi, ac diuinorum mysteriorum sibi ostensorum contemplationi vacasset, Angelus vice Dei ex monte *Sinaï* proclamat, & promulgat *Decalogum* toti populo Hebræorum. Quia verò populus nimio terrore correptus maluit internuntio Moyse sibi exponi Mandata Dei, ipse Moyses superiùs euocatus ascendit ad Deum in caliginosiore loco montis latentem, & ab ipsomet Deo accepit omnia Præcepta moralia, iudicialia, & ceremonialia, circa sacrificia, & Dei cultum obseruanda: simulque non tantùm eorum explanationem, sed & omnium Christianæ religionis mysteriorum prænotionem, Arcæ, Propitiatorij, Tabernaculi, Vestimentorum Sacerdotalium figuram, modum, & significationem, ac tandem duas Legis tabulas à Deo conscriptas, quas ad populum detulit.

5. Cumque per annos circiter quadraginta Israëliticum populum docuisset diuinam Legem, eumque signis admirandis addixisset cultui diuino; tandem vocante Deo mortuus est in monte *Oreb* in osculo Domini, & angelicis manibus sepultus.

6. Non solùm autem Iudæorum Doctores, & *Rabini* ab eo sunt edocti; verùm etiam Gentiles philosophi, *Trismegistus*, *Orpheus*, *Thales*, *Pythagoras*, *Plato*, & alij profundam diuinorum arcanorum cognitionem, & veram moralem Doctrinam è libris eius factis hauserunt. *Clarum est enim*, inquit Clemens

Alexand. lib. 2. Strom. *Sapientiam, & alias virtutes, quæ ſcriptæ ſunt apud Moyſen, præbuiſſe Græcis principium totius loci Moralis, & Philoſopiæ.*

Hinc ex *Apollinis* oraculo :

Nemo illum nouit mortalia cuncta Regentem,
Vnicus ille niſi Chaldæo ſanguine natus.

Et *ideo factum eſt*, inquit Artabanus in ſua hiſtoria; *vt quaſi Deus ab Ægytiis coleretur, & propter litterarum inuentionem*, Mercurius, *appellaretur.*

Caput IV.

De Cabala, *ſeu Traditione myſteriorum Fidei Chriſtianæ.*

1. *Cabala* nomen ſortita eſt ab Hebræo קבל *Kibbel*, quod ſignificat *tradere*, & *accipere*, ex *Reuclino.* Eſt ſcientia rerum ſublimiorum per Traditionem accepta, voce quidem, non ſcriptis. Notant enim *Rabini* triplex eſſe Verbum, ſcilicet mentale, vocale, & ſcriptum. Quod cum ſit vnicum verbum, tripliciter expreſſum, verè in ſe diſtinctum; per illud, myſterium adorandæ *Trinitatis* perſonarum in vnica eſſentia exprimitur; ita vt verbum mentale *Patrem* ſignificet in ſeipſo loquentem; verbum vocale *Filium* diuinum, quod ex ore Altiſſimi prodiit, per quod facta ſunt omnia; verbum verò ſcriptum, *Spiritum-ſanctum*, per quem Lex Dei ſcripta eſt in tabulis cordis noſtri. Dicunt autem, Scripturam eſſe ſpiritualiorem verbo vocali: quia illa eſt obiectum viſus, illud verò auditus. Ipſos verò *Numeros* eſſe ſpiritualiores Scriptura; quia magis mentales ſunt: Vnde diuina myſteria, per eos, quos ad verbum mentale reducunt, magis abſconduntur, ac etiam probantur; cum *Numeri* in ſeipſis ſint aliquid velut ſpirituale, & ſolidum, imò firmius, & verius omni

Scriptura, & verbo vocali, & corporeo : videnturque habere quoddam esse æternum, saltem ratione diuinæ Mentis, sicut Species, & rerum *Ideæ*, atque Essentiæ ; licet non quoad realem extra Deum existentiam. Verum enim fuit ab æterno, quod duo & duo sunt quatuor, & sic de aliis : & de numeris Musicis verum semper fuit, quod tertia, quinta & octaua, sint optimi concentus.

2. *Cabalæ* originem refundunt in ipsum Deum, & Angelos, quibus tanquam Pædagogis, & custodibus Deus est vsus ad docendos sanctos Patriarchas; huius autem prima origo sic describitur à *Reuclino.*

Post *Adæ* peccatum, cum ipse suum horrendum lapsum deploraret, nudum se videns, & erubescens, Deus optimus maximus in throno majestatis suæ apparuit, eique sua & de Incarnando Filio decreta aperiens ad liberandum genus humanum morti damnatum, eundemque suum Filium ostendens ait: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis.* Quæ verba *Rabi Onkelos* Chaldaïcè sic interpretatur, Gen.3.v.22. *Ecce Adam vnigenitus meus, siue vnicus meus in æternitate; & nunc ne mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ, non nunc, attamen postea. Quibus verbis Deus Angelis suis duo secreta aperuit : primum de futura Filij sui Incarnatione, qua debebat fieri nouus Adam humani restitutor generis : alterum de extensione manus eius in cruce ad populum contradicentem, id est, de passione, & morte Christi sui ad saluandos filios Adæ, quod non statim, sed in finibus sæculorum eueniret.*

3. Addunt autem, quod *post debitas actiones gratiarum, & gratulationes cælestium Spirituum,* Gabriël *Angelus à Deo missus sit ad* Adam *pœnitentem, vt eum consolaretur, & vt ipse spem totam poneret in Deum, qui dignaretur de eius stirpe Filium suum, totius generis humani Redemptorem incarnandum concedere; qui quidem vocaretur nomine quadri-littero* יהיה, *vel* Iesus, &

manus extendens in cruce, ſeipſum offerret Patri Hoſtiam puram in remiſſionem peccatorum; vnde ipſemet, & filij eius in eum credentes, poſſent de hoc ſaluifero fructu arboris vitæ colligere.

4. Liber *Zoar* teſtatur Adamum *impoſuiſſe viuentibus nomina per litteras notantes influentias aſtrorum ſecundùm ordinem ſuæ cuiuſque naturæ, & actionum. prout eas legit in libro ſibi allato ab Angelo* Raziel *de mandato Dei.*

Quod autem lingua Hebraïca, vt omnium prima, fuerit infuſa Adamo, poteſt probari ex etymologiis nominum, & naturarum expreſſione, iuxta illud Gen. 2. *Omne, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius.* V. g. ipſe primus homo à Deo accepit nomen totius Speciei; nam *Adam* interpretatur *homo terrenus*, & *rufus*, quia de terra rufa formatus eſt: *Eua* interpretatur *viua viuens*; quia mater eſt omnium viuentium: vocata eſt quoque *Iſcha* Virago, *quia de viro ſumpta eſt.* Caïn interpretatur *poſſeſſus: Poſſedi hominem per Deum.* Abel, *vanitas*; quia non diu erat victurus, & omnia iam *Adam* nouerat eſſe vanitatem. *Aſina, Auſculta*; vnde *Aſinus* ob magnas aures. *Chaſida; benigna*, eſt Ciconia. *Neſcher*, & *Schor*, Aquila à recto aſpectu. *Ariech Labi, Laüſch*, Leo à lacerando, ſolitudine, & corde; & ſic de aliis.

Gen. 2. v. 23.
Gen. 4. v. 1.

5. *Adam* docuit *Enochum*, ſuum ſecretarium, *Cabalæ* ſcientiam; *Enoch* verò *Noëmum*, Noë *Sem* filium, Sem *Abraham*. Abraham *Iſacium*, Iſaac *Iacobum & Eſaü*, Iacob *Ioſephum*, Eſaü *Iobum*, qui obiit anno datæ Legis Moyſi in monte *Sina*, ſecundùm eundem authorem.

6. Tradunt inſuper *Rabbini* Moyſen eſſe reſtauratorem veræ *Cabalæ*, ſeu myſteriorum traditionis, quam à Deo per Angelorum miniſterium accepit in monte *Sina*. Nihil enim aliud eſt *Cabala*, quam ſymbolica

Theologia, in qua non modò litteræ, ac nomina ſunt vocum ſigna, ſed etiam rerum. Ex quo conjicere licet, omnem ferè Philoſophiam Ægyptiorum, & Pythagoræ à *Cabaliſtis* ortam eſſe; *Pythagoram* verò pari modo ſymbolicum tradendi modum, ad *Græcos* tranſtuliſſe.

7. Dicunt etiam ab *Adam* nomen Dei, *Elohim*, inuocatum fuiſſe vſque ad *Abraham*: vnde in hiſtoria Creationis reperitur 32. vicibus repetitum ante *Iehoua*; ab Abraham vſque ad Moyſen nomen *Saddai* fuiſſe inuocatum, quod interpretatur *ſibi ſufficiens*; à Moyſe verò vſque ad Chriſtum *Meſſiam* nomen Tetragrammaton, ſeu *Iehoua*, quod quidem ſingulariter eidem Moyſi fuit expoſitum ab ipſo Deo, qui teſtatur nondum fuiſſe indicatum præcedentibus iuſtis, & ſanctis, iuxta illud Exod. 6. v. 3 *Nomen meum* יהוה, *non indicaui eis.* In eo autem nomine יהוה, continetur vnum ex diuinis nominibus, *Iah*, יה, quod ſemper diuinam deſignat clementiam.

8. Quia autem Hebræi per *Numeros* diuina repræſentant myſteria, & Numeri per litteras Alphabeti ſæpè deſignantur, à prima littera *Aleph* א vſque ad *Iod* י notantur decem vnitates, quas vocant *Zephiroth* à *Zàphar*, quod ſignificat *numerauit*: deſignantes per primam vnitatem, diuinam Eſſentiam, & per alias nouem, nouem Angelorum Choros: à *Iod* autem vſque ad *Tſade*, deſignant *Firmamentum*, & ſeptem orbes *Planetarum*: & a *Koph*, ק, vſque ad *Thau*, ת, quatuor *Elementa*. Sicque ſunt viginti duæ litteræ, quæ vocantur Portæ ſapientiæ, & *Cabaliſtæ* vocant ipſos *Numeros*, ſeu *Zephiroth*, ac etiam Creaturas per hos, & per litteras ſignatas, *veſtimenta* Dei, iuxta iliud, Pſal. 103. *Sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipſe es.* Sicut Vnitas in quocumque numero, cuius eſt principium, medium, & finis; *Stabiliſque manens das cuncta moueri.* Ex Boëtio.

9. Singulis insuper *Zephiroth* attribuunt vnum ex decem Dei nominibus : verbi gratia, *Ehich* , אהיה, quod est futurum verbi, היה, *fuit* , attribuunt *Patri*, & primo *Zephiroth*, quod vocant *Cheter*, *coronam* ; & illud exprimunt per litteram *Schim*, ש , quæ formatur in modum Coronæ , in symbolum *Trinitatis* : & dicunt *Ehich* influere in primum *Mobile* , & in cælos inferiores per *Seraphim*. Aliquando etiam eamdem Coronam signant per simplex, O , quod ex se nullum conficit numerum , sed sequens vnitatem , & quasi ab ea fluens efficit decem, 10. Illud nomen, אהיה, ponitur Exod. 3. *Ego sum , qui sum*. Vnde Dei æternitatem , omnia complectentem tempora , designat.

10. Alterum *Zephiroth* vocant Sapientiam , cui attribuunt, יהוה , *Iehoua* : aliter dicunt esse lineam mediam , & illud adorandum nomen sæpè exprimunt per vnicum *Iod* , י ,quia reddit 10. qui quidem numerus continet 1. 2. 3. 4. qui notant quatuor litteras diuini nominis *Iehoua* : quia etiam ex littera י formantur omnes litteræ Hebraïcæ ; vnde Chaldæi solebant per triplex *Iod* triangulare ׳׳׳ Deum designare.

Porro notandum est, quod litteræ nominis, *Iehoua*, sunt circulares , in seipsas redeuntes , cum multiplicantur , v. g. decies 10. efficit centum, &c. sic quinquies 5. efficit 25. & quinquies 25. efficit 125. & sexies 6. efficit 36. י *Iod* autem reddit 10. ה reddit 5. & ו reddit 6. Addunt , quod in eodem nomine , יהוה tres sunt solùm litteræ vocales, & nulla consonans; & ideò nihil signant , sed sunt impronuntiabiles , nisi interseratur *Schim* , ש , quæ est littera *Messiæ* , vt inferiùs notabo. Ergo ex se hæ tres litteræ sunt tantùm 1. 2. 3. sed & 3. per se ipsum multiplicatum efficit 9. vt adnotent nouem Angelorum Choros , & nouem Sphœras mobiles : sed & littera ו quæ valet 6. continet alias duas , scilicet י *Iod* , quæ sæpe pro vni-

Digitized by Google

tate sumitur, & ה, quod est 5. vnde dicunt resultare *Iubileum*, quia quinquies 5. efficit 25. qui numerus duplicatus reddit 50. sicut quinquies 10. etiam eumdem reddit numerum. Tandem dicunt *Iehoua* influere per *Cherubim* in ipsum Firmamentum.

11. Tertium *Zephiroth*, Bina vocatum, est Prouidentia, vel Intelligentia, cui respondet diuinum nomen *Elohim*, Spiritui sancto attributum, & influit per Thronos in Cælum *Saturni*.

12. Quartum *Zephiroth*, *Chesed*. Clementiæ, & חא, influens per Dominationes in cælum *Iouis*.

13. Quintum *Zephiroth*, *Gheburah*, Potestas, *Eloim*, influit in cælum *Martis* per Potestates.

14. Sextum *Zephiroth*, *Thipherets*, Gratia, pulchritudo, deliciæ: cui tribuunt *Eloha*, influit per Virtutes in *Solem*.

15. Septimum *Zephiroth*, *Nerech*, Victoria; cui tribuunt יהוה *Iehoua Tsabaoth*, influit per Principatus in *Venerem*.

16. Octauum *Zephiroth*, *Hod*, Laus: cui tribuunt *Elohim Tsabaoth*, influit per Archangelos in *Mercurium*.

17. Nonum *Zephiroth*, *Iesod*, Basis: cui tribuunt *Elohaï*, vel *Saddaï*, per Angelos influit in *Lunam*.

18. Decimum *Zephiroth*, *Malchud*, Regnum: cui tribuunt *Adonai*, influit in Animas rationales, &c. Quæ omnia metaphoricè, & benignè explicanda sunt.

His etiam decem *Zephiroth* concordant 10. *Categoriæ* notatæ per litteram, י *Iod*; sicut per litteram, ה, *He*, quæ reddit numerum 5. quinque significant *Vniuersalia*: sicque nomen Dei, יה, *Iah*, reddens numerum 15. omnia continet; quia *per ipsum facta sunt omnia*.

19. Notant tandem tres insignes litteras, quas vocant *Matres*, nimirum, א, *Aleph*, מ, *Mem*, &,

Digitized by Google

ש, *Schim:* quarum prima *Patrem* significat, & simul vnitatem, ac millenarium, qui est *Cubus*,, ac etiam terram viuentium; Secunda *Filium*, Sapientiam æternam, & aquam salutarem. Tertia *Spiritum sanctum*, & Ignem omnium motorem. Addunt primam significare *Mundum* intelligibilem, & Angelicum: secundam, Mundum cælestem: tertiam Mundum elementarem. Hæc sunt elementa *Cabalæ* Iudæorum, & prima fundamenta Philosophiæ, & Theologiæ eorum.

Caput V.

De nomine Dei Tetragrammaton יהוה, *in quo tres Personæ adorandæ* Trinitatis *signantur.*

1. ILlud venerandum nomen, *Iehoua*, singulariter à Deo Moysi fuit reuelatum, & explicatum, quomodo deberet enuntiari, iuxta illud Exod. 6. v. 3. *Iehoua est nomen meum, & nomen meum* Iehoua *non indicaui eis.* Illud idem est de quo Angelus locum Dei tenens ait: *Quid quæris nomen meum, quod est admirabile?* In Hebræo est פלא *occultum, celatum*; hoc enim altissimum nomen non proferebatur, neque pronuntiabatur, neque dicebatur nisi in Sanctuario à Sacerdotibus sanctificatis, & solùm in benedictione Sacerdotum, & tum etiam à Sacerdote magno, & nisi in die ieiunij glorioſæ sanctificationis. Vbi verò illud nomen in Bibliis conspicitur, Rabini pronuntiant, *Adonai*, quod significat *Domini mei.* Formatur autem à radice היה *fuit, est, erit*, iuxta illud Exod. 3. *Qui est, misit me ad vos.* Deus enim est origo, & fons omnis entis, & ipsum esse per essentiam, quod rectè conuenit æterno Patri; Vnde etiam ex Plutarcho, in *Iside*, illud diuinum nomen, seu potius eius expositio insculpta videbatur ad pedes

Iudic. 13. v. 18.

imaginis *Isidis*, per hæc verba: *Ego sum omne, quod est, quod fuit, quod futurum est; peplum meum nemo hactenus reuelauit*, &c. Itaque Pater æternus, qui est principium sine principio, optimè exprimitur per illud nomen adorandum יהוה, non tantùm ratione significationis & etymologiæ; sed etiam per primam litteram præsertim, scilicet י *Iod*, quæ primam vnitatem designat; est enim simplicissima, ac principium formationis omnium literarum, vt notant Rabini.

2. Per secundam litteram nominis *Tetragrammaton*, quæ est ה, designatur Verbum diuinum, quod est propriè vita subsistens Patris diuini; est enim terminus intellectionis, & dictionis Paternæ, ac æterna Idæa, iuxta illud Ioan. 1. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* ה autem apud Hebræos significat *viuere*, & *vitam*, significat quoque *ipsum*: vnde bene *in ipso*, seu verbo *vita erat*, & *ipsum vita erat*, scilicet intellectualis, & fons vitæ creatæ. Et nota, quod hæc littera media est in hoc nomine, sicut Verbum, seu Filius medius in Trinitate. Bis quoque repetitur, siue, vt duplicem naturam in Verbo diuino incarnato vel incarnando subsistentem notet; siue etiam, vt reddat eumdem numerum, quem reddit י *Iod*, scilicet decem. Etenim ה reddit 5. & 5. duplicatum reddit 10.

3. Spiritus-sanctus signatur etiam in יהוה. Nam tertia littera nominis huius adorandi, quæ est ו *Vau*, designat ipsum Spiritum-sanctum. Est enim littera copulatiua; sicut Spiritus sanctus est Patris, & Filij sacer nexus amoris æterni: & interpretatur *ipse*, vel *virtus*; quia omnem virtutem spirat in omnia, iuxta illud Psal. 32. *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Vnde etiam Poëta 6. Æneid.

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

4. Notandum est autem quod Spiritus sanctus in forma Columbæ apparuit, docturus nos omnem veritatem: quia per eum, Filium Dei cognoscimus, iuxta illud Ioan. 1. *Ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu-sancto. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei, via, veritas, & vita.* Nec mirum, quia *Deus misit Spiritum Filij sui in corda nostra clamantem, Abba, Pater. Quis enim nouit quæ sunt Dei, nisi Spiritus Dei?*

Ioan. 14. v. 6. Rom. 8. v. 15. 1. Cor. 2. v. 11.

5. Hinc descendit in Filium Dei, quasi columba, quæ optimè Filium Dei indicat 1. quia suo corpore format α, & ω, *principium, & finem*, ac etiam litteram ℵ, quæ *vnum & mille* significat, quod est principium numeri, & eius complementum, seu cubus. Format quoque crucem; vnde Irenæus asserit Ioannem in alis huius columbæ vidisse α & ω: vbi notandum, quod prisci Græci pro ω, solum O formabant, scilicet circulum, & punctum in medio: vt simplicitatem, seu vnitatem, & incomprehensibilitatem Dei significarent.

Columba Græcè περιστερὰ, in numero reddit 801. quod est numerus α, & ω: nam α, 1. ω 800. qui numerus secundum Sybillam est numerus *Iesu Messiæ.*

6. Adde quod Columba ex Arist. ad octauum annum viuit, binos pullos decies in anno parit, castum animal, simplex, & pugnax, licet careat felle. Quis non videat hæc Spiritui-sancto conuenire? 1. quia est, quasi octaua, seu perfectio, & complementum Trinitatis. 2. Duplicem in nobis amorem Dei, & proximi generans. 3. Decies, id est, vniuersaliter, seu semper fœcundat animam: denarius enim numerus est vniuersalis rei Symbolum.

4. Est

4. Est Sponsus Virginum, sine felle amaritudinis; quia summè bonus, & suauis. 5. Tandem zelum diuinæ gloriæ accendit in anima ad Spiritalem pugnam.

CAPVT VII.

De relatione nominis Iesu *ad* Iehoua, *vbi de Tabernaculo fœderis, & contentis in eo, cum sensu mystico.*

OMnia mihi tradita sunt à Patre meo, & nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare. Matth. 11.

1. Ex quo multa colligimus. 1. In Filio Dei esse omnia: quia ei Pater omnia tradidit, tradens, seu communicans ei suam diuinam naturam, quæ omnia continet. Omnia autem in eo. 1. Tanquam in Idea. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum*, &c. 2. Vt in causa efficiente, per Verbum *omnia facta sunt.* 3. Ioan. 1. Quia cum esset α & ω, א & ת, principium & finis, naturam humanam assumpsit, quæ est non tantùm medium creaturarum, sed etiam microcosmos. 4. Vt in causa quasi materiali; quia *ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.* 5. Vt in formali. Nam sicut *primus Adam* est forma futuri; ita Christus *secundus Adam*, multò magis omnium est forma, & exemplar. 6. Vt in causa finali: *Finis legis Christus.* Et *omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* 7. Vt in loco immenso; est enim Deus *excelsior cælo, & profundior inferno*, excelsus & immensus. 8. Vt in Mediatore. Rom. 5. Rom. 10. v. 4. Prou. 16.

2. Vnde Ιησῦς reddit numerum 888. qui omnium perfectionem denotat, & salutem perpetuam, ex Ven. Beda. Hinc octaua die resurrexit post septimam Sabbati; & octaua, ex Ambrosio, omnium est per- v. 4. Iob. 11. v. 18.

fectio: & natus eſt ſexta mundi ætate, poſt cuius ortum ſeptima nunc *Gratiæ* fluit, quam ſequetur octaua *Gloriæ*. Sybilla quoque *Erythrea* vocauit Meſſiam naſciturum hoc nomine per hæc verba: IHΣOYS XPISTOS ΘEOV YIOΣ SΩTHR. *Ieſus Chriſtus Dei Filius Saluator.* Hebraïcè verò ישוע *Saluator*, & *ſalus*: *ſaluatio* in numero continet 386. quod eſt 8. inter 3. & 6. Nam 8. propriè eſt nomen eius numericum, & omnium perfectio: 3. *Trinitatem* denotat: & 6. creaturarum eſt numerus; ſunt enim quaſi multiplicata, ſeu duplicata *Trinitas* per participationem. 6. etiam *humanitatem* denotat, quæ duplicem naturam continet, intellectualem, & corpoream: & vtraque tres gradus in ſe continet, *vnitatis, veritatis, & bonitatis*: vel etiam tres gradus vitæ *vegetantis, ſenſitiuæ, rationalis.* Ieſus Chriſtus in Scriptura vocatur *Tabernaculum Dei cum hominibus*: in Tabernalo autem veteri tria ſeruabantur.

1. *Tabulæ lapideæ*, ſcriptam digito Dei Legem, ſeu Verbum Dei æternum continentes.

2. *Virga Moyſis*, quæ Crucem Ieſu figurabat, qua deſtruxit mortis imperium, & omnes creaturas in ſuo ordine conſtituens, ad ſuum vnitatis principium reduxit, eaſque ad terram promiſſam, Ieruſalem cæleſtem perduxit.

3. *Vrna aurea* continens *manna*, quod erat multitudo granorum, quaſi Coriandri: quod etiam figurabat *Euchariſtiam*, quæ eſt *memoria mirabilium Dei* operum, imò ipſum Deum, *qui eſt omnia in omnibus, ex quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia*, exprimit.

4. *Tabula* etiam illa *lapidea* figurabat Chriſtum, qui dicitur *lapis angularis, faciens vtraque vnum*, ſcilicet populum Gentilem, & Iudæum, & vtramque Legem, Naturæ, & Moſaïcam, &c. *Ecce ego*

Iſaiæ 38. v. 16.

thittam in fundamentum Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum in fundamento fundatum; qui crediderit, non festinet: & ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura.

In Hebræo *Iehoua: Ecce ego fundator in Sion lapidis, lapidis arcis, anguli, pretij, fundamenti fundati; credens non festinabit; & ponam iudicium lineæ, & iustitiam ad perpendiculum.*

Hoc autem testimonium ab omnibus Patribus, & Doctoribus tam veteris, quàm noui Testamenti explicatur de Messia, seu Christo, qui est *lapis, quem reprobauerunt* ædificantes Ierusalem.

Hic dicitur *lapis* 1. ob firmitatem; *petra autem erat Christus.*

2. Quia est fundamentum Ecclesiæ tam militantis, quàm triumphantis; & vtraque vocatur *Ierusalem.*

3. Dicitur *Missus*; quia à Patre missus. *Quis demisit lapidem agularem*, &c. Hieronymus explicat de Incarnatione, & Natiuitate Christi. Iob. 38.

4. Ipse Deus Pater יהוה loquitur.

5. Duplicatur in Hebræo Verbum hoc *lapidem*, ad exprimendam duplicem Christi naturam.

6. Triplex epithetum ponitur ad significandam *Trinitatem*; quia in Christo *habitat plenitudo diuinitatis corporaliter.* Col. 2. v. 9.

7. Dicitur *probatus*, propter passionem; *angularis*, quia duos populos, & duas leges redegit in vnum; *pretiosus*, propter diuinitatem.

8. *Qui crediderit, non festinet*; quia reseruabatur eius manifestatio nominis ad vltima tempora; quia etiam potest verè cognosci nomen *Tetragrammaton* per *Iesum* in numero, & mensura, iuxtà illud: Isai. 28. v. 17.

9. *Ponam in pondere iudicium, & iustitiam in mensura*: quia omnia in pondere, numero, & mensura fecit Dominus. Sap. 11. v. 21.

10. Dicitur *in fundamento fundatus*, nempe in

Verbo diuino, quod eſt inconcuſſum, & manet in æternum. Verbum etiam diuinum naturam humanam Chriſti ſuppoſitat, dans ei ſuam firmitatem & ſubſiſtentiam.

11. Tandem Eccleſia dicitur *Sion: De Sion exibit*
Iſa. 2. *lex, & Verbum Domini de Ieruſalem*, quia eſt quaſi glorioſum Chriſti Epitaphium; vnde dicitur, *ſepul-*
Iſa. 11. *chrum eius erit glorioſum.* Eſt enim gloria Paſſionis, & mortis Chriſti קבר. *Sion* ſignificat lapidem ſuprà ſepulchrum.

Virga quoque, quæ ſeruabatur in Arca tabernaculi, Ieſu Chriſti Crucem ſignificabat; quia 1. ipſe verus *Moyſes* tanta edidit miracula, quæ ſcilicet fuit pri-
Exod. 4. mum ſignum miſſionis Moyſis, quando verſa eſt in ſerpentem, & iterùm primam recepit formam virgæ,
Exod. 7. & per eam conſtitutus eſt *Deus Pharaonis.* Vnde hæc *virga* conuerſa in ſerpentem deuorauit ſerpentes, & virgas maleficorum, & ſapientum Ægypti: ſed &
Ioan: 3. v. 14. Chriſtus in Cruce erectus, vt ſerpens in deſerto, ſanauit omnes plagas infernalis ſerpentis. Hinc ſecundùm Iſaiam: *Quia poſuit animam ſuam pro peccato, ideo etiam omnia regna, & ſceptra ei ſubjecta ſunt.* Vnde dicitur in hymno Paſſionis: *Deus regnauit à*
Rom. 10. ex Iſ. 58. *ligno.* Vnde *virga* Hebr. מטה, à radice נטה, extendit quidem, quia *extendit in cruce manus ad populum non credentem. Natha*, quod ſignificat *extendit, expandit, inclinauit, receſſit. Expandit*, quia ſubvmbra il-
Ioan. 19. v. 30. lius ſedit Eccleſia. *Inclinauit*, quia inclinato capite tradidit Spiritum ſuum Patri: omnia regna dæmonis, & mundi inclinauit, & incuruauit ſua poteſtate. *Receſſit*, quia fugauit in cruce, & per crucem omnes Tartareas poteſtates. Hinc etiam idem vocabulu מטה, ſignificat *baculum*, cui innititur homo, vel etiam *fulcimentum*, robur, ſuſtentaculum; quia omnis virtus noſtra in Cruce Ieſu fundatur. Ac tandem ſignificat *tribum, & capita Patrum, atque*

Digitized by

tribuum; quia 12. Apostoli, qui sunt Principes tribuum veri Israël, per crucem, omnem terram Christi imperio subjugarunt. Tandem alia radix *Virgæ* שבט, significat etiam *sceptrum, regnum, dominium, tribum, familiam, calamum:* quia Crux est sceptrum Christi, & omnes Christi familias in suo ordine statuit; vbi notandum, quod quatuor extremitates Crucis Christi quaternarium numerum significant nominis יהוה, de quo inferius.

2. Eadem Virga *aquas omnes Ægyptiorum conuertit in sanguinem, & occidit pisces eorum.* Siue vt Ægyptios puniret de suffocatis pueris in aquis; siue vt eorum sapientiam, cuius aqua est symbolum, per Crucem debere confundi ostenderet. Ps 104.

3. Eadem *virga* multis plagis Ægyptum vulnerat, & confundit; sicut *Crux* fuit tormentum dæmonum, & mortis victoria; vnde omnia Ægypti primogenita occidit.

4. Hæc quoque *Virga* mare rubrum diuisit, vt Israëlitis liberum esset iter ad terram promissam, & Ægyptios aquis obruit persequentes. Sicut *Crux* liberum iter ad cælum pandit. Ps. 135.

5. Eadem *eduxit aquam de Petra, oleumque de saxo durissimo:* Sicut *Crux* de corpore Christi omnem gratiam. Deut. 32. Exod. 17.

6. Præterea eadem *virga* ad probandam sacerdotalem Aaron dignitatem germinauit, floruit in tabernaculo Domini, & simul gemmas, flores, & fructus, scilicet amygdalas produxit in ipsa nocte: sicut *Crux*, vera arbor vitæ, in mediis tenebris noctis, id est mortis Christi, flores gratiarum, & vitæ æternæ fructus nobis produxit in testimonium veri Sacerdotij Aaronici in Christo, qui per sanguinem suum introiuit semel in sancta, &c.

5. Tandem in Arca testamenti seruabatur *vas aureum*, in quo erant multa grana mannæ: *manna au-*

tem, inquit Origenes, hom. 7. in Exod. *Verbum Dei eſt*, &c. Idem aſſerit Auguſt. ſerm. 91. de tempore. *Semper*, inquit, *nobis Deus pluit manna de cælo; cæleſtia namque ſunt eloquia iſta*, &c. Ipſemet Chriſtus
Ioan. 6 ſeipſum comparat Mannæ. *Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt: hic eſt panis de cælo deſcendens; vt ſi quis ex ipſo manducet, non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi; ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.*

Hinc [illegible]tum eſt *Manna* eſſe veram figuram Chriſti, ſiue, vt ei Verbum Dei, ſiue, vt ſeipſum dedit nobis manducandum in Euchariſtia. Nam

1. Vtriuſque nomen admirabile: *quid eſt hoc?* & vocatur *panis Angelorum, & Cæli.*

2. In ſe omnia continet, tanquam multitudinem vnitas. Hinc conficitur *Euchariſtia* ex multis granis frumenti, & racemorum ſimul vnitis: & multa grana *Mannæ* vnita erant in eodem vaſe aureo, quod diuinitatem denotat.

3. Nocte inuiſibiliter, & mirabiliter deſcendit de cælo, formatum ex ipſo *rore cæleſti.* Hinc de Chriſto
Sap. 18. v. 14. ſcriptum eſt. *Dum medium ſilentium tenerent omnia*, &c. *omnipotens ſermo tuus, Domine, à regalibus ſedibus venit.* Et formatum fuit Chriſti corpus per ſuperuenientem virtutem *Spiritus-ſancti* ex puriſſimo ſanguine *Virginis.*

4. Datur vt Viaticum populo Dei, petenti Terram promiſſam.

5. Deeſt, guſtatis cibis Terræ promiſſæ: quia non amplius videbimus eum per ſpeculum; ſed ſicuti eſt: & tunc Deus erit *omnia in omnibus.*

6. Datur exeuntibus de Ægypto, conſumpta farina Ægyptiaca.

7. Panis ille quotidianus eſt; atque vtinam ſaltem die Sabbati, ſine labore, vt non ſine feruore comederetur!

8. *Soli* expositum, scilicet humanæ *rationi*, liquiescit; & tamen ignem, & duritiem patiebatur.

9. Contra Dei præceptum collectum vermes generabat; tanquam *vita bonis*, & *mors malis*.

10. Iustis omnem Saporem dabat.

11. Siue parùm, siue multùm colligens, habebat satis.

12. Decidenti ad munditiem pruina substernebatur.

13. Illud Deus præcepit seruari in vase aureo in in ipso *Tabernaculo* fœderis in generationes perpetuas; sicut etiam hodie asseruatur *Eucharistia*, vt Verbum Dei verificetur: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Matthæi 28.

14. Est memoria omnium *Dei mirabilium.* Psal. 110.

15. Tandem, *Vrna illa aurea* humanitatem Verbo vnitam denotat; iuxta illud Cant. *Caput eius, aurum optimum.*

1. Imò proxima Filij Dei appellatio eidem *Arcæ* competit in Scripturis: vocatur enim יהוה. *In hoc scietis, quod Dominus Deus viuens in medio vestri est; ecce arca fœderis Domini omnis terræ antecedit vos per Iordanem. Scietis hodie, quod* יהוה. *Dominus Deus tuus ipse transibit ante te.* Iosue 3. v. 10. Deut. 9. v. 3.

2. Vocatur quoque *salutare Dei.* Quod proprium nomen *Iesu. Viderunt omnes fines terræ salutare Dei.* Ps. 97. v. 8.

3. Facies Dei. *Facies mea præcedet te.* Quia sicut homo per faciem cognoscitur; ita Pater per Filium: vnde etiam vocatur *conspectus.* Exod. 33. v. 14.

4. Angelus testamenti. *Ecce ego mitto Angelum meum*, &c. Malac. Exod. 23 v. 20.

5. Nomen Dei. *Et est nomen meum in illo:* quia nomen exprimit naturam eius, cuius est nomen; & Filius Patrem exprimit. Exod. 2. v. 21. Ierem. 50. v. 70. Ps.

6. *Decor iustitiæ.*

7. Decor Dei. *Ex Sion decoris eius.*

Pſ. 89. v. 17. 8. Splendor. *Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos.*

Apoc. 11 v. 19. Tandem, *Apertum eſt templum Dei in cælo, & viſa eſt Arca Teſtamenti*, &c.

Eccl. 1. 9. Filius Dei eſt Sapientia æterna, iuxta illud: *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Fons ſapientiæ, Verbum Dei in excelſis.* Sed notandum eſt, aliam eſſe Sapientiam creatam, quæ etiam attribuitur eidem Dei Filio; tum quia per eum Pater *omnia creauit in pon-*

Sap. 11. v. 21. *dere, numero, & menſura.* Vnde omnes creaturæ ſunt emanantes ab ipſa Sapientia, & à diuino Verbo: Tum quia Dei Filius incarnatus eſt etiam ſapientia, & exemplar, ac menſura omnis Sapientiæ creatæ; vnde non mirum, ſi per nomen *Ieſu*, & per יהוה, omnes creaturæ annumerentur, & in ſuo ordine vnaquæque conſtituatur.

Eccl. 1. v. 9. &c. De hac Sapientia creata, ibidem. *Ipſe creauit illam in Spiritu-ſancto, & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt, & effudit illam ſuper omnia opera ſua.* De qua plura inferiùs, vbi de myſterio Vnitatis, & Numeri, de Lapide angulari; de emanatione Multitudinis creaturarum, ab Vnitate diuina; de conſeruatione eiuſdem Multitudinia per Vnitatem diuinam; de ipſa Multitudine in Vnitate contenta; de expreſſione Vnitatis per Multitudinem, & Multitudinis per Vnitatem; de reductione Multitudinis ad Vnitatem: & hæc omnia per ישוע, vel והשוע *Ieſum.*

9. Verùm, adnotandum eſt, ſecundùm traditionem Iudæorum, quam *Cabalam* vocant (vt refert Reuclinus) *Ieſum* Reparatorem Adamo poſt lapſum non tantùm promiſſum fuiſſe; ſed etiam demonſtratum in nomine *Iehoua*, ſeu Quatuor-litterarum. Vnde ſuis filiis nomina Quatuor-litterarum impoſuit in natiuitate, ſperans eos, ſed præcipuè Abelem, Seth, & Enos, debere fungi hoc ſalutari officio.

Digitized by Google

Addunt eumdem præcipuè demonstratum Abrahamo, qui ideo dicitur *vidisse diem* Christi; & Iacob, qui in summitate scalæ cælestis, mediis in radiis, quasi solaribus, vidit nomen Dei יהוה, & in medio eius litteram ש S. per quam illud nomen debebat exprimi. Sic יהשיה, *Iesu.*

CAPVT VII.

De Numeris, *& Mysteriis in his contentis.*

1. QVia Deus fecit omnia in *pondere, numero & mensurâ*; Diuus Aug. exinde notat omnia ferè diuinæ Religionis mysteria tam in veteri, quam in noua lege, sub Numeris occulta, & per Numeros manifestata esse.

2. Quod vt manifestius fiat, notandum est cum Nicolao Cusano lib. 10. Excitationum, & lib. 1. de Conjecturis, quod *Numerus est rationalis fabricæ naturale quoddam pullulans principium. Mente siquidem carentes, vti bruta, non numerant; adeoque Numerus, principium eorum, quæ ratione attinguntur, quòd illo sublato nil omnium remansisse ratione conuincitur. Neque est aliud Numerum explicare, quàm rationem seipsa vti, atque in sui naturali suprema similitudine cuncta fingere. Vnde non mirum, si omnia nouit, qui nouit numerare.* Et Plato: *Ideo*, inquit, *hominem esse animal diuinum, sapientissimum cognoscimus, quia Numeros nouerit: quos si remoueris à natura hominis, etiam ratio perpetuò peribit.* Sed & *Pythagoras* omnem veritatis inquisitionem in *Numeris* ponens, & Deum, & animas nostras, ac cuncta, quæ sunt in mundo, è Numeris constare profitebatur: ex quibus *Arithmeticam* sibi constituit omnium scientiarum matrem. Eamdem doctrinam sequuti sunt omnes Orientales Philosophi. Hinc nec tantùm Pythagorici, & Pla-

tonici, ſed etiam Sinenſes omnia myſteria Religionis per *Numeros* exprimebant, & ſub iis occultabant, ne *ſanctum canibus* iactaretur.

3. Eidem veritati omnes Occidentales Philoſophi concordant, cum Eſſentias rerum Numeris ſimiles dixerunt: Imò & ſancti Patres, præſertim Auguſtinus, Ambroſius, Boëtius, & alij affirmantes indubiè, Numerum creandarum rerum in animo Creatoris principale exemplar fuiſſe: Atque in Numeris exempla indagandarum rerum per intellectum ſolerter Sapientes ipſi quæſierunt. *Opus eſt ergo*, inquit Boëtius, *Numeris, non his, qui corpus habent; ſed qui omnem paris, imparisve generationem, atque virtutem ad perficiendam, cognoſcendamque rerum naturam conferunt.*

4. Certè tota Sapientia veterum Hebræorum, quam vocant *Cabalam*, in Numeris recondita eſt, & in verbis. Vnde non eſt in dubium reuocandum, quin ab ipſis Hebræis, ſeu à primis Patriarchis Numerorum myſteria, tam Ægyptij, quàm Mercurius, Pythagoras, Plato, & Sinenſes Philoſophi, & Brachmani acceperint; quod optimè probat *Bungus* in ſua Præfatione libri de *Numeris*.

5. *Vnitas, Numerorum fons & origo, diuinæ creaturarum origini, æternoque principio ſimilis eſſe videtur: Hinc*, inquit Philippus Gamachæus, *qui de ſummis rerum principiis ſubtiliter olim, & copiosè diſputarunt, ſubductis rationibus, in eamdem venerunt ſententiam; vt Vnitatem bonorum omnium, Dualitatem verò malorum originem ſtatuerent. Enim-verò conſtat certiſſimè, Vnitatem eſſe totius entis fibulam, productionis & conſeruationis ſyſtaſim, quæ in mutuo partium nexu ac vnione conſiſtit. Binarium contrà diuiſionis cuneum, pugnæ & diſcordiæ fomitem, omnia vrgere, & cogere ad interitum: Vnitatem cum ente viciſſim retro commeare: Dualitatem cum eo, quod non eſt; perire*

Digitized by Google

enim quicquid diuiditur necesse est, & diuulsis dissociatisque partibus non posse actu permanere. Neque id in Physicis solùm, sed etiam in Moralibus: vbi & Virtus vnica opponitur duobus extremis, aurea mediocritas inter duo vitia interiacet: peccatum est de numero infinitorum. Vnica virtuti stat via, multa malis. Denique in Theologicis, Deus optimus maximus vnus est, quacumque vnitate purior, quacumque abstractione simplicior, sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine loco vbique præsens, vbique totus impartibilis, impatibilis. Fides etiam vna, omnis diuisionis expers: vnum Baptisma, vnum Christi Mandatum; Lex enim in vno sermone impletur, *vt diligamus inuicem.* Vnus tandem finis vltimus. Ergo *Vnum* est necessarium: & optimè conuenit Vnitas Deo, qui est principium, & finis; imò & centrum multitudinis creatæ.

6. Dualitas verò, & multitudo conuenit creaturæ, iuxta Eccles. 33. *Omnia opera Altissimi, duo, & duo, vnum contra vnum.* Quæ tamen suos habuit quoque defensores, Heraclitum, Parmenidem, & Zaretam Chaldæum: quibus videtur fauere ratio, in quantum Vnitas in se considerata apud Arithmeticos nihil genera[illegible] vnum enim simul semper est vnum: apud Physicos etiam omnis actio fit inter contraria. Et certè quicquid concipi potest in creatis, aut est substantia, aut accidens, &c. Imo vna res dualem in se numerum exigit; quia constat materia & forma, actu & potentia, &c. ac etiam in Moralibus charitas solùm est inter duos. *Diliges Deum, & proximum. In his duobus tota Lex pendet, & Prophetæ.* Christus quoque discipulos suos, *binos, & binos misit ante faciem suam.* Et Beati in cælo debent indui *duplicibus.* Parab. 31.

Matth. 22. v. 40. Luc. 10. v. 5.

Huc spectant duæ Legis Tabulæ, duplex Elisæi spiritus, duo ordines Prædestinatorum, & Repro-

borum. Sed aptius argumentum de *Matrimonio*, in quo totius *Binarij* dignitas, pulchritudo, & neceſſitas elucet. Verùm hoc myſterium grande *in Chriſto, & Eccleſia*, in Verbo, & humanitate aſſumpta. Vnde tandem concludendum eſt, Vnionem, vel vnitatem Binarium complere, & perficere, ſine qua ipſemet Binarius non ſubſiſtet: ac proinde verum erit creaturæ ſymbolum, quæ ſine diuina vnitate nec eſt, nec perficietur, neque ſubſiſtet; quia *ex ipſo, per ipſum, & in ipſo* ſolùm ſubſiſtit: ſicut *Binarij* principium, & finis eſt *Vnitas*, ac etiam per vnionem duarum vnitatum fit *numerus* formaliter; vnde iam currit ad *Triadem*, qua nihil eſt vberius ad myſticas ſignificationes, & reconditas.

Caput VIII.

De Ternario Numero.

1. *Trias* propriè primus eſt Numerus ex Pythagoreis, qui Binarium negant eſſe numerum; ſed confuſionem quamdam vnitatum. Vnde Plutarchus de eorum diſciplina loquens, refert Vnitatem ab eis *Apollinem* nuncupari: *Diada*, litem, & audaciam: *Triada*, Iuſtitiam; quia Ternarius numerus eſt quaſi reditus ad Vnum, continetque principium, medium, & finem in Deum referenda. Quod vt indicarent Priſci, *tria in ſacrificiis offerebant*, vt notat Ariſtoles lib. 1. de Cælo & Mundo, ſcilicet *adorationem, propter reuerentiam; thus, ob diſtributionem ſuauiſſimæ cognitionis diuinæ, ac cæleſtium & terreſtrium virtutum; hymnum, propter concentum cæli.* Eſt igitur Ternarius numerus ſacer, & potentiſſimus, vt cuius auſpicio, & preces, & libamina tertiò repetuntur, vt tertio quoque die, aut trimeſtri ſpatio

peragerentur, quod his verbis astruit Nicomachus. *Ter libant, & ter sacrificant, qui vota sua petunt à Deo consummari.*

2. Virgilius quoque Georg. lib. 4. de sacrificiis Oceani.

Ter liquido ardentem perfudit pectore Vestam,
Ter flamma ad summum tecto subjecta reluxit.

Apud Theocritum Idyll. 2.

Ter libo, ter & hæc pronuntio mystica verba.

Valer. Flaccus in Argonauticis.

Ipse ter æquoreo libans carchesia Patri.

Apollinis Oracula.

Terna quidem Diuis cælestibus hostia, & ipsa
Candida mactanda est; terna & terrestribus, atque
Atra eadem.

Aratus.

Forma sacrificij perfecti facta canistro,
Tres panes offerre iubet.

In prisca Græcorum Theologia, tertius crater *Sospitatori Ioui*, secundus *Semideis, ac dæmonibus* tribuebatur; vnde trita est illa Pythagoræ sententia: *Superis impari numero, Inferis pari sacrificandum.* Cui concordant Homerus, & Virgilius Eclog. 8.

----------*Numero Deus impare gaudet.*

Plurimùm Ternario, Quinario, & Septenario. Et sanè ob has rationes asserebant Numerum imparem incorporeis, indiuiduisque similem esse: quod nec spernit Christiana Religio, vt satis constat experientia quotidiana, siue in Templorum, & altarium structura & dedicatione, siue in ceremoniis, siue in orationibus, siue etiam in tremendis Mysteriis.

3. Scriptura sacra vtriusque Testamenti plena est mysteriis Ternarij numeri. *Tertia die Deus congregauit aquas in locum vnum:* & nos tertio die gentes congregatæ sumus in vnam fidei Congregationem per *sagenam* Apostolicam. Tertio mense *Aaron* Gen. 1. Exod. 19.

egreſſus de Ægypto, obtulit ſacrificium Deo ad montem Sinaï cum peruenisſet; & in die tertia *Moyſes* accepit legem. *Ioſuë* veniens ad Iordanem iuſſit populum parare viaticum ad diem tertium. *Helias* triplici inſufflatione filium viduæ ſuſcitauit. Ter quoque infudit aquam ſuper ſacrificia. Tertiò *Balaam* cùm percuſſiſſet aſinam, apparuit ei Angelus. Ter à Deo vocatur *Samuel*. Tertia die primum Chriſtus miraculum fecit in *Cana*; & tertio Patrem orauit in *horto*; tertia die reſurrexit; & ter Petro apparuit Angelus. Tres viros *Cornelius* ad Petrum miſit. Tria voluit Petrus in *Thabor* fieri tabernacula. Ter in anno omne *maſculinum* debebat comparere coram Deo. Tres ſunt virtutes *Theologicæ*. Tres Pœnitentiæ partes. Tres infuſiones aquæ in Baptiſmo. Tribus digitis Deus molem Terræ appendit. Triplex Baptiſmus. Tres Chriſti tentationes, & tres victoriæ, &c.

Ioſue 3. 3. Reg. 17. 3. Reg. 18. Num. 22. 1. Reg. 3. Ioan. 2. Act. 10.

4. Itaque adoranda *Trinitas* imaginem ſuam vbique effudit in triplici *Mundo*, quem condidit. In *Angelico* per tres Hierarchias, & triplicem ordinem cuiuſuis Hierarchiæ. Et certè nouem iſti Ordines Angelorum cum prima vnitate ſunt decem *Zephiroth Cabaliſtarum*, & 10. vnitates intellectuales; *Saphar* enim ſignificat, *numerauit*. Sunt quoque 9. *Muſæ* cum *Apolline*; Muſæ enim, quaſi ὁμόσαι id eſt, *ſimul exiſtentes*; vnde & *harmonia* Hebr. הר מיובה וה, *mons numerans Deum*.

5. Huc quoque ſpectat etymon *Orphée* אור בה *lux oris*, ſeu *Verbum diuinum*. De hoc Monte numerico loquitur Iſa. 18. v. 7. *Ad locum nominis Domini exercituum montem Sion*; ſeu ad Ieruſalem cæleſtem, cuius fundamentum eſt *Ieſus*, nomen Domini, petra angularis; *Sion* enim ציון ſignificat *titulum*, ſeu *gloriam ſepulchri*, ſeu *paſſionis Chriſti*.

6. In *materiali Mundo* tres gradus entis vbique cernuntur, *vnum*, *verum*, *bonum*: item *materia*, *for-*

Digitized by Google

ma, ordo: item *numerus, pondus, mensura*; vel *genus, species, differentia*; vel *esse, virtus, operatio*, &c.

7. In *humano* quoque *Mundo Trias* spectatur: in quo scilicet est 1. *corpus, anima, & vnio*. 2. in anima, *intellectus, memoria, voluntas*. 3. in corpore, in quo est facultas *animalis, vitalis, & naturalis*. 4. triplex actio, *nutritio, augmentatio, generatio*, &c. Consule Petrum *Bungum* de Numero *Ternario*, quem probat esse in omnibus tanquam *Trinitatis* imaginem.

CAPVT IX.

De Quaternario Numero.

1. QVaternarius Numerus complementum est aliorum, ac perfectio, omnes numeros in se continens cum vnitate. Continet enim Binarium, continet Ternarium; imò & maiores numeros per præcedentium connexionem, vel duplicationem. Nam 1. & 2. efficiunt 3. & 3. duplicatum efficit 6. cui si addas 4. ecce resultat 10. Rursus ter 4. efficit 12. & quater 4. efficit 16. Quaternarius numerus primus est solidus, in Vnitate quidem censetur *punctum*, in Binario *linea*, in Ternario *superficies*, & *corpus* seu soliditas, in Quaternario, qui primus est solidus *trigonæ pyramidis*, quæ Quaternario, Vnitateque erigitur.



2. *Vnitas* ergo, seu *punctum* imago Dei est inuisibi-

lis,& indiuiſibilis: *Dualitas*, eſt linea, quæ Angelorum eſt imago; & *Trias* ſeu *ſuperficies*, imago eſt rationis humanæ. *Quaternitas* verò, eſt corporum imago.

Porrò hanc Geometricam Pyramidem quatuor *puncta* angulorum ipſius capita finiunt; *lineæ* ſex dirimunt; quatuor *ſuperficies* operiunt ipſam. Denique *corpus* vnicum exiſtit ſub ipſis concluſum terminis.

3. Quatuor ergo ſunt, quæ omnia continent, & continentur ab omnibus; *Ens, vnum, verum, bonum.* Quatuor ſunt Mundi; *Archetypus*, ſeu increatus; intellectualis, ſeu Angelicus; *corporeus*; & *humanus*, qui & *Microcoſmos.* Quatuor ſunt anni tempora, quæ ſuo motu producit *Sol*, quartus, & medius inter aſtra à Deo creatus, quarto die creationis. Apud Hebræos quatuor ſunt diei partes. Quatuor *Lunæ* mutationes, quatuor *Elementa*, quatuor *Qualitates* in mixtis, quatuor Orbis partes, quatuor ætates hominis. Entia prima 4. *Deus*, *Angelus*, *Homo*, *Brutum.* Eruditiones humanæ quatuor, *mens, conceptus, vox, ſcriptura.* Rerum gradus præcipui quatuor, *ſubſiſtentia, viuentia, ſenſibilia, rationabilia.* Mutationes quatuor, *generatio, accretio, alteratio, ambulatio.* Quatuor Dei nomina erga nos, *Deus, Dominus, Pater, Magiſter.*

4. Cæterum quàm ſanctus, & admirabilis ſit *Quaternarius*, hinc colligitur, quod vniuerſæ Gentes proferre ſolent *Subſtantiam* illam ſine principio, ſine fine, ſimplicem, inuiſibilem, incomprehenſibilem, *quatuor litteris*, vt ſuperiùs notaui, eſtque *Tetragrammaton* adorandum, vel *Tetractys* Pythagoræorum. Huc tandem ſpectant quatuor Animalia myſtica Ezechielis. 4. Euangeliſtæ, 4. Virtutes Cardinales, 4. termini Crucis, &c. Plura de ſupradictis aliis Numeris myſteria vide apud *Bungum* citatum.

Ezech. 1. v. 4.

5. Satis ergo conſtat ex his quæ dicta ſunt, ſub Numeris magna occultari Myſteria, ſed præcipuè duo. Primum,

Digitized by Google

Primum, quod nomen diuinum יהוה *Iehoua*, exprimitur perfectè per verbum ישו *Iesu*, siue Theologicè, siue Arithmeticè, vt capite sequenti probatur.

Alterum, quod sicut *Verbum* diuinum in se omnes creaturas continet; sic nomen *Iesu* continet omnia nomina creaturarum, & omnes complet sacros Numeros in Scripturâ sacrâ notatos.

CAPVT X.

Nomen, & numerus Iehoua *exprimuntur per nomen* Iesu.

1. DIuinum nomen *Tetragammaton*, non posse exprimi; & nominari nisi per nomen futurum *Messiæ*, idque per additionem litteræ ש in eius medio, veterum Rabinorum perantiqua Traditio est, vt omnes qui de doctrina *Cabalæ* disseruerunt, adnotant. Quod fœliciter videmus completum in nomine *Iesu*: vnde etiam doctissimi Theologi Hebræorum dixerunt, omnia spiritualia produxisse per virtutem quamdam excellentem, significatam per hanc litteram ש, vocabantque hanc virtutem primum *Zephiroth*, seu *Cheter* כתר *coronam*, cui nomen אהיה attribuebant: quis autem non videt litteram ש, esse formatiuam nominis *Iesu*, cum יהוה, hoc modo: ישו, *Iesu* ישוה, vel יהושוע *Iesuah*, vel יהושוע *Iesuahh*, vel יהשוע *Iehsuahh*? Hæc enim quatuor nomina ei conueniunt.

2. Primum *Trilitterum* nomen ישו *Iesu* secundam personam *Trinitatis* indicat; quia יש *Iesch* significat idem, quod *Iehoua*, scilicet *est quod est*, & ו *Vau* affixum significat *eius*; quia Filius Dei *est, quod est Patris*; vnde ipsemet ait: *Doctrina mea, non est mea, sed eius qui misit me Patris. Vau* ו etiam est copulatiua, & vnitiua, denotans vnionem naturæ diuinæ cum humana in *Iesu* per Incarnationem: quam Traditionem etiam tenuerunt Ægyptij colentes *Isidem. Isis* enim eo-

rum Deus, quasi *Is*, *Is*, significat *vnus*, *vna*, *vnum*; Deus enim est, vt veteres dixere, *vtriusque sexus*: & vnitas perfectè conuenit Deo, estque origo totius Entis creati, sicut י *Iod* quæ est prima littera *Iesu* ישו, est principium formatiuum aliarum litterarum Hebraïcarum, & Orientalium. Item *Schim* ש, quæ est secunda littera, ex Rabinis, omnia spiritualia, & cælestia, & ignea designat; vnde est prima cælorum שמים *Schamaim* littera, & nominis שם *Schem* quod sæpè pro ipso Deo sumitur, & optimè Christo conuenit, qui vt *Verbum diuinum*, perfectissime diuinam exprimit naturam. Hæc quoque littera *Trinitatis* symbolum; quia est triplex י *Iod* cum semicirculo: Chaldæi autem Deum sic figurabant ,ˀ,ˀ. Ac tandem ש significat *Dentem*, quo Christus scilicet mortem contriuit, iuxta illud: *O mors, ero mors tua; morsus tuus ero, inferne.* Isai. 13. v. 14.

Nota etiam, quod *dentes* seruiunt ad prolationem verborum: hinc bene profertur *Iehoua* יהוה per *Iesum*, seu per interpositionem litteræ ש *Schim.*

Tandem vltima littera quæ est ו *Vau* Spiritumsanctum designat, vt superiùs notaui, & significat *ipsum*, & *virtutem.* Christus enim conceptus est de *Spiritu-sancto*, estque ipse *virtus* nostra, & in eo habitat plenitudo Diuinitatis corporaliter.

3. Etiam numericè nomen *Iesu* ישו continet in se, & exprimit numerum nominis יהוה cum duodecim eius reuelationibus: cum enim *Iehoua* reddat numerum 26. duodecies 26. facit 312. cui numero si addas 4. ob *Iehoua*, quod erat in lamina aurea summi Sacerdotis, habebis numerum 316. qui est numerus *Iesu*, seu ישו; nam י facit 10. ש facit 300. ו facit 6. est ergo 316. qui est numerus *Elohe nechar*, id est, *Deorum gentium*, qui in lege Naturæ ante idololatriæ ortum, erant singula Dei attributa, quæ colebant Veteres sub diuersis nominibus, vt superiùs notaui.

Digitized by Google

Et quod mirandum, nomen ישו *Ieschou*, seu *Iesu* Hebraïcè in numero continet numerum *Patris*, & *Matris Iesu*, seu Dei יהוה & *Mariæ*: nam *Iehoua* reddit 26. simpliciter sine reuolutionibus, & *Maria* מירים reddit 290. Atqui 26. & 290. conficiunt 316. conceptus est enim de *Spiritu-sancto* ex *Maria* Virgine. Sed & nomen *Saddai* שדי *sibi sufficiens*, continet numerum 314. cui adde 2. qui est numerus naturæ humanæ, quam Deus assumpsit, habebis eumdem numerum nominis *Iesu* 316. Neque omittenda est quarta littera ע *ngain*, quæ additur in aliis *Iesu* nominibus: significat enim *oculum*, quia *Iesus* est Patris spiritalis oculus, & *lumen de lumine*. Est etiam *aspiratio durissima*, vt per eam notentur acerbæ & durissimæ pœnæ, quibus Christus per suam Passionem redemit Mundum.

4. His mysteriis Numerorum etiam fauet lingua Græca in *Iesu*. Nam Ιησῦς ex *Sybilla* & *Ireneo* reddit numerum 888. qui est ex *Ambrosio* numerus summæ perfectionis. *Octaua enim, vltima perfectio est*: Amb. lib. 1. in Luc. 6. *Vnde pro octaua multi scribuntur Psalmi, 11. præsertim, in quibus majora continentur mysteria.* Et nota, quod ter 8. efficiunt 24. quibus si addas Binarium creaturæ numerum, habebis 26. qui est numerus *Iehoua*.

5. Ex quibus omnibus vides, 1. quod sicut *Verbum* diuinum æternum Patrem, & omnes etiam creaturas continet, & exprimit in se; sic etiam nomen *Iesu* continet, & exprimit numerum *Patris*, seu יהוה, & omnium creaturarum, quas etiam perfectè ordinat. Cuius rei habes perfectum symbolum in *Phydia*, qui suum nomen ita proprièinsculpsit imagini *Palladis*, seu *Minervæ*, vt illa sine illo subsistere non posset: Hebraïcè autem פיריה *Phidia, os Dei* significat, seu *Verbum diuinum*, quod suam diuinam Sapientiam *effudit super omnia opera sua.* Et similiter suum no- Eccli. 1. v. 10.

men adorandum: Quo fit, vt *Deus*, & *Ieſus Chriſtus* Coloſſ. *ſit omnia in omnibus.* Sicut vnitas in omni numero: 3. quia hæc eſt principium, medium, & finis numeri, v. 10. habens omnem rationem cauſæ ad eum; ſicut etiam numerus omnem habet rationem, & relationem ad ſuam vnitatem.

Caput XI.

Alia diuini Nominis myſteria continens.

1. VErùm, vt prædicta indubitata confirmentur, & clarè appareat quanta ſit harmonia huius diuini Nominis, quod eſt verus *mons numerans Deum*, ſic enim interpretatur harmonia, מנה יה הר; diligenter attende ſequentia. 1. An non vides totam Philoſophiam veterum huc reductam? Scilicet 1. antiquum *Chaos*; ſed iam per diuinam Sapientiam ordinatum. 2. *Atomos Democriti, & Epicuri*, ſcilicet vnitates; ſed iam per ordiuem redactas. 3. Myſteria *Numerorum Pythagoræ*. 4. *Rationem Thalis Mileſij ordinantem, & ordinatam.* 5. *Verba myſticæ Hebræorum*, ſeu mentalia, ſeu vocalia, ſiue etiam ſcripta; ſed bene, & ordinatè digeſta. 6. κύβελυ, *Cybelæ*, quod verbum interpretatur, *Splendor Cubi.* 7. Huc quoque reducuntur omnia Philoſophorum *Sinenſium* myſteria in Numeris abſcondita, vt refert Martinius in hiſtoria Sinenſi. 8. Huc nomen *Phidiæ*, ſeu Sapientiæ, indelebiliter inſculptum. 9. Hîc cernitur nouem *Muſarum* cum *Apolline* harmonicum myſterium; *Muſæ* enim, quaſi ὁμοῦσαι, *ſimul exiſtentes.* Hîc continetur omnis doctrina *Cabaliſtarum* de 10. *Zephiroth.* 11. Ex hoc colligis, cur Veteres omnes dixerunt rerum Species & Eſſentias Numeris eſſe ſimiles. 12. Hîc cernitur *Numa*, id eſt, quaſi ὄνομα, nomen offerens *Marti Deo Sabbaoth*, ſeu exercituum.

Digitized by Google

12. *Clypeos*, ac etiam *Iudas Machabæus* mittens Romam Clypeum aureum mille mnarum; *mna* מ.נ.ה significabat *portionem numeratam.* 13. Hic vides *Orpheum*, seu *Verbum diuinum*, quod est *lux oris diuini*, cum *Lyra* harmonica, per *Crucem*, & *Virgam sacram* omnia ad se trahentem. 14. Vides tandem quare Deus vocetur *Iupiter* seu Διόσπιτερ, *Pater diei*; quia ex Psal. 84. *Sol & Clypeus nomen Dei:* & Malac. 4. *Nomen meum, Sol iustitiæ.* 15. Habes & illum *angularem lapidem*, quem Deus in Sion posuit: *Sion* enim significabat titulum supra sepulchrum, nempe sacrum *Crucis* Christi titulum, & eius adorandi Epitaphij imaginem.

2. Nota quod verè *Iesus-Christus* est lapis ille angularis: etenim in *lapide quadrato* sunt 8. *anguli*, seu numerus *Iesu*, sunt 12. *lineæ*, & sex *facies*; qui numeri simul iuncti conficiunt numerum יהוה, scilicet 26. Vel alio modo: cum in singulo *angulo* sint tres *lineæ*, erunt simul iunctæ 24. seu tres 888. qui est numerus Ιησῦς. Et, quod de lapide angulari notaui, hoc de *Cruce* Domini notandum est, in qua sunt 24. *anguli*, seu tres 888.

3. Verè Deus *scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur opera:* in Hebr. *peripsum numerantur opera.* Et Psal. 21. v. 23. secundum Heb. 22. v. 23. *narrabo*, inquit Messias, in Hebræo, *numerabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Nam אספר à *Saphr, narrabo* simul, & *numerabo* significat.

4. His quoque fauet nostra *Theologia*, quæ mysticos Numeros agnoscit in Trinitate, in Incarnatione, in Sapientiæ diuisione, in Sacramentis, in Virtutibus Theologicis, & Cardinalibus, in Beatitudinibus, in donis Spiritus sancti, in electione 12. Apostolorum, & 72. Discipulorum, &c.

5. Vnum restat adnotandum, omnia, quæ de Numeris dixi, esse intelligenda non de materialibus,

ſed de ſpiritualibus Numeris, quorum materiales ſunt tantùm imagines patentes ſenſibus : Ergo ſecundum verba Eccleſiaſtici, cap 1. *Fons ſapientiæ Verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata æterna. Radix ſapientiæ cui reuelata eſt, & manifeſtata, & multiplicationem ingreſſus illius quis intellexit? Vnus eſt altiſſimus, Creator omnipotens, & Rex potens, ſedens ſuper thronum illius, & dominans Deus, ipſe creauit illam in Spiritu-ſancto, & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt, & effudit illam ſuper omnia opera ſua.* Ipſi gloria in ſæcula.

CAPVT XII.

De lege Moſaïca, *prout eſt figura legis* Euangelicæ.

Rom.7. v. 12. 1. INdubitata fide credendum eſt legem *Moſaïcam* ſuo tempore bonam, ac vtilem fuiſſe ; imò etiam apud Iudæos ad ſalutem neceſſariam : tum quia, vt vidimus ſuperiùs, Deum optimum maximum authorem habuit, qui per Angelorum miniſterium ipſi Moyſi, & per Moyſen populo Iſraëlico eam tradidit : tum quia finis legis eſt *Chriſtus*, qui ſub velamine eius litteræ, & figurarum occultabatur; vnde ex Auguſt. ſermone 20 de Sanctis. *Ioannes Baptiſta figura fuit veteris Teſtamenti, & in ſe prætulit formam legis, & ideo prænuntiauit Saluatorem; ſicut lex gratiam præcurrit: & quod nondum natus de ſecreto materni vteri prophetauit, & expers lucis teſtis fuit veritatis; hoc eſt intelligendum, quod latens ſub velamine & carne litteræ, & Redemptorem Mundo ſpiritu prædicauit, & nobis Dominum Deum noſtrum de quodam legis vtero proclamauit.* Ergo lex Chriſto grauida erat.

2. Vnde Deus ſingulari conſilio gentem Hebræo-

Digitized by Google

rum elegit, non solùm vt ex eius semine incarnandum suum prouideret Filium, & ipsa gauderet priuilegiis legis *Mosaïcæ*, sed hanc ipsam legem ad commune bonum omnium direxit, vt non solum Hebræis, sed etiam gentibus *Christum* Saluatorem promissum, euidentibus signis demonstraret.

Hinc conuenientissimum fuit, vt non ab initio, sed post multa sæcula aduenirет in Mundum, vt prius ipse Mundus de signis, quibus certò dignosceretur, præmoneretur per Prophetas eius præcones; idcirco genus ipsius, familia, natiuitatis tempus, miracula, passio, mors, & resurrectio prænunciata fuerunt, vt in re tanti momenti non deciperentur homines.

3. Ad hunc etiam finem Deo prouidente *Iudæi* vbique dispersi sunt; vt Deus, & *Messias* venturus vbique agnosceretur, siue per Scripturam sacram, quæ variis linguis fuit conscripta ab eis; siue per eorum conuersationem, & Traditionem.

Hinc Tertullianus, lib. 1. aduersus Marcionem, cap. 10. *Maior popularitas generis humani, ne nominis quidem Moysi compotes, Deum Moysi tamen norunt, etiam tanta idololatria dominationem obumbrante, seorsum tamen illum quasi proprio nomine Deum perhibent.*

4. Legis Mosaïcæ tria erant præceptorum genera, ex D. Thom. 1. 2. q. 99. art. 4. Scilicet *Moralia*, quæ etiam legi naturæ, & legi Euangelicæ fuerunt communia, & in Decalogo continentur. *Iudicialia*, ad sacram, ciuilemque politiam firmandam: & *Ceremonialia*, quæ diuinum cultum spectabant.

5. *Ceremonialia* ad quatuor ordines possunt reduci. Ibid. quæst. 101. art. 4. Primus continebat Sacramenta, quæ sanctitatem legalem, & externam conferebant: vt *Circumcisio*, quæ Baptismum nostrum præsignabat; *Purificationes*, quæ erant symbolum nostræ Pœnitentiæ; & *esus agni Paschalis*, & *Com-*

munionis eorum, quæ Deo ſacrificabantur. En figura noſtræ *Euchariſtiæ*, & Communionis. Et hæc ſpectabant omnem populum, ſicut *conſecratio* Sacerdotum, & eſus panum *propoſitionis* pertinebant ad Miniſtros templi, vel Tabernaculi, & præfigurabant noſtras futuras Ordinationes.

6. Secundus continebat ſacrificia, oblationes victimæ, & libamenta; ſed præcipuè *Iuge ſacrificium* quotidie offerendum, & ſacrificium *Agni Paſchalis*, deſignantia ſacro-Sanctum altaris ſacrificium, vt alibi monſtrabitur.

7. Tertius ordo continebat inſtrumenta diuini cultus, ſcilicet *Arcam*, Tabernaculum, Templum, vaſa ſacra, veſtes Sacerdotales, &c.

8. Quartus denique complectebatur ſpeciales Iudæorum obſeruantias, v. g. diſcretionem ciborum, jejunia, ſolemnitates feſtorum: quorum omnium duplex erat finis.

Primus, cultus Dei exterior ad mouendam deuotionem, quo etiam poſſent remoueri ab idololatria, ad quam maximè propendebant. D. Thom. 1. 2. q. 120. art. 2.

Alter erat, præparatio ad Chriſti aduentum, quia
1. Cor. 12. *omnia contingebant illis in figuris*, vnde proponebantur eis cruenta ſacrificia ad præſignandam Chriſti paſſionem, & crucem: cuius etiam *ſerpens Æneus* figura erat, & alia eiuſmodi.

9. Licet autem lex illa iuſta & ſancta fuerit, erat tamen imperfecta, ſicut figura comparatione veritaHeb. 7. tis; vnde *nil ad perfectum adducebat*, cum in ea tota, v. 19. ſicut nec in lege naturæ, nihil eſſet quod per ſe haberet vim remittendi peccata, & confetendi gratiam. Sed neque vires præbebat ad faciendum bonum; vnde, qui piè vixerunt in vtraque lege, Naturæ ſcilicet, & Moſaïca, ad legem Euangelicam pertinuerunt, & per fidem in Chriſtum, ac per eius merita & gra-

tiam, salutem æternam adepti sunt. D. Thom. 1. 2. quæst. 107. art. 1. ad 3.

CAPVT XIII.

De Tabernaculis Patriarcharum.

1. CVm ab initio Creaturæ, seu Mundi fuerint sacrificia Deo oblata; ita debent simul adfuisse Sacerdotes, à quibus fuerint oblata, & altaria & Templa, in quibus perfecta fuerint: sacrificium enim præsupponit altare, in quo offeratur: & altare debet esse in loco sancto, qui quidem dicitur Tabernaculum, Oratorium, aut Templum.

2 Tria genera locorum sacrorum notantur in Scriptura.

Primum *naturale* vocatum, scilicet *excelsa*, in quibus sacrificabant olim in lege Naturæ.

Alterum *artificiale & portatile*, & est Tabernaculum.

Tertium *firmum, & completum*, estque Templum: sicut autem Deus est primus author sacrificiorum, sacerdotum, & festorum; ita est & Templorum, seu locorum sacrorum.

3. Testantur Tertullianus de Resurrect. lib. 2. contra Marc. & D. August. lib. 4. in Donat. & lib. 13. de Ciuit. cap. 20. Deum constituisse *Paradisum* terrestrem, vt augustum Templum majestatis suæ, illique præfeciſſe *Adamum* suæ Religionis sacerdotem, & dedisse eidem in materiam sacrificij & sacramenti *lignum vitæ*; & in hoc deliquisse ipsum Adamum, quia sensualitati suæ concessit, quod in sacramentum erat destinatum; ac proinde ab eo Templo, vt ab Ecclesia, tanquam excommunicatum, fuisse expulsum à Deo, qui ad fores huius Sanctuarij apposuit duos *Cherubim*, id est, veras imagines, (ex Rabbi

Salomone) quarum altera adoleſcentis formam gerebat, altera virginis, & coram eis lampadem ardentem; vt hoc Paradiſi veſtibulum nouum fieret Sanctuarium, correſpondens mediæ parti Templi Salomonis; quia etiam interior pars eius clauſa, erat vocata *Sanctum Sanctorum.* Vt probant Rapinius, tom. 2. de Eccleſia naſcente, tract. 2. cap. 9. ſect. 1. Montanus, Boſius, Bolduc, & alij.

4. Pergunt iidem authores, & docent in hoc nouo Sanctuario, *Caïn & Abel* ſua Deo obtuliſſe ſacrificia, & ipſum *Adamum* in hoc ipſo monte, qui poſtea *Caluaria* mons dictus eſt, per nongentos annos continuam egiſſe pœnitentiam: & hæc eſt prima Eccleſia, in qua poſtea Melchiſedech, Abraham, & ipſe Ieſus Chriſtus ſua obtulerunt ſacrificia, in monte ſcilicet *Caluariæ*, vel *Moriæ.*

5. Etiam ipſi Patriarchæ, teſte Theodoreto in Geneſ. qu. 70. *Primi fuerunt authores Tabernaculorum, ſeu Oratoriorum, & Capellarum portatilium, præcipuè Abraham, Iſaac, Iacob, Iob, ac tandem Moyſes iuſſu Dei: de quorum Tabernaculis ſanctis fit ſæpiùs mentio in Scriptura.*

In eodem autem loco ſimul tria conſtruebant Tabernacula, teſte Clemente Alexandrino poſt paraphraſim Chaldaïcam, *ſcilicet domum Orationis & ſacrificij, domum ſeu Scholam doctrinæ, & domum hoſpitij, vt in ea domo peregrinos exciperent.*

In iis tabernaculis Angeli ab *Abrahamo* recepti ſunt. *Rebecca* Dominum conſuluit. *Iob* & amici ſæpius vocem Dei audierunt. In primo præcipuè, in quo altare erat erectum, opertum propitiatorio, medium inter duo Cherubim: ardebat lampas, iuxta illud Iob. 29. v. 3. *Quando ſplendebat lucerna Dei ſuper caput meum, & ad lumen eius ambulabam in tenebris:* & Iudicum 4. v. 4. *Debora vocatur mulier lampadum.* Et certè eadem fere videbantur in Taberna-

Digitized by Google

culis legis Naturæ, quæ visa sunt in Tabernaculo legis scriptæ, & in Templo Salomonis; vnde indifferenter Tabernacula dicuntur Templa, & Templa Tabernacula, vt probant doctissimi *Bolducius* & *Rapinius*. De his Tabernaculis loquutus est *Tibullus*, lib. 1 Eleg. 10.

Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu,
Stabat in exigua ligneus æde Deus.

CAPVT XIV.

De Cherubim, & Theraphim.

1. *Cherub* interpretatur quasi *magister*, quasi *multiplicans*, aut quasi *pugnans*, vel *cognitionis*, aut *scientiæ multitudo*: quæ omnia rectè conueniunt imagini Filij Dei, seu *Messiæ*. Christus enim verus est, & vnus Magister noster; Est enim admodum multiplicans, seu fœcundus, siue vt Deus, siue vt factus homo: vt sit principium generationis omnium Creaturarum, quia per Verbum *omnia facta sunt*, & earumdem regenerationis, iuxta illud: Ioan. 1. Isa. 53. v. 10. *Si posuerit animam suam pro peccato videbit semen longæuum.* Et certè idem est de quo Psal. 23. v. 8. *Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio.* Hinc etiam in Scripturis Dux diuini exercitus est ipsum Dei Verbum, *in quo omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei reconditi sunt.*

2. Quid mirum ergo, si (vt superiùs notaui ex Bolducio, & aliis,) primi *Cherubim* duo appositi ad fores Paradisi terrestris, dicantur fuisse imagines *Messiæ* Christi & Matris eius: præsertim cum *Intelligentiæ* sublimiores sint imagines diuini *Verbi*, quod est prima *Idea* rerum; & illustriores *Sancti* sint imagines *Christi*, qui est primum & verum exemplar sanctitatis? Ideo ergo vocantur *Cherubim*, id est, veri

enim credibile est Aaron fecisse *Apim* Ægyptiorum, sed *Cherub* præcessurum Israëlem toto peregrinationis tempore, iuxtà Dei promissionem: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum, quem præparaui tibi.* Exod. 23.

Cum enim crederent Israëlitæ Moysen mortuum, cui hæc Deus promiserat, petierunt ab Aarone, vt eamdem impleret promissionem iuxta illud: Exod. 32. v. 1. *Surge, fac nobis Deos,* (id est, *Cherubim*, qui vocantur *Elohim* Dij) *qui præcedant nos; Moysi enim ignoramus, quid acciderit.*

6. Nec obest quod simulachrum ab Aarone confectum vocetur *Vitulus:* habebat enim faciem, & pedes vituli, sicut etiam duo *Cherubim*, quos fecit Moyses, prout Iosephus, lib. 3. Antiquit. eos describit in hæc verba: *Operculo Arcæ impositæ erant effigies duæ, quas Hebræi* Cherubos *appellant. Ea sunt animalia volucria noua specie, nec vnquam cuiquam hominum visa, quæ Moses in Dei solio viderat figurata.* Et apud Ezechielem, cap. 10. v. 14. *facies Cherub est facies vituli, vel bouis.* Nam cum cap. 1. descripsisset quatuor facies vnius *Cherub*, scilicet bouis, hominis, leonis, & aquilæ: hîc addit Ezech. 10. v. 14. *Quatuor autem facies habebat vnum, facies vna, facies Cherub, & facies secunda, facies hominis, & in 3. facies leonis, & in 4. facies aquilæ.* Ergo ibi nulla est facies *bouis*, aut vituli; nisi dicamus eam esse, quam vocat faciem *Cherub:* Aaron tamen grauiter peccauit, quia non perseuerauit in firma spe diuinæ promissionis, & induxit peccatum grande super populum; sed ignoranter, simpliciter, occasionaliter, & præter intentionem suam.

7. Quoad *Vitulos aureos*, quos construxit *Ieroboam* in Samaria, erant eiusdem certè figuræ *Cherubim*; constituit enim eis diem solemnem in mense octauo 15. die mensis in similitudinem solemnitatis, quæ ce- 3. Reg. c. 12. v. 26.

lebrabatur in Iuda; quia timebat, ne populus reuerteretur ad *Roboam* accedens ad ſacrificia in Ieruſalem; vnde fuit author Schiſmatis in Iſraël, quod tandem ſub *Achab* in Idololatriam degenerauit. Et confirmatur ex eo, quod ipſe teſtatur eſſe Deos, qui eduxerunt Iſraëlitas de Ægypto. Conſule Monceïum, lib. 1. de vitulo aureo, Bolducium 1. & 2. de Eccleſ. ante legem, &c.

8. *Theraphim* autem ſunt ſimulachra, & ſtatuæ hominum; & *Ioſephus* ait fuiſſe formas Deorum, & ſacras Effigies, de quibus fit mentio Geneſ. 31. Iud. 18. & primi Reg. 15. & 19. Oſée 3. tanquam de *Diis penatibus*, & figuris Beatorum, ſeu Heroum; non autem de veris Idolis: cum plerique non accuſent *Laban*, vt Idololatram, quod apud ſe ſeruaſſet *Theraphim*, ſeu imagines Patriarcharum, Sem, Abel, Phalec, Nacor, & Auorum, quas & ſeruauit ipſemet Iacob per decem circiter annos: Quod ſi *Iacob* eas effodit ſub quercu, id fecit, quia Dij erant extranei, ſeu Imagines Veterum, cum nouam à Deo acceptam Religionis formam accepiſſet.

Idem dicendum de *Micha* & *Michol*, cum *Theraphim* appoſuit in lecto in locum Dauidis, quem Saül ad mortem proſequebatur.

9. Quod quidem confirmatur teſtimonio Oſee cap. 3. v. 4. qui populo prædicit diuturnum interdictum à ſacris, ſed præſertim à *Theraphim* in pœnam fornicationis ſpiritualis, ſeu Idololatriæ. *Dies multos ſedebunt filij Iſraël ſine Rege, ſine principe, & ſine ſacrificio, ſine altari, ſine Ephod, & ſine Theraphim.* Ergo aliquid ſacrum, nec Deo exoſum erant *Theraphim.* Plura vide apud Monceium, lib. 1. de *Vitulo aureo*, cap. 20. & tribus præcedentibus.

CAPVT XV.

De Prophetis, qui Christi, eiusque Religionis Mysteria prædixerunt.

1. PRophetia, inquit D. Thomas 2. 2. quæst. 170. art. 1. *est diuina inspiratio, vel reuelatio, futurorum contingentium euentus, certa & immobili veritate præuidens, & prænuncians.* Et certè conuenientissimum fuit diuinæ Prouidentiæ homines ad veram Religionem mouere, & in ea confirmare Fideles per huius diuinæ præscientiæ communicationem. Cum enim solius Dei sit præuidere futura contingentia, vt pote, qui inscrutabilia corda hominum prospicit, & multa sint credenda, quæ rationem excedant humanam, etiam iustum fuit miraculis, & spiritu Prophetiæ, quæ vires excedunt humanas, eadem Mysteria confirmare. Vnde Tertullianus Apologet. cap. 20. *Idoneum, opinor, testimonium diuinitatis, veritas diuinationis.*

2. Vnde etiam ab ipso Ecclesiæ nascentis exordio Spiritum Prophetiæ Deus eidem communicauit; vt facilè crederent homines Dei præconibus, nuntiantibus futura, ac secreta, quæ supra naturam sunt Mysteria credenda.

Hinc *Adam* primus hominum, etiam primus fuit Prophetarum, vxori, & liberis nomina imponens conformia futuris eorum euentibus. Prophetauerunt de aduentu iusti Iudicis ante diluuium, *Seth*, *Enos*, *Caïnan*, & alij; sed præcipuè *Henoch* septimus ab Adam præco diuinæ Iustitiæ, vt notat beatus *Iudas* in sua Epistola, v. 14. Prophetauerunt & *Noë* prædicens filiis quæ ventura erant, *Sem*, seu *Melchisedech*, *Abraham*, *Isaac*, & *Iacob*, alijque sancti

Gen. 2. v. 23. cap. 4. v. 1.

Patriarchæ ; ſed præſertim quatuor adnotantur *Prophetæ* primis his temporibus , quibus poſſunt ſymbola quatuor *Euangeliſtarum* conuenire.

3. Etenim *Melchiſedech* Rex *Salem* , ſeu *Iuſtitiæ*, vt diuinus *Aquila* , per actus ſui Sacerdotij præſignauit æternum *Chriſti* Sacerdotium , & ſacrificium incruentum ſub ſpeciebus Panis & Vini : Sanctus *Iob* habens faciem hominis in ipſo mortis theatro , prædixit futuram corporum reſurrectionem , & teſtatus eſt ſe viſurum in ipſa ſua carne Redemptorem ſuum.
Iob. 19. v. 26. *Iacob* , quaſi à Leone ſuſcitatus diuino, in benedictionibus filiorum , & præcipuè Iudæ , Incarnationem Filij Dei , & ex eius ſemine futuram , Paſſionem & Reſurrectionem eiuſdem , aliaque admiranda prædixit Myſteria: *Moyſes* accelerare voluit eius aduentum , cuius ipſe figura fuit penè in omnibus , dicens:
Geneſ. 49. Exod. 4. v. 13. *Domine mitte , quem miſſurus es.* Eius Natiuitatem ex *Virgine* præcognouit in *ardenti rubo* incombuſto: eius Circumciſionem in Filij ſui Circumciſione , cum ait eius vxor ad illum : *Sponſus ſanguinum tu mihi es.* v. 25. Duplex eius ſacrificium , *cruentum* , & *incruentum* , in occiſione victimarum , & oblatione munda, & perpetua , de qua in Deut. cap. 16. quæ *Miſſa* illic in Hebræo nominatur , nec-non in *Agno* Paſchali: ipſum *Meſſiæ* nomen , nempe *Ieſum* in adorando *Iehoua* diſtinctè nouit. Vide quæ ſuperiùs dixi.

4. Taceo *Balamum* prænuntiantem ortum *ſtellæ* ducis Magorum. Num. 24. v. 17. *Triſmegiſtum* prædicentem Ægypto ſuorum Templorum , ac Idololatriæ deſtructionem , futuram Incarnationem Verbi Dei , & eius mortem , & Reſurrectionem : & *Sybillas*, quæ ſingulas circumſtantias Chriſti natiuitatis , adorationis , miraculorum , Paſſionis , mortis , Reſurrectionis, & futuri Iudicij, ſeu publici eius Aduentus in gloria , clariſſimè prænuntiarunt , &c.

5. *Certè*,

5. *Certè*, inquit August. in Psal. 142. *ipse Christus in Prophetis prædicabat, quoniam ipse est Verbum Dei: nec illi aliquid dicebant, nisi pleni Verbo Dei. Annunciabant ergo Christum pleni Christo, & illi eum venturum prædicebant, quos præcedentes non deserebat: non mirum ergo, si ad eum tanto anhelabant desiderio, dicentes: Veni Domine, & noli tardare. Vtinam* Is. 64. v. 1. *cælos dirumperes! Veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum; ostende faciem tuam, & salui erimus*, &c.

CAPVT XVI.

Prædicitur Incarnationis tempus, & Passionis Christi, & Ierusalem destructionis, &c.

1. CVm Christiana Religio in Filij Dei Incarnatione, & operibus sit fundata, breui omnes Christi Mysteriorum reuelatas Prophetis circumstantias aperiam. *Iacob* tempus Incarnationis prædicit his verbis: *Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est; & ipse erit expectatio gentium.* Genes. 49. v. 10.

Idem confirmat Daniel, cap. 9. *Septuaginta Hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, vt consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem, vsque ad* Christum *ducem, Hebdomades septem, & Hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum; & post Hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum*

9. *Isaias* cap. 35. prædicit eius stupenda miracula, & cap. 61. eius prædicationem, & cap. 53. eius flagellationem, passionem, crucifixionem, &c.

10. *Zachariæ*, cap. 9. prædicit eius ingressum in Ierusalem sedentis super Asinam: & cap. 11. eius venditionem triginta argenteis: & cap. 13. fugam eius Discipulorum: & cap. 12. lateris eius apertionem per lanceam.

12. *Dauid* Psal. 21. & aliis omnem ferè Christi Passionem prædicit, & prænotat; sed præcipuè *Iudæ* proditionem, flagella, irrisiones, blasphemias, crucifixionem, diuisionem vestimentorum, & sortitionem, Resurrectionem, Ascensionem, missionem Spiritus-sancti, Eucharistiæ institutionem, & Gentium conuersionem, &c.

13. *Ioël*, cap. 2. prædicit aduentum Spiritus-sancti.

14. *Daniel*, cap. 9. vt notaui, prædixit non tantùm punitionem Iudæorum Christi persecutorum, & destructionem vrbis Ierusalem, & Templi, ac conuersionem Gentium: sed etiam præcisè tempus, quo hæc euenire debuerunt.

CAPVT XVII.

De sacrificiis, & oblationibus veteris Legis, prout fuerunt figuræ Mysteriorum, & sacrificij Christianæ Religionis.

1. *OMnia Iudæis in figuris contingebant.* Vnde Moyses eorum Legislator eis apparuit velata facie, nec eis erat licitum videre ipsam Arcam fœderis, nisi velatam, seu opertam pellibus; & solus summus Pontifex poterat ingredi Sanctum Sanctorum: sed nec vocem Dei audire potuerunt, aut voluerunt, vt notatur in *Exodo*: Ergo omnia eorum 1. Cor. 10. Exod. 34. v. 30.

ſacrificia fuerunt figuræ duplicis ſacrificij Chriſti, *cruenti* ſcilicet in Cruce, & *incruenti* in Euchariſtia.

2. Duo autem in veteri Lege fuerunt ſacrificiorum genera; primum *cruentum*, alterum *incruentum*.

In ſacrificio *cruento* offerebantur inter animalia quadrupedia *boues*, ſiue *vituli*, *oues*, & *capræ*. Inter aues communiter *turtur*, & *columba*: & ſpecialiter in emundatione leproſi, *paſſeres*. Quia huiuſmodi animalia inſeruiunt præcipuè nutritioni hominum, tanquam mundiſſimum nutrimentum. Ex D.Thom. 1. 2. q.102. ad 3. Vnde per eorum immolationem deſignatur puritas mentis. Quia (vt notat Gloſſa in cap. 1. Leu.) Vitulum *offerimus*, *cum carnis ſuperbiam vincimus*: agnum, *cum irrationales motus vincimus*: hœdum, *cum laſciuiam ſuperamus*; turturem, *cum caſtitatem ſeruamus*: panes azymos, *cum in azymis ſinceritatis epulamur*. Quod etiam per *columbam* deſignabatur. Hæc quoque animalia offerebantur in Chriſti figuram. Quia (vt ibidem notatur) *Chriſtus* in vitulo offertur, propter virtutem Crucis: in *agno* propter innocentiam: in *ariete* propter principatum: in *hirco* propter ſimilitudinem carnis peccati: in *turture*, & *columba*, duarum naturarum coniunctio monſtrabatur: vel in *turture* caſtitas, & in *columba* charitas ſignificabantur: in *ſimilagine*, aſperſio credentium per aquam Baptiſmi figurabatur.

3. In ſacrificio autem *incruento*, Deo offerebantur *panis*, *vinum*, *oleum*, *thus*, & *ſal*: quia hæc præcipuè de terra naſcuntur in quotidianum hominis vſum: ſiue in cibum, & potum, *panis* ſcilicet, & *vinum*: ſiue in condimentum, ſcilicet *oleum*, & *ſal*: ſiue in medicamentum, ſcilicet *thus*, quod eſt aromaticum, & conſolidatiuum. Per *panem* figurabatur caro Chriſti, per *vinum* eius ſanguis, per quem redempti ſumus: per *oleum* eiuſdem Chriſti gratia: per *ſal*, eius ſapientia, & prudentia: per *thus*, oratio,

Digitized by Google

& diuinitas. Vnde vides Deum hæc omnia voluisse sibi offerri, tum ad excludendam idololatriam, quæ animalia alia, &c. offerebat dæmonibus: tum ad significandum debitum ordinem humanæ mentis in ipsum; tum etiam ad figurandum mysterium redemptionis humanæ per Christum. S. Thom. ibid.

4. Notandum, triplex fuisse *cruenti* sacrificii genus. Primum, quod totum comburebatur, scilicet *holocaustum*, quasi *totum incensum*, quod specialiter offerebatur ad reuerentiam Majestatis diuinæ, & ad amorem bonitatis eius, & conueniebat statui *Perfectionis* impletione consiliorum: vt, sicut totum animal resolutum in vaporem sursum ascendebat; ita etiam totus homo, & omnia, quæ ipsius sunt, Dei dominio subiecta, offerenda forent.

Alterum erat sacrificium pro peccato, & conueniebat statui *Pœnitentium*; cuius pars comburebatur, altera cedebat in vsum sacerdotum: vt significaret, quod expiatio peccatorum fit à Deo per ministerium sacerdotum; vnde etiam cum offerebatur pro peccato populi, & sacerdotum, tunc omnia comburebantur.

Tertium vocabatur *hostia pacifica*, oblata pro gratiarum actione, vel pro salute, & prosperitate offerentium, vel ad obtinendum aliquid à Deo; & conueniebat statui *Proficientium*, cuius pars vna incendebatur ad Dei honorem, altera cedebat in vsum sacerdotum, tertia in vsum offerentium, vt de immolatis communicarent; quia salus hominis procedit à Deo, dirigentibus eius ministris, & cooperantibus ipsis hominibus, qui saluantur.

5. Hæc omnia sacrificia in veteri Lege offerebantur Deo, vt Christi sacrificium præsignarent. Quid enim *Paschalis Agnus* immolatus ad vesperam Paschæ (cuius sanguine postes aspergebantur ad salutem inhabitantium Israëlitarum) signabat, nisi

Christum innocentem, immolatum pro peccatis nostris, in ara Crucis torridum ardore suæ charitatis diuinæ? Cuius sanguine non solùm saluamur ab exterminatore Angelo; sed & carne & sanguine anima nostra saginatur in *Eucharistia* sub speciebus panis azymi. Quid etiam figurabat sacrificium illud Exodi 29. duorum *arietum* immaculatorum, cum panibus azymis, crustula absque fermento aspersa vino & oleo; & illud *iuge sacrificium* duorum agnorum, quorum duorum vnum manè, & alterum vesperè offerri solitum erat, vnà cum simila aspersa oleo, & libatione vini super sacrificium, nisi Christi duplex sacrificium, *incruentum* Eucharistiæ sub panis, & vini speciebus, & matutinum Crucis *cruentum*? Est enim verus ille Agnus sine macula, in vtroque sacrificio oblatus diuersimodè. Etenim per *panem azymum*, & *vinum*, designatur materia sacrificij Eucharistici. Per *Agnum duplicem*, designantur duæ Christi naturæ. Per *oleum* eius diuinitas. Per *iuge sacrificium* figuratur æternum eius sacerdotium.

6. Hinc non mirum, si ipsi *Rabini*, seu Iudæorum Doctores perantiqui constanter tenuerunt, hæc sacrificia à futuro *Messia* instituenda, & offerenda fore. Nam *Rabbi Cahana* in cap. 29. Gen. sic explicat hunc textum: *ligans ad vitem asinam*, seu *ciuitatem suam*, vt habetur in Hebr. *Hæc verba*, inquit, *ostendunt, quod sacrificium quod ex vino, non solùm transmutabitur in substantiam sanguinis Messiæ; sed etiam in substantiam corporis eius.* Rabbi *Iuda* in cap. 28. Numerorum: *Panis facierum dicitur, quia cum panis sacrificabitur, transmutabitur in substantiam corporis Messiæ.* Rabbi *Abraham* in Psal. 136. in hæc verba, *Qui dat escam omni carni. Hic est*, inquit, *de quo Psal. 34. gustate, & videte quoniam suauis est Dominus; quia panis, quem ipse dat, caro eius est.*

Digitized by Google

7. *Rabbi Simeon* libro inuestigationis Secretorum, clarissimè hanc asserit veritatem, his verbis: *Hoc est sacrificium quod postquam venerit Messias, facient Sacerdotes coram Deo sancto, & benedicto: tunc enim cessabunt omnia sacra quæ prius fiebant; facient autem sacrificium illud ex pane, & vino: quod cum primùm sacerdotes exercebunt, omnes Angeli cæli audientes illa sacra, sanctaque verba ex ore Sacerdotum procedentia, intelligentes inuidebunt: tunc Deus misericordia implebitur, & virtute ingenti verborum sanctorum, quæ ab ore sacerdotum manabunt, illud omne sacrificium, quod in vnaquaque ara celebrabitur, in corpus* Messiæ *conuertetur: tunc Angeli coram Deo sancto, & benedicto laudes maximas edent, dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.*

8. Tandem caput decimum-sextum Deuteronomij describit perfectè sacrificium *Paschatis*, scilicet azymorum, & agni Paschalis, vt perfectam figuram sacrificij *Missæ*; vnde & vocat hoc sacrificium *Missah*, vel *Missath*, v. 10. quod interpretatur *oblatio, munus, sufficientia.*

CAPVT XVIII.

De Sacramentis legis Mosaïcæ.

1. *Sacramenta* proprièdicuntur, quæ adhibentur à Dei cultoribus ad quamdam consecrationem, & sanctificationem, per quam deputantur ad diuinum cultum. Cum autem ille Dei cultus spectet omnem populum generaliter, & specialiter Dei ministros; hinc in lege Mosaïca, sicut etiam in Naturali varia fuerunt pro ratione diuersi cultus *Sacramenta*, & variæ obligationes Deo seruiendi. Et sic tria erant necessaria circa vtrosque. Primum, *institutio colendi Deum*: quæ in lege naturæ fiebat per

aliquod ſacrificium pro recens nato, & per aliquam eius purgationem; & in lege Moſaïca per Circumciſionem.

Alterum, *vſus eorum quæ pertinent ad diuinum cultum*: qui fiebat per communionem de immolatis Deo, v. g. de Agno Paſchali, & hoſtia pacifica

Tertium, *remotio impedimentorum à diuino cultu*: quæ fiebat per purgationes. Quantum verò ad Sacerdotes, 1. inſtituebantur per conſecrationem. 2. communicabant de victimis, & panibus propoſitionum: & 3. purgabantur per ablutionem manuum, & pedum, & per pilorum raſionem.

2. *Circumciſio* erat ſacramentum præparatorium ad Baptiſmum: S. Thom. 3. part. q. 70. art. 1. in Corp. licet minus expreſſè figurans eum quoad exteriorem ceremoniam, quàm *columna nubis, & tranſitus maris rubri*, quæ tamen non erant ſacramenta; quia per ea nulla fiebat Fidei profeſſio, ſicut par Circumciſionem. Quæ quidem tria ſignificabat, ſcilicet *caſtitatem, depoſitionem peccatorum, & immortalitatem.* Sed præcipuè habebat expreſſam ſimilitudinem abolitionis peccati *originalis*, idque quadrupliciter.

1. Ratione *membri genitalis*, in quo fiebat, & per quod peccatum illud quaſi fluebat in infantem per generationem. S. Thom. 1. 2. q. 102. art. 5.

2. Ratione *pellis circularis*, quæ auferebatur, vt notaret depoſitionem veteris hominis.

3. Ratione *pœnæ*, quam infans circumciſus ſentiebat in eius ſatisfactionem peccati.

4. Ratione *ſanguinis*, qui præfigurabat ſanguinem Chriſti, per quem illud peccatum mundabatur; hinc Chriſtus ipſe voluit circumcidi.

3. *Mulieres* autem non circumcidebantur; quia Circumciſionis inſtitutio erat in ſignum fidei Abrahæ, qui credidit ſe Patrem futurum Chriſti ſibi repromiſſi, vt ſuperiùs notaui, & ideo ſolis maribus

competebat. Adde, quod peccatum *originale*, contra quod specialiter Circumcisio ordinabatur, à Patre trahitur, & non à Matre. *Puellæ* tamen purgabantur à labe originali per sacrificium, & aquæ purgationem, & parentum fidem.

4. Conuiuium *Agni Paschalis* erat communio *Eucharistica* in gratiarum actionem pro liberatione de Ægyptiaca captiuitate, & sequebatur immolationem eiusdem, qui comedebatur; vnde simul erat Sacramentum, & sacrificium, præfigurans duplex Christi sacrificium, in *Cruce*, & in *Eucharistia*, ac simul *communionem* Eucharisticam Christianorum, per quam idem Christus verus Dei Agnus occisus, & viuens, Deo immolatus in Cruce, comeditur sub speciebus panis azymi, & vini à fidelibus, *Crucis* baculo innixis per fidem, accinctis *renibus* per vitæ puritatem, & admixtis *lactucis agrestibus* veræ contritionis, & pœnitentiæ, cum sancta deuotionis *auiditate*, quasi vorarent eum *festinanter*, vt erat præceptum.

5. *Notandum* quod quædam Sacramenta nouæ Legis, non autem omnia, habuerunt in Lege veteri sacramenta figuralia sibi correspondentia: nam Circumcisioni respondet *Baptismus*: conuiuio Agni Paschalis respondet *Eucharistia*: omnibus purificationibus veteris Legis respondet *Pœnitentia*: & consecrationi sacerdotum *Ordo* respondet. Verum *Confirmatio*, quæ est Sacramentum plenitudinis gratiæ, nullum habet in veteri Lege sibi correspondens Sacramentum; quia nondum aduenerat tempus plenitudinis: quia *Lex neminem ad perfectum adduxit.* Heb. 7.

Similiter sacramento *Extremæ vnctionis*, quod est quædam præparatio immediata ad introitum Gloriæ, cuius aditus nondum patebat in Lege veteri, pretio Christi sanguinis nondum soluto, nullum fuit in ea correspondens Sacramentum. *Matrimonium* verò

fuit in ea tantùm, prout in officium naturæ, non autem, vt Sacramentum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, quæ nondum facta erat; vnde licebat dare libellum repudij; quod est contra Sacramenti rationem. Hæc ex D. Thoma 1. 2. quæst. 102. art. 5.

Caput XIX.

De Purificationibus vtriusque Legis, Naturæ, & Mosaïcæ, in genere.

1. EAdem ratio, quæ Deum, actum purissimum, secundùm *Aristotelem*, agnoscit, puritatem docet, tanquam præludium diuini consortij, necessariam hominibus, vt sit dispositio, & proportio aliqualis in mente, quæ accedit ad Deum purum.

Hinc *Hebræi*, & ab eis *Chaldæi*, inde *Ægyptij*, tum *Græci*, & *Romani* solebant ad Sacra accedentes purificari, & purificare, vt ex infrà dicendis patebit.

2. Purificatio autem, quæ *lustratio* dicta est, quia puritas est prima dispositio ad illustrationem recipiendam diuini luminis, (sicut etiam quidam non malè asserunt ipsam albedinem, seu candorem corporalem, nihil aliud esse, quàm lumen modificatum,) tribus modis fieri solebat, 1. per *aërem*, 2. per *aquam*, 3. per *ignem*.

3. Per *aërem* quidem, 1. Eleuatione rei purificandæ in *aërem* super manus. Et colligitur ex cap. 29. Exod. v. 24. *Pones omnia super manus Aaron, & filiorum eius, & sanctificabis eos eleuans coram Domino.* Et vers. 26. *Sumens quoque pectusculum de ariete quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud eleuatum coram Domino.* Et in Hebræo habetur, *Et pones omnia super volas Aaron, & super volas filiorum eius, & agitabis ea coram Domino.*

Quod autem de sanctificatione rerum istarum ibi

loquatur, patet satis omnium Patrum testimonio; & confirmatur ex cap. 8. Num. & ex eodem cap. 29. superaddito, vbi passim agitur de sanctificatione, seu purificatione rerum Deo oblatarum.

2. Per *inuocationem* diuini nominis super rem purificandam, & sanctificandam; purificatio enim, & sanctificatio idem sunt, vt patet ex toto cap. 8. Num.

Hinc *Ieremias* cap. 14. petit à Deo conseruationem populi tanquam purificati, seu sanctificati: hoc modo. *Tu autem in nobis es Domine, & nomen tuum inuocatum est super nos, ne derelinquas nos.*

3. Per *insufflationem*, qua scilicet potestates malignæ, & impuræ, per quas homo tentatus immundus euaserat, exsufflantur, deridentur, expullentur; vocantur enim potestates aëreæ, iuxta Ezech. 27. v. 9. *Insuffla super interfectos istos*, spiritualiter scilicet.

Hinc *Exorcistæ insufflationibus* vtuntur; vnde Tertullianus *exorcizare* vocat, dæmones respuere, *libro ad Scapulam, & lib. de Baptismo.*

Altera purificatio fit per *aquam*, vt patet multis testimoniis Scripturæ sacræ; præcipuè 3. Exod. v. 18. *Missa aqua lauabis in ea Aaron*: & 4. v. 17. & 12. & alibi. De qua purificatione præsertim inferiùs agendum.

3. Purificatio per *ignem*, vel per *cineres*, aut per *terram*; cineres enim ex igne proueniunt, & terra desiccata est ignis materia. Ex eo enim purgatio etiam *lustratio* dicitur, quia ignis lucet, & illustrat: & probatur ex cap. 34. v. 20. & 24. Exod. Quo *cineres cum aqua bibendos Moyses dedit populo*: & lib. Numeri cap. 19. v. 9. *Colliget vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco purissimo, vt sint multitudini filiorum Israël in custodiam, & in aquam aspersionis.* & cap. 27. lib. suprad. Exod. v. 3. Leuit. cap. 6. v. 10. Numer. 14. v. 13. *Sed & altare mundabunt cinere, & inuoluent illud*

purpureo vestimento. Et alibi passim. Et ex cap. 5. Numeri v. 7. patet mulierem purgari per *pauxillum terræ* de pauimento tabernaculi. Prohibuit autem Deus, ne immediatè purificatio fieret per *ignem*; siue quia ignis instrumentum holocaustorum erat, quo scilicet Deo immediatè offerebantur : siue vt non assimilarentur *Ethnicis*, qui filios per ignem lustrabant; sed de hoc inferiùs.

Caput XX.

De nomine, & diuisione Aquæ lustralis *veteris Testamenti.*

Aqua *lustralis* in veteri Testamento triplex inuenitur, quæ quidem vocatur etiam *purificans, sancta*, & *sanctificans*, aqua *aspersionis*, aqua *peccati*, & *separationis*: de qua præcipuè agitur cap. 8. Num.

Prima autem erat vera aqua *lustrationis*, quæ vel *cinere*, vel *puluere* admixto purgationibus inseruiebat: & colligitur ex lib. Exodi cap. 32. v. 20. 21. & toto cap. 8. Num. & cap. 19 eiusdem lib. v. 9. 21. &c.

Altera aqua *probationis*, de qua Num. cap. 50 v. 17. Cui aquæ admiscebatur pauxillum *terræ* de pauimento tabernaculi; Aquæ *probationis* cum cineribus vituli aurei, fit mentio Exod. 32.

3. *Aqua sancta*, quæ asseruabatur in labro æneo, Exod. 30. v. 18. & 19. & cap. 40. v. 7. & 12. & in mari æneo templi Salomonis; de qua agitur cap. 7. 3. Reg. & 2. Paralip. cap. 4. Ierem. 52. Quæ quidem aqua inseruiebat purificationi Ministrorum altaris, ornamentorum, & vtensilium templi. Sanctificatur autem 1 per oblationem, 2. per inuocationem diuini nominis, 3. per eiusdem nominis scripti in schedula dilutionem, teste Iosepho.

Digitized by Google

Ex his habes, non tantùm nomen, sed etiam diuisionem, existentiam, & naturam *Aquæ lustralis* in lege Mosaïca.

CAPVT XXI.

De figuris Aquæ lustralis *vtriusque Testamenti, sed præcipuè aquæ* Baptismalis.

1. PRima, *aquarum sanctificatio*, teste Tertulliano, *apparet 1. in figura aquæ lustralis, quæ fuit ab initio creationis mundi, cum Spiritus Domini ferebatur super aquas*, vt inferiùs notabitur.

Altera figura: cum factum est *Firmamentum* in medio aquarum per diuinam vocem, diuidens aquas cæleſtes, seu diuinas, ab inferioribus terræ iunctis.

3. *Figura*, aquarum fœcunditas.

4. *Figura*, Cataclysmus, seu diluuij, aquæ expiatrices scelerum: mens enim est sanctorum Patrum eas aquas diluuij multis tenuisse locum Baptismatis, præsertim Tertul. lib. de Bapt. cap. 8. *Quemadmodum post aquas diluuij, quibus iniquitas antiqua purgata est, peccat mundus & sine aquarum diluuio non purgatur.* Et colligitur ex 1. Petri 3. v. 19. 20. & 21. & S. Hieronymi Epist. 83.

5. *Figura*, aquæ *maris rubri*, per quarum medium sicco vestigio transeuntes, à persecutione Ægyptiaca libertati sunt. Exodi 14.

6. *Aquæ Iordanis*, quibus patuit ingressus Israëlitis in terram promissionis. Iosue cap. 14.

7. *Irriguum superius, & irriguum inferius.* Iudic. 1.

8. *Figura*, & Prophetia simul Dauidis. *Vox Domini super aquas. Dominus super aquas multas*: & Psal. 64. *Flumen Dei repletum est aquis*: & 65. *Transiuimus per ignem, & aquam*: 68. *Saluum me fac* Ps. 28.

Deus ; quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam : 50. *Aſperges me Domine hyſſopo, & mundabor.*

9. *Figura* , miraculoſa aqua *Eliſei* , qui admixto ſale eam ſanauit , & fœcundam reddidit , vt infrà.

10. *Figura* , Piſcina *Betſaida* , ſeu *probatica*, cuius aquæ motæ per Angelum, ſanitatem reddebant.

11. *Figura* , aqua per virgam Moſis educta è petra; *Petra autem erat Chriſtus.* 17. Exodi v. 6.

12. *Figura* , aquæ deſerti *Sur* amaræ, per lignum Moyſi à Deo oſtenſum , dulces redditæ , intellige virtutem *Crucis*, 5. Exod.

13. *Figura*, eſt *mare Æneum*, de quo lib. 3. Regum cap. 7. & 2. Paralip. cap. 40. & Hieremiæ cap. 50. quod vere exprimebat noſtrum vas *aquæ benedictæ*; erat enim in atrio Templi, & purificationibus, aſperſionibus , tinctionibus inſeruiebat , continens *aquas ſanctas.*

14. Idem dicendum de *Labro Æneo* , in quo aſſeruabatur *aqua ſancta* , Exodi 30. v. 18. *Facies & Labrum Æneum cum baſi ſua ad lauandum , poneſque illud inter Tabernaculum teſtimonij , & altare, & Miſſa aqua* , v. 19. *Lauabunt in ea manus ſuas , ac pedes, quando ingreſſuri ſunt Tabernaculum teſtimonij , & quando acceſſuri ſunt ad altare , vt offerant in eo thymiama Domino , ne fortè moriantur :* & cap. 40. v. 7. & 12. Etenim teſte Ioſepho : *In hoc Labro Æneo aſſeruabatur aqua ſancta.* De qua Num. 5. v. 17. quæ quidem aqua ſanctificabatur inuocatione diuini nominis ſuper eam , diluto in eadem nomine Dei *tetragrammaton* ſeu יהוה , ſcripto in ſchedula ; vnde non mirum , ſi per eam fiebat miraculum probationis mulieris ſuſpectæ de adulterio.

Ex quibus vides Aquam *Luſtralem* præcipuè præfiguratam eſſe ab ipſo mundi exordio , quippe quæ tantis myſteriis exequendis , præſertim abolitioni

criminum, & diuinæ regenerationi inſeruiat, vt inferiùs dicetur ſuo loco.

CAPVT XXII.

De Purgationibus ſacris Gentium, ſeu Legis Naturæ.

EAſdem videmus purgationes, ſeu purificationes apud Gentes, quas vidimus apud Hebræos: Siue quia Dæmon eſt *ſimia* diuinorum operum; vnde eadem in ſuis *Orgiis* myſteria inſtituit, quæ Deus opt. max. in vera Eccleſia præcepit: ſic enim melius diuinitatem ſimulandi intentum habuit, nempè cultum diuinum, quem ambiebat iuxta illud Iſaiæ 14. v. 14. *Similis ero Altiſſimo.*

Siue etiam quod eadem eſt ratio apud omnes, quæ dictat purgationem neceſſariam ante acceſſum ad ſacra: quæ etiam indicat ea, per quæ poſſimus purgari, ſcilicet per *aërem*, per *aquam*, & per *ignem*; nam & corpora purgantur per tria hæc.

Siue quod, vt probabiliſſimum eſt, omnia ſua myſteria Ethnici acceperint à veris Dei cultoribus, id eſt, à primis *Patribus Gentium*, per quos Terra diuiſa eſt ante Legem: vel ab ipſis *Hebræis*, & Iudæis, cum quibus habuerunt conſuetudinem, & conſortium: licet multas poſtea ſuperſtitiones, & fabulas commiſcuerint: conſtat etenim, non tantum quoad praxim, ſed & quoad ſpeculationem, omnem Theologiam Gentium à libris, & inſtitutionibus ſacris initium habuiſſe.

Hinc Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 5. *Sed & nationes extraneæ*, inquit, *ab omni intellectu ſpiritualium poteſtatum, eadem efficacia idolis ſuis ſubminiſtrant, ſed viduis aquis ſibi mentiuntur; nam & ſa-*

cris quibuſdam per lauacrum initiantur Iſidis *alicuius, aut* Mitræ *ipſos etiam Deos ſuos lauationibus efferunt.*

Caterùm villas, domos, templa, totaſque vrbes aſpergine circumlatæ aquæ expiant paſſim: certè ludis Apollinaribus, *&* Eleuſinis *tinguntur, idque ſe in regenerationem, & impunitatem perjuriorum ſuorum agere præſumunt.*

Item penes Veteres quiſquis ſe homicidio infecerat, purgatrice aqua ſe explabat. Hæc Tertullianus. Quod ait de *aquis viduis*, intellige viduis Angelo ac Spiritu ſancto, qui noſtris aquis ſuperuenit; vnde Paulinus Epiſt. 12. ad Seuerum.

Sanctus in hunc calo deſcendit Spiritus amnem:
Cæleſtique ſacras fonte maritat aquas.

Porrò *Eleuſina* eſt *Ceres*, cuius nobile Templum erat in vrbe *Eleuſi* in Attica, non procul ab Athenis, quæ *Ceres* à multis cenſetur eſſe *Ioſeph* ſanctus, quem Ægyptij coluerunt, vt Deum frumenti; quia per ſeptem annos omnes Ægyptios fame liberauit; *Gheres* enim Hebraïcè *frumentum* ſignificat, licet communiter pro *Tellure* ſumatur.

Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum, de luſtrali aqua Gentium hæc habet, vel potius Menander apud ipſum.

----------Si verus tibi
Morbus quis eſſet, Pharmaco vero foret
Opus; ſed ecce reperiſti Pharmacum inane,
Inani, quod tibi fingis, malo iam profuturum crede:
ſi te fœmine
Luſtrent in orbem, fontibus lauent tribus,
Iungantque lentem pariter, & multum ſalem,
Bene expiatus, conſcius ſibi bene.

Arnobius quoque lib. 7. teſtatur ſacra facturos, vel Templa ingreſſuros Gentiles ſe purificare ſolitos. *Quorum*, inquit, *Templa cum adire diſponitis, ab omni vos labe puros, lautos, caſtiſſimoſque,*

Hinc

Hinc Seruius in 2. Æneidos censet *Sentio delubrum videri locum ante Templum, vbi aqua currit, à diluendo dictum.* Et *Æneas* apud Virgil. manum abstinet à sacris, & penatibus suis; antequam immunditiem ex effuso hostium cruore contractam absterserit aqua, quam fœditatis omnis expiatricem censebat.

En Genitor, ait, *cape sacra manu, patriosque penates,*
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas; donec me flumine viuo
Abluero.

Non autem sola aqua se Gentiles purificabant sacrificaturi; sed etiam, sicut Hebræi, aëre & igne, iuxta Virgilium 2. Georgicôn, & 7. Æneidos

----------alia panduntur inanes
Suspensa ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infestum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Videndus idem Seruius in hunc locum, qui optimè infert tres purgationes, non tantum animarum defunctarum, sed etiam adhuc degentium; quasi voluerint præuenire humano iudicio diuinum post mortem, dum se purgant iisdem rebus, quibus forent purgandi post mortem. Seruius in Æneid. 6. *Tæda enim*, inquit, *purgantur, aut sulphure, aut aqua abluuntur, aut aëre ventilantur.* Et quidem de aqua iam vidimus: de aëre autem testatur Callimachus *Iouem* recens natum positum in vanno cribrandum, scilicet, & agitandum, quam purificationem acceperunt è iam citato loco. Exod. 29. v. 24. & 25.

Quod ad Ignem, ipsa Scriptura testatur Deut. 18. v. 10. eam esse consuetudinem Gentium. *Caue*, inquit Moyses populo, *ne imitari velis abominationes illarum gentium, nec inueniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem.*

Hîc videndus Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum, vbi eleganter has tres purgationes describit ipsis verbis Diphili Comici.

Huc ſpectat quod Marcianus Capella ait, inter Deos nullum referri, niſi prius vel ipſe flammis vſtus fuerit, vel ſimulachrum eius animæ verberatum.

CAPVT XXIII.

De Hierarchia Eccleſiaſtica vtriuſque Legis, Naturæ, & Moſaïcæ.

1. *Hierarchia eſt ſacrarum perſonarum ſancta & ordinata Congregatio, ſub vnius ſacri Principis gubernatione.* Ex S. Dionyſ. Quod autem ſacer ille Ordo fuerit ab ipſo mundi exordio in lege Naturæ, ſicut & in Moſaïca, inter ſacrorum miniſtros, certiſſimè conſtat ex eo, quod ea, *quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt*, vt inquit Apoſtolus. Quod ſi verum eſt inter ipſas creaturas irrationales, vt videre eſt ex ipſis cælis, & elementis, & inter creaturas rationales, quoad temporalem politiam; quanto magis quoad ſacram œconomiam, & circa diuina miniſteria? Quod quidem confirmant omnes hiſtoriæ ſacræ, & prophanæ.

Rom. 13. v. 1.

2. Videmus enim hanc ſacram ordinationem apud Ægyptios, Græcos, Romanos, Perſas, Sinenſes, Indos, & Druidas floruiſſe; apud quos ſcilicet cernebantur varij ſacrorum miniſtri, Sacerdotes, Antiſtites, Pontifices, quibus ſummus Pontifex præerat, qui quidem apud omnes ferè populos in lege Naturæ vtramque ſimul regebat politiam, ſacram, & prophanam. Et certè Philo, lib. 3. de vita Moſis, teſtatur Virgam amygdaleam *Aaroni* à Deo tanquam Paſtoralem baculum conceſſam fuiſſe; quia hæc arbor prima foliis ornatur virentibus verno tempore, & vltima his ſpoliatur Autumno, Æſtatem ferens diutiſſimè ſaluo virore frondium. *Vtroque modo*, inquit, *figuram ſacerdotalis tribus referens, ſubindi-*

eanſque hanc primam, & vltimam vigere in genere humano.

3. Sicut autem in vnaquaque familia in lege Naturæ fuerunt priuati quidam ſacerdotes, & miniſtri eorum, vt patet Iudicum 17. exemplo Michæ, qui in oratorio quod Deo parauit in ſua domo, filium ſuum ordinauit Sacerdotem, ac etiam alium Leuitam in eius adiutorium; ita etiam in ſingulis Regnis, & prouinciis fuere publici Sacerdotes, & Pontifices, qui publicis præerant ſacris & aliis ſacrorum miniſtris, vt indicant omnes hiſtoriæ.

4. Tales Miniſtri variis ceremoniis conſecrabantur, & communiter ſub finem ſacrificiorum, vt notat Rapinius de inauguratione Iacob ab Iſaac iam ſene, quando ſcilicet poſt ſacrificium *Melchiſedechianum*, & Communionem panis, & vini, extendit manus ſuper eum, oſculum ei præbuit, benedixitque eum conſtituens Dominum fratrum ſuorum, & eum ſtabiliens frumento, & vino, quæ erant materia magni huius ſacrificij. Et liber Iudicum, cap. 17. narrat quod *Michas* impleuit manum filij ſui, quando eum ſacerdotem conſtituit; quod ſic intelligendum: impleuit manum eius oleo, ſeu vnctionibus, impleuit manum oblationibus Deo exhibendis, impleuit manum eius thuribulo.

Huc quoque ſpectat illud 3. Reg. cap. 13. *Quicumque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat Sacerdos excelſorum.* Cùm autem Sacerdotium à lege Naturæ incœperit, nullum eſt dubium eaſdem ceremonias obſeruari ſolitas, diuino inſtinctu in lege Moſaïca diuino præcepto firmatas fuiſſe, tum circa miniſtrorum ſacrorum ordinationes, & politiam, cum circà ipſa ſacra, & veſtes, & ſacrificia.

5. Hinc vbique ferè terrarum ſacri Miniſtri lineis veſtibus, & albis vſi ſunt: Antiſtites mitris, Pontifices thiaris, & coronis, atque Paſtorali baculo.

Nam quoad album colorem Plato teſtatur eſſe lætitiæ proprium, & Deorum: & Vopiſcus notat quod ideo Senatores Romani diebus feſtis omnes erant ex lætitia elati, vt ſuis domibus albas hoſtias cæderent, albati ſederent: & Suetonius in Auguſto, cap. 99. de Sacerdotibus Ægyptiis loquens, ait: *Candidati, coronatique, & thura libantes, fausta omnia, & eximias laudes congeſſerant.*

6. Claudianus *Linigeros* vocat Sacerdotes *Iſidis*, ſeu Ægyptiorum; quia lineis induebantur veſtibus: & idem Suetonius in Othone, *Sacra etiam*, inquit, *Iſidis ſæpè in linea, religioſaque veſte propalam celebraſſe.* Lucanus quoque non ſolum *Iſidem*, at alios quoque Ægyptiorum Deos lino velatos, eorumque Sacerdotes prodidit:

Et tectum lino ſpargam per vulgus Oſyrim.

Tandem Iuuenalis, Satyr. 6. v. 532.

Ergo hic præcipuum ſummumque meretur honorem,
Qui grege linigero circumdatus, & grege caluo,
Plangentis populi currit deriſor Anubis.

Vbi notandum eſt, quod Sacerdotes vocabantur *Calui*; quia iis erat prohibitum comam nutrire.

7. Deus iuxta hunc morem præcepit Moſi, vt tam Aaron, quàm filij eius, & alij Sacerdotes vterentur lineis veſtibus, & thiara; vnde Exod. 28. v. 39. & 40. *Stringeſque byſſo, & thiaram byſſinam facies, & baltheum opere plumario: Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis, & baltheos, ac thiaras in gloriam, & decorem.* De aliis ſacrorum Miniſtrorum veſtibus alibi plura ex profeſſo dicentur.

8. Sic etiam in vtraque Lege eadem fuit materia ſacrificiorum, ſiue cruentorum, nempe animalia munda, ſiue incruentorum, ſcilicet panis, & vinum, ſal, thus, & oleum, vt ſuperiùs notaui: eædem quoque ceremoniæ, ſcilicet hoſtiarum purgatio, earum eleuatio ſuper manus, earum oblatio, &

occisio super altare, excoriatio, crematio alicuius partis, vel totius hostiæ, ac tandem Communio.

CAPVT XXIV.

De Scriptura sacra præcipuè veteris Testamenti.

SAcram *Scripturam* vocamus cælestem doctrinam, quam sacri Scriptores, inspirante, & suggerente Spiritu-sancto, diuinis consignarunt litteris, sicut ait Propheta Regius. *Lingua mea, calamus scribæ velociter scribentis.* Vnde *Baruch* Ieremiæ scriba interrogatus à Principibus, quonam modo Ierem. 36. v. 18. ei dictasset librum; *Loquebatur*, inquit, *ore suo quasi legeret omnes sermones.* Et lib. 4. Esdræ, cap. 14. *Esdras* dicitur restituisse sacra Volumina, & ea dictasse quinque Notariis per quadraginta dies; ita vt non nisi per noctem quiescerent, & manducarent. Et certè, vt ait D. Paulus 2. ad Timoth. cap. 3. *Omnis Scriptura diuinitus est inspirata*, vt ex infra dicendis patebit. ps. 44. v. 2.

2. Hæc enim sacra *Scriptura*, quæ continetur his omnibus, & solis libris, qui sunt in veteri, & nouo Testamento, non tantum communi Traditione, & Ecclesiæ determinatione, diuina penitùs, & è cælo quasi delapsa, seu potius ab ipso Deo inspirante tradita censetur, sed etiam seipsam videtur satis manifestare suamet Antiquitate, sua Majestate, sua Excellentia, & admirabili Sapientia, ac puritate: Quibus potes addere communem eius authoritatem apud Philosophos, & omnes Doctores, qui ante, & post Christum floruerunt. Plura facta sunt miracula, quæ eius veritatem, & diuinam originem declararunt, & prophetias in ea contentas, quæ continent totius eius doctrinæ pro-

fundæ vnitatem, vniuerſalitatem, ordinem, & ſanctitatem.

3 Et certè quoad eius *Antiquitatem*, nemo poteſt inficias ire; quin primum locum teneat in libris, qui habentur præ manibus; eſt enim multum antiquior *Triſmegiſto*, (qui vixit pluſquam centum annos poſt *Moyſen*, ſecundum probabiliorem Chronologiam,) *Homero*, *Orpheo*, *Lino*, *Muſæo*, & aliis Poëtis, & Philoſophis, *Herodoto*, & aliis Hiſtoriographis: qui quidem, vt videre eſt, multa ex ea deprompta ſuis inſeruerunt libris. Sed nec putandum eſt eam Moyſi ſolum eſſe coæuam, ſed ipſi Mundo, præcipuè quoad partem *Geneſis*, & plures *Pſalmos*: cum certiſſimè conſtet ante ipſum Diluuium extitiſſe ſaltem quoad aliquam eius partem; cum ſuperiùs probauerim primam orbis *Bibliothecam*, quæ in vrbe, ſeu ciuitate litterarum, nempè *Cariathſepher* erat, ante ipſum Diluuium eſſe fundatam, in qua præſertim libri ſanctorum *Henochi*, & *Sethi* Patriarcharum, & permulti alij aſſeruabantur.

4. Quod ad Scripturæ ſacræ *Majeſtatem*, & diuinam myſteriorum, quæ continet, excellentiam, non quidem Litteraturæ, ſed admirandæ Sapientiæ, ſeu diuinæ cognitionis, & altiſſimarum rerum per altiſſimas cauſas; ipſa ſtatim apparet humilibus, & putis lectoribus, qui eam legunt, & meditantur die ac nocte. Ideo eis apparet ſicut mons excelſus, ob ſublimitatem diuinæ Majeſtatis, in quo beneplacitum eſt ipſi Deo habitare in eo: ſicut mons ardens charitatis igne, *mons Sinaï fumigabat*; ſicut mons roridus, ob voluptatem Spiritalem legentium iuxtà Ioël 3. *Stillabunt montes dulcedinem*: ſicut mons fragrans ſanctitatis odore: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*: ſicut mons candens ob ſplendorem veritatis. *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.*

Exod. 19.

Cant. 4.

Pſ. 75.

5. Hæc eſt Domus illa admirabilis, quam ſibi *Sa-*

pientia ædificauit, vbi miſcuit vinum mentes puras inebrians amore diuino, & poſuit menſam diuini Conuiuij, vt ibi aſſideant ſapientes, & deguſtent *ſal* ſapientiæ, *lac* cæleſtis & ſanctæ eruditionis, & *mel* diuinæ conſolationis; etenim *mel, & lac ſub lingua eius:* & in qua facit Sanctos accumbere ad recreationem Spiritalem, & obdormire ſomno contemplationis, vt impinguentur diuina gratia.

6. Hinc *Scriptura* veteris Teſtamenti, diuidi poteſt in libros *Politicos*, qui continent *Pentateuchum*, ſeu legis *Naturæ*, & *Moſaïcæ* grauitatem.

2. In libros *Hiſtoricos*, in quibus cernitur rectitudo iuſtitiæ diuinæ; & ſunt huiuſmodi libri *Ioſué, Iudicum, Ruth, Regum, Paralippomenon, Eſdræ, Tobiæ, Iudith, Eſter, & Machabæorum.*

3. In libros *Dialecticos*, ad conuincendam impietatem, & contrariam probabilitatem veritati conſtanti oppoſitam; ſuntque libri *Iob*, & *Eccleſiaſtici.*

4. In libros *Poëticos*, ad animorum ſuauitatem, & diuinæ Majeſtatis confeſſionem, eiuſque laudum enarrationem; ſuntque *Pſalmorum, Canticorum*, & *Threnorum* libri.

5. In libros *Ethicos*, ad ſplendorem *Moralis* ſcientiæ, & Sapientiæ; ſuntque libri *Prouerbiorum, Sapientiæ, & Eccleſiaſtici.*

6. In libros *Propheticos*, ad prædictionem, & præſignationem futurorum *Meſſiæ* geſtorum, & Myſteriorum diuinorum manifeſtationem; ſuntque libri *Eſaiæ, Ieremiæ, Ezechielis, Danielis*, & aliorum Prophetarum.

Ex quibus vides, ſimul eſſe domum Conuiuij, domum ſapientiæ, domum Orationis, & Aream bellicam.

7. Imò potiùs debet ſacra *Scriptura* comparari Regno cælorum, cuius ſcilicet claues poſſidet: quæ continet ipſum Deum verum beatitudinis obiectum,

licet occultum ſub cortice litteræ : quæ eiuſdem Deĩ veri, & vnici perfectiones infinitas nobis declarat; quæ media ad eum aſſequendum vera, & energica proponit, & offert : quæ adoranda *Trinitatis*, & *Incarnationis* Myſteria nobis aperit, & omnia, quæ in cælorum Regno clarè, ac diſtinctè cernentur, nobis in Fidei ſpeculo repræſentat: & qua mediatrice conuerſationem poſſumus habere in cælis, licet adhuc in terris degentes, & diuinum, angelicumque poſſidere conſortium.

8. Quia autem Chriſtus comparauit idem cælorum Regnum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas; nil vetat ſacræ *Scripturæ* ſtudium eſſe verum *margaritarum* emporium, & commercium.

Nam 1. ſi *vniones*, & *margaritæ* ex rore cæleſti, quaſi ex vtero *auroræ* concreſcunt; non-ne ſacra hæc *Scriptura* è ſinu Patris diffluit, & ex ipſo eius Verbo mentali, cuius eſt Verbum ſcriptum, emanat?

2. Si orbicularem in *Margaritis* figuram attendimus : non-ne & eandem in hac *Scriptura?* quæ Deum, vt intellectualem Sphæram continet; quæ ducit choros, ſeu circulos ex rebus creatis ad Creatorem, ex Deo rurſus ad creaturas; quæ aſcendit ad cælos, & deſcendit ad abyſſos, nihil intactum relinquens; & quæ Solis inſtar ſuis radiis luſtrat vniuerſa, pérque Orientem & Occidentem, vitæ & mortis, miſericordiæ & iuſtitiæ diuinæ, reuertitur in gyros ſuos.

3. Si *Margaritarum* pretium eſt inæſtimabile; ita & *Scripturæ* ſacræ, ac diuinæ Sapientiæ in ea reconditæ theſauri inæſtimabiles; *melior eſt enim fructus eius auro, & lapide pretioſo.* Tandem ſi in his erythræis lapillis commendatur ſplendor, & candor; in ea ſpectatur *candor lucis æternæ*, & *eloquia Domini caſta; lex Domini immaculata, conuertens animas, ac præceptum Domini lucidum.*

9. Verùm ſicut tradunt *Smaragdum* diſſilire, & frangi in eius digito, qui impudicè vixerit; & quod magis eſt admirandum, quemdam *vnionem* fuiſſe repertum grauiorem talentis plumbi, dum nitidus foret: puluere autem, vel halitu fœdatum, palea, & plumis leuiorem.

Ita de *Scriptura* ſacra iudicandum eſt, cuius profunda Sapientia *in maleuolam animam non poteſt introire, nec habitare in corpore ſubdito peccatis*; vnde debet legi, audiri, & attendi docili aure, & profunda humilitate, & anima pura cum fructu bonorum operum: vt ſicut auribus, & brachiis *vniones* apponuntur, ita etiam eius ſapientia dociliter audiri debet & in praxim reduci.

Hinc, vt inquit Tertullianus, *Scripturæ medullas nemo magis nouit, quàm ipſa Chriſti Schola.*

CAPVT XXV.

Quanta fuerit authoritas Scripturæ ſacræ *apud Philoſophos, & Doctores omnium Nationum; & de variis* Tranſlationibus *eiuſdem, præcipuè de mirabili Tranſlatione* Septuaginta Interpretum.

1. SIcut *Sol* vbique terrarum luminis ſui radios ſpargit; ita *Scriptura* ſacra, quæ eſt quaſi currus iſte igneus diuini Verbi, & æternæ ſapientiæ, in *Apolline*, & *Phœbo* præſignatæ, ſpiritalis ſuæ lucis ſplendorem emiſit ab Oriente, ſeu à *Chaldæa*, in Occidentem, ſeu in *Galliam* & *Germaniam*, quò appulerunt *Druidæ* primorum Patriarcharum primæui diſcipuli.

Hinc fit, vt apud Philoſophos omnium Nationum tantæ fuerit authoritatis, vt exinde tanquam è primæuo fonte, non ſolùm profundam myſteriorum

ſuorum cognitionem, ſed & vitæ ſanctæ Regulam hauſerint, vt ſuperiùs libro ſecundo notaui.

2. Vnde vetus Teſtamentum, de quo præcipuè nunc agimus, fuit habitum ſemper, & adhuc habetur, vt diuinitùs inſpiratum, apud *Chaldæos*, *Hebræos*, *Ægyptios*, *Syros*, *Arabes*, *Paleſtinos*, *Samaritanos*, *Æthiopes*, *Saracenos*, *Armenos*, *Perſas*, *Turcas*, & alios permultos populos: ipſi quoque Græci *Poëtæ*, & *Philoſophi* fatentur ſe ſuam ſapientiam à Barbaris, ſeu Hebræis accepiſſe, quos ideo ſemper laudat *Plato* tanquam Philoſophiæ magiſtros, & Deo charos. Et certè *Ariſtobulus* in libro, quem ad Regem Ptolomæum ſcripſit, apud Euſebium, lib. 3. cap. 7. de præpar. Euang. teſtatur *Platonem* leges, & diſciplinam Iudæorum diligenter fuiſſe ſequutum, & attentè perlegiſſe libros *Moſis*, qui iam in Græcam linguam, licet non ita correctè, tranſlati erant ante *Alexandrum magnum*, & Regnum Perſarum; vnde Auguſtinus ait, lib. de vera Relig. *Platonicos Philoſophos facillimè paucis mutatis, fieri poſſe Chriſtianos*; vnde *Numenius* Philoſophus Pythagoræus, *Quid eſt*, inquit, *Plato, niſi Moyſes, qui loquitur atticè?* & Ambroſ. Epiſt. 20. teſtatur *Pythagoræos* cum ſuo Magiſtro perlegiſſe, & cognouiſſe Myſteria noſtra, & vitam noſtram duxiſſe; & Hieronymus ea de cauſa ait *Stoïcos* in pleriſque nobis concordare.

3. Quoad *Tranſlationem* ſacræ *Scripturæ* ex Hebræo in linguam Græcam, illa eſt celeberrima, & miraculoſa, quæ facta eſt à *Septuaginta* Doctoribus Iudæis, vt teſtantur Ioſeph, & Philo Iudæi. Hiſtoria huius Tranſlationis ſic habetur apud Clementem Alexandrinum, lib. 1. Stromatum: *Aiunt tempore* Ptolemæi *filij, aut, vt dicunt nonnulli, tempore eius, qui fuit cognominatus* Philadelphus, *cum maximam ad eam rem contuliſſet diligentiam* Demetrius Phalereus, *& vt verterentur vehementer procuraſſet*,

nam, cum adhuc Asiam obtinerent Macedones, Rex *magno studio contendens, eam, quæ Alexandriæ in eius potestate erat,* Bibliothecam *omnibus scripturis exornare, voluit, vt* Hierosolymitani *quoque eas, quæ apud se erant,* Prophetias *in sermonem Græcum interpretarentur. Illi autem vt, qui adhuc obedirent Macedonibus, ex iis, qui apud so erant probatissimi, & maximæ existimationis,* Scripturarum *peritos, &* Græcæ *linguæ scientes* Septuaginta, *seniores delectos ad eum miserunt cum Libris diuinis. Cùm autem vnusquisque sigillatim ex sua propria interpretatus esset Prophetia, conspirarunt omnes simul collatæ Interpretationes, & sententiis, & dictionibus: Dei enim erat voluntas, qui id ad* Græcorum *aures consultò comparauerat: neque verò ab inspiratione Dei erat alienum, qui Prophetiam dederat, vt Interpretationem quoque, tanquam Græcam efficeret Prophetiam.*

5. Sed & miraculosa fuit reparatio *Scripturæ* sacræ post captiuitatem Babylonicam per *Esdram*, de qua idem Clemens Alex. eodem loco: *Cùm in captiuitate,* inquit, *Regis Nabuchodonozor interiissent Scripturæ tempore Artaxerxeis Persarum Regis, inspiratus* Esdras *Leuites, qui factus fuerat sacerdos, prophetauit, omnes veteres Scripturas renouans.*

6. Notandum autem, circa antiquas *Versiones* Hebraïcas, aut Hebraïcæ linguæ vicinas, aliam fuisse *Chaldaïcam*, aliam *Syriacam. Chaldaïca* alio nomine vocatur *Thargum*, id est, *Paraphrasis*, seu *interpretatio*: & *Thargum* aliud est *Babylonicum*, aliud *Hierosolymitanum*, quod & *Samaritanum*, de quibus Galatinus, lib. 1. Arcanorum, cap. 3. De aliis Versionibus *Scripturæ* sacræ consule Philippum *Gamachæum* in Summa Theologica, quæstione 1. in primam partem D. Thomæ, cap. 12.

CAPVT XXVI.

De ſingulis libris Veteris Teſtamenti, & eorum Authoribus, & primò de libris Politicis, *ſeu* Pentateucho.

1. MOyſen ſcribam, ſeu ſcriptorem fuiſſe quinque horum librorum, *Geneſis*, *Exodi*, *Leuitici*, *Numerorum*, & *Deuteronomij*, nemo dubitauit hactenus. *Geneſim* deſcripſit Deo inſpirante, prout à ſanctis didicerat Patriarchis per traditionem. Multa quoque perlegere potuerat in pleriſque Codicibus ſacris, qui ampliùs non extant.

2. Liber autem *Geneſis* præcipuè declarat Dei Omnipotentiam in Mundi creatione, in ſaluatione hominum ſub diluuio, & in diſſeminatione Gentium poſt diluuium. In eo diuina *Trinitas* perſonarum in vnitate Eſſentiæ adumbratur in ipſa creatione, cum dicitur: *In principio creauit Dij Elohim*: cum fit mentio *Verbi* per quod creauit, & *Spiritus* Domini, qui ferebatur ſuper aquas: in apparitione trium Angelorum *Abraham*, qui *tres vidit, & vnum adorauit*. Incarnatio etiam præſignatur Filij Dei, Reparatoris generis humani; cum Pœnitentia *Serpenti* imponitur, cum promittitur *Meſſias* de ſemine Abrahæ in Iſaac ad benedictionem omnium gentium, & in benedictione *Iudæ* per patrem eius Iacobum.

Hiſtoria etiam peccati *originalis* narratur, &c.

3. Idem liber manifeſtat diuinam beneuolentiam in *Abrahæ* ſegregatione, circumciſione, & oblatione: in *Iſaac* ſacrificio, nuptiis, præſeruatione *Iacob*, prælectione, & commercio diuino cum eo, & in *Ioſephi* exaltatione.

4. Liber *Exodi* tractat præſertim de *Moſis* præ-

seruatione miraculosa, de vocatione eius ad populi Iudaïci principatum; de eiusdem prodigiis, & manifesta gloria; de populi liberatione ex *Ægypto*; de admiranda Legis diuinæ promulgatione; de diuinis Præceptis eius *Sacris*, *Moralibus*, *Politicis*; de fabricatione *Arcæ*, *Tabernaculi*, *& Cheruborum*; & de Sacerdotum inauguratione, & vestibus sacris.

5. Liber *Leuitici* tractat de Sacrificiis, & oblationibus; de sacerdotio, & consecrandis; de communione, eduliis, & animalibus mundis, & immundis; de variis purgationibus, & immunditiis legalibus; de *phase*, & solemnitatibus; de votis, & promissionibus.

6. Liber *Numerorum* agit de numero pugnantium, & eorum collocatione circa Tabernaculum in Castris: de numero offerentium, & oblationum, & eorum distinctione: de numero Ministrorum, Sacerdotum, & Leuitarum, eorumque deputatione ad varia officia: de numero exploratorum, & eorum reditu: de numero peccatorum rebellium *Chore*, *Dathan*, *& Abiron*, & fornicatorum, qui initiati sunt *Beelphegor*: de numero recens genitorum in deserto: de morte eorum Patrum, qui de Ægypto fuerant educti: de numero mansionum in deserto, & eorum recollectione: ac tandem de numero præsidiorum, & ciuitatum refugij.

7. Tandem liber *Deuteronomij* est Epilogus Israëlitarum itineris, & laborum; fœderis, & Dei præceptorum; promissionum, & benedictionum; ac simul minarum, & punitionum in delinquentes: ac tandem tractat de vltima benedictione, & morte *Moysis* in osculo Domini.

Ex iis libris omnes *Legislatores* orbis pulcherrimas, & prudentiores suas Leges de prompserunt, vt inductione patet.

Caput XXVII.

De libris Hiſtoricis *ſacræ Scripturæ.*

1. Libri ſacri *Hiſtorici* docent 1. in *Ioſuë*, quomodo Deus Opt. Max. Iſraëlitas in terram promiſſam mirabiliter inttoduxit ſub *Ioſuë* duce : qui, cum in ſuo nomine nomen *Ieſu* præferret, etiam ipſum Mundi Saluatorem perfectè præfigurauit. Quis autem non miretur Deum, ſtupendum ſui populi Introductorem in Terram promiſſam ? 1. Ex murorum *Iericho* ſtupenda colliſione ad ſonitum tubarum ſacerdotalium ; ſicut *dæmonis* ciuitas ruit funditùs euerſa ad vocem tubæ Apoſtolicæ. 2. Ex Regum potentum captiuitate, & occiſione, ac ſuorum regnorum ſubditione ; ſicut omnia regna, Chriſti regno ſunt ſubdita.

3. Ex totius Terræ depopulatione ; quæ à triginta & vno Regibus poſſidebatur. 4. Ex totius Terræ promiſſæ per ſortes, & funiculos, diſtributione. 5. Ex prodigiis cæleſtibus, præſertim cum *Sol* ſtetit medio in ſuo curſu ad vocem ſeu præceptum *Ioſuë*, donec victoriam reportaret.

2. In libro *Iudicum* Author oſtendit Deum extitiſſe prouidum, Redemptorem, & Saluatorem ſui populi ſub quatuordecim Iudicibus, qui ſæpiùs Dei populum, ſub captiuitate ob peccata redactum, mirabiliter liberarunt ; ſed præſertim *Gedeon*, & *Samſon*, qui Chriſti figurarunt myſteria, & miracula, & *Poëtis* dederunt amplam fabularum materiam.

3. In libro *Ruth* Deus demonſtratur placidus, & benignus oppreſſorum patronus, pater orphanorum & viduarum, protector ſe timentium.

4. In libris primo & ſecundo *Regum*, & primo *Paralippomenon*, ac parte ſecundi, Deus oſten-

Digitized by Google

ditur maximus propagator & assertor Israëlitici Regni.

5. In tertio, & quarto *Regum*, Deus conspicitur iustus Iudex, & vindex scelerum, ac validus dejector populi Israëlitici ingrati, & toties rebellis voci Domini, ac Prophetarum eius.

6. In fine 4. libri *Regum*, & secundi *Paralippomenon*, videmus Deum esse ingratorum, & sibi rebellium Regum ejectorem rigidum, & captiuatorem populi impij, schismatici, & idololatræ, sub Regibus *Assyriorum*, *Chaldæorum*, & *Babyloniorum*.

7. In libris *Esdræ*, & *Nehemiæ* agnoscimus Deum propitium erga pœnitentes, & misericordem reductorem populi humiliati & contriti, de captiuitate Babylonica sub *Cyro*, & *Dario*, Persarum & Medorum Regibus, qui eius operum mirabilium testes fuerunt; ac ideo eius Legem liberè amplecti à suis subditis permiserunt, eique suos cultus, munera, & oblationes contulerunt, data licentia publica Iudæis templum Dei, & Ierosolymam ædificandi.

8. Tandem libri *Tobiæ*, *Iudith*, *Esther*, & *Machabæorum*, docent Deum esse præcipuum adiutorem, & protectorem seruorum suorum fidelium, afflictorum in captiuitate. Fuit enim singularis protector *Tobiæ*, ad quem misit Angelum suum, qui ei visum restituit, & filium eius matrimonio honesto iunxit. In prima captiuitate sub *Assyriis*, non tantùm astitit benignè *Iudith*; sed eam de *Holoferne* victricem, & omni populo commendabilem reddidit. Sub secunda captiuitate *Nabuchodonosor*, astitit *Esther*, & omni populo, cum eam singulari sua prouidentia effecit sponsam *Assueri*, & Imperatricem, & populum à furore *Aman* superbi, quem loco *Mardochæi* suspendi fecit, sub Medorum captiuitate: Tandem astitit *Machabæis*, quos victores reddidit sub captiuitate *Græcorum*. Et ex his omnibus historiis

ſacris multa hauſerunt *Hiſtorici* profani, præcipuè *Herodotus*; *Poëtæ*, *Homerus*, *Orpheus*, &c. *Philoſophi*, & ipſi *Politici* ad ornamentum ſuarum hiſtoriarum, ad inuentionem ſuarum fabularum, & artem ac Politicam bellicam formandam.

CAPVT XXVIII.

De libris Dialecticis, & Poëticis, *nec-non* Ethicis *Scripturæ ſacræ.*

1. LIbri *Dialectici*, ſeu argumentatiui, præſertim duo ſunt, ſcilicet *Iob*, & liber *Eccleſiaſtes*.

Liber *Iob* multas pulcherrimas veritates, & diſputationes continet de diuina Prouidentia, de Iuſtitia, & aliis Virtutibus, nec-non Prophetias de Chriſto Saluatore, & futura Reſurrectione Carnis: & repræſentat *Iob*, vt Patientiæ exemplar admirabile.

2. Liber *Eccleſiaſtis* diſputat per modum *Soliloquij* de vanitate ſcientiarum, deliciarum vitæ diuturnæ, authoritatis, diuitiarum, præſagiorum, laudis, & famæ, fortunæ, & infortunij, roboris corporei, & iuuentutis: ac tandem concludit *omnia eſſe vanitatem*, præter cognitionem, timorem, & amorem Dei.

3. Libri *Poëtici* ſunt primò liber *Pſalmorum*, cuius communiter Rex *Dauid* author cenſetur, licet plures *Pſalmi* ante ipſum, & poſt ipſum ab aliis dicantur compoſiti. Multa de *Chriſti* Natiuitate, Adoratione per *Magos*, Miraculis, Paſſione, Reſurrectione, & Aſcenſione continet in carminibus lætitiæ, ſeu Pſalmis, qui *Pſalterio* canebantur; qui verò ore, dicuntur *Cantica*, & in orationibus ad mentis eleuationem ad Deum.

4. Secundus, liber *Cantici Canticorum*, qui continet *dramata* decem, quibus allegorice *Spiritus-*

ſanctus

sanctus per *Salomonem* describit spiritale colloquium inter *Christum*, verum Deum & hominem, ac eius sponsam *Ecclesiam*, & quamcumque piam animam quæ membrum est Ecclesiæ: vbi *Christus* duplicem gerit personam, scilicet sapientissimi Magistri edocentis sublimem fidei, & sanctitatis morum doctrinam; & amantissimi Sponsi suam sponsam laudibus, gratiis, ac donis prosequentis, eamque ornantis, & ditantis, & vicissim.

5. Tertius, liber est *Threnorum*, qui continet quatuor Planctus. 1. De *Iosiæ* occisione in campo *Mageddo*, & destructione Ierusalem. 2. De *Iechoniæ*, & nobilium transmigratione sub Rege *Nabuchodonosor*. 3. De destructione Templi, & vrbis *Ierusalem* murorum per *Nabuzardam*. 4. De *Godoliæ* interfectione, & Reliquiarum, quæ remanserant dissipatione. Propheticè autem hos planctus *Ieremias* effecit super destructionem vltimam *Ierusalem* sub *Tito*, & *Vespasiano*, in pœnam *Christi* mortis, & in signum perpetuum Iudæorum rebellium reprobationis.

6. Libri *Ethici* tres sunt, nempè liber *Proverbiorum*, in quo *Salomon* tractat de Moribus instruendis, velut Pater ad Filium: liber *Sapientiæ*, in quo velut Princeps instruit subditos: & liber *Ecclesiastici*, in quo *Iesus filius Syrac*, vt Magister, docet prudentissimè suos discipulos. In quibus libris admirandæ sunt veræ Sapientiæ diuinæ, & humanæ leges, miranda prudentiæ consilia ad formandum ingenium circa propriam directionem, circa familiæ, ac etiam politiæ regimen, vt statim legentibus apparet.

Caput XXIX.

De libris Propheticis.

1. Non tantùm Traditioni, & Miraculis; ſed etiam Prophetiæ innititur Religio, & Fides: quæ cum ſit diuina, etiam debet diuina authoritate firmari, quæ euidenter Miraculis, & Prophetia declaratur. Ideo ergo miſit Deus ſuos Prophetas & ad Iudæos, & ad Gentes; vt eis *Chriſtum Meſſiam* prædicerent & præſignarent, ne in re tanti momenti errare poſſent, vt iam notaui.

2. Inter eos illuſtres fuerunt *Rex Dauid*, de quo ſuperiùs. *Iſaias* ſanguine Regio natus; *Hieremias*, *Ezechiel*, *Daniel*, & alij, quorum adhuc incorruptæ in Libris ſacris extant Prophetiæ, de quibus pauca hîc notanda ſunt.

3. *Iſaias* ergo poſt annuntiata, & deteſtata peccata populi Iudaïci, & Iſraëlitici, non tantùm ei prædicit Dei imminentem iram, & captiuitatem futuram, ac Iudæorum ex ea liberationem per *Cyrum* Regem nondum natum; ſed etiam miſſus ad varias Gentes, eas ad pœnitentiam reuocat, & prænuntiat futura onera, ſeu clades *Moabitis*, *Babyloniis*, *Philiſtæis*, *Syris*, *Damaſco*, *Æthiopibus*, *Ægyptiis*, *Idumæis*, *Arabibus*, & *Tyriis*.

Sed quod ad propoſitum facit, præcipuè, prænuntiat *Chriſti Meſſiæ* omnia ferè Myſteria ita lucidè, vt videatur potiùs *Euangeliſta* narrans præterita, quàm *Propheta* prædicens futura. Tractat ergo ſpecialiter de liberatione populi à peccatis per Chriſtum.

De Præcurſore eius, *Ioanne Baptiſta*.

De humanæ naturæ aſſumptione ex ſemine Abrahæ

Digitized by Google

De Verbi Dei incarnatione ex Virgine cap. 7. & 42.

De eiusdem Natiuitate, Passione, & Regno cap. 8. & 51.

De Apostolorum vocatione cap. 43. & inspiratione cap. 44.

De eius Resurrectione cap. 60. & Ascensione cap. 63.

De Iudæorum incredulitate, punitione, & sub finem reuocatione ad Christum cap. 65. de finali Iudicio cap. 66.

4. *Ieremias* prædicit imminentem cladem Iudæorum, & Regum; ac populi captiuitatem, & destructionem Templi Ierosolymitani, & vrbis; sed præsertim multa prænuntiat de Christi Passione, cap. 11. 20. &c. aliisque eius Mysteriis.

5. *Ezechiel*, de nobili Sacerdotum stirpe ortus, easdem ferè clades, quas duo priores Prophetæ, prædicit; sed præsertim multa Mysteria sub Numeris in descriptione *Templi*, & vrbis nouæ *Ierusalem* aperit: vltimis verò capitibus prædicit *Messiæ* regnum, vocationem Gentium, victoriam & instaurationem Ecclesiæ Dei, & hostium illius interitum.

6. *Daniel* interpretatur somnia *Nabuchodonosor*, *Balthassar*, eique prædicit interitum proximum cap. 2. & 5. ei declaratur manifestè tempus *Incarnationis*, & Passionis Christi, reprobationis Iudæorum, & Gentium substitutionis in eorum locum cap. 6. & 9. Prænuntiat successionem quatuor Regnorum cap. 7. destructionem *Medorum*, & *Græcorum* erectionem cap. 8. destructionem *Græcorum*, persecutionem *Machabæorum*, & multa de *Antichristo* cap. 10. & 11. ac etiam de Resurrectione, & Iudicio finali cap. 12.

7. Alij Prophetæ easdem clades, & eamdem Iudæorum, & Israëlitarum captiuitatem, & Christi futura Mysteria prædicunt.

CAPVT XXX.

De Patriarchis, Prophetis, & illuſtribus viris veteris Teſtamenti, qui in vita, & actibus ſuis Chriſtum *præfigurarunt.*

1. NOn ſolùm *Chriſtus* Dominus prædictus fuit à Prophetis, & præfiguratus Myſteriis, & ſacrificiis Legis Naturæ, & Iudaïcæ; ſed etiam per ipſos ſanctos Patriarchas, Prophetas, & illuſtres Heroas, qui ante ipſum in familia, quam ſibi delegit, vixerunt. Etenim iuſtus *Abel* ab ipſo Mundi exordio occiſus, anno Mundi circiter 130. teſte Apoſtolo, ipſum præſignauit. Fuit autem Chriſti figura in his. 1. Vterque iuſtus præcipuè vocatur. 2. In luctu natus. 3. Ex *Eua* matre viuentium. 4. Paſtor. 5. Virgo. 6. Sacerdos. 7. Hoſtia, quia pro iuſtitia martyrio coronatur. 8. A fratre per inuidiam in campo, ſeu extra vrbem occiſus. 9. Vtriuſque ſanguis effuſus in terram, clamat de terra. 10. Vtriuſque occiſor fruſtra ad pœnitentiam vocatus, fit vagus, & profugus.

2. *Adam* anno Mundi 930. moriens, figura eſt *Chriſti*; nam 1. Vterque formatur diuina manu. 2. Cum deliberatione ſanctæ *Trinitatis*. 3. A Deo nomen accipit. 4. Fit Pater futuri ſæculi. 5. In natura perfectiſſimus. 6. Rex, & Dominus omnium. 7. Nullam expertus eſt infantiam. 8. In eductione *Euæ* ſponſæ eius ex eiuſdem latere. 9. Vnde mors, inde vita: & qui in ligno vicit, in ligno victus eſt. 10. Vterque ſepelitur in monte *Caluariæ*. 11. Vidit ſemen longæuum.

3. *Seth* quoque, *Chriſti* eſt figura. 1. Quia vterque poſitus dicitur, ſiue in ruinam, ſiue in Reſurrectio-

nem multorum. 2. Est sanctæ familiæ Pater, seu diuinæ, iuxta illud: *cum vidissent filij Dei*, &c. 3. Summus sacerdos est. 4. *Seth* ponitur pro *Abel* occiso, *Christus* pro *Adamo* per peccatum mortuo.

4. *Enos* etiam figura *Christi*. 1. In nomine quod interpretatur, *homo miser*; quia *Ego sum vermis, & non homo*, de Christo prædictum est. 2. Cœpit inuocare nomen Domini. 3. Est Patriarcha *Enosceorum* religiosorum. 4. Pater *Caïnam*, quod significat *lamentationem*. Psal. 21. v. 2.

5. *Henoch*, quod interpretatur *dedicatio*, *Christum* præfigurat. 1. In nomine, ex eo quod specialiter Deo fuerit oblatus. 2. Ambulauit cum Deo, *Emmanuel*. 3. Translatus fuit in cælum. 4. Præueniet diem Domini. 5. Martyrium subibit. Gen. 5. v. 22. Heb 11. v. 3.

6. *Arca* diluuij, & salutis generis humani, figurat Christi humanitatem. 1. Ob salutem habitantium in ea. 2. Eius amplitudinem. 3. Eleuationem eius super aquas, & super omnes montes altissimos.

7. *Diluuium*, Baptismus Iesu Christi est.

8. *Noël*, figura Christi. 1. In eo quod datus est in solatium, & salutem Mundo tempore pessimo. 2. In ortu *Noë* prophetat *Lamech*. 3. Solus iustus inuenitur. 4. Arcam extruxit lignis imputribilibus. 5. Fit præco diuinæ iustitiæ peccatoribus. 6. Non audiunt ipsum. 7. Deplorat ruinam hominum. 8. Est vinculum duarum ætatum: *Christus* petra angularis ætatum, & populorum. 9 *In tempore iracundiæ factus est reconciliatio*. 10. Fit Pater futuri sæculi. Et regenerationis 11. *Vinea* plantata inebriatus, & nudatus irridetur à *Cham* filio. 12. Vnus è filiis maledicitur: primus fit *Summus sacerdos*, & cum fratre benedicitur; quia Patris nuditatem operiunt duo populi Iud. & Gent. Eccl. 5. Ecc. 44. v. 17. Is. 9. v. 6.

9. *Melchisedech*. 1. quia *generationem eius quis enarrabit?* 2. *Sine patre, & filiis successoribus*, notis Is. 53. Heb. 7. v. 3.

Gen.14. v. 14. ſcilicet. 3. Rex iuſtitiæ, & pacis. 4. Sacerdos ſimul. 5. A ſe ordinatus, vel ab ipſo Deo. 6. Panem, & vinum obtulit. 7. Ieruſalem condidit. 8. Abrahamo maior. 9. Ab eo decimas accepit. 10. Ipſum benedicit. 11. Eſt impollutus, & ſanctus.

10. *Sem.* 1. In eo quod vidit ſemen longæuum, duodecimam ſcilicet generationem; obiit enim anno 120. *Abrahæ.* 2. In zelo erga honorem Patris. 3. In *Sem* ſegregatum eſt ſemen piorum à Diluuio. 4. Excipit *Iaphet* in Tabernaculis ſuis.

11. *Abraham.* 1. Eſt Patriarcharum maximus. 2. Pater noui populi, cui Deus benedixit. 3. Iuſſu Dei exit de terra ſua. 4. Peregrinatur decies in aliena terra. 5. Vxorem habuit pulchram nimis, matrem viuentium, ſterilem per 90. annos, quæ tandem fructum promiſſum, & benedictum reddidit. 6. Separatur à fratre, ſeu cognato ſuo, qui *Sodomis* omnia perdidit, & qui ab eo liberatus, tamen ignoto fine quieuit. 7. Fuit Propheta, & Mediator ad Deum. 8. Dimittit ſeruum prudentem in regionem longinquam, quærere filio ſuo ſponſam: ſic *Chriſtus* miſit Diſcipulos quærere Eccleſiam de Gentibus. 9. In filio duplici, & duplici vxore, & duobus Teſtamentis. 10. Ei Pſal. 2. Terra promiſſionis datur in poſſeſſiouem, *Poſtula à me, & dabo tibi gentes, &c.* 11. Proprium nomen à Deo accipit.

12. *Iſaac* Chriſti figura, inquantum. 1. Deſideratus à parentibus, à Deo promittitur, expectatur ab hominibus. 2. Ei nondum genito nomen ab Angelo datur. 3. Naſcitur patre centenario: *Chriſtus* in plenitudine temporis, vltima ætate. 4. Ante eius partum tres Angeli, ſignificantes *Trinitatem*, apparent, & ad eius natiuitatem cooperantur. 5. *Iſaac* riſus-in-
Luc. 2. v. 10. terpretatur: & Chriſtus, *Erit gaudium omni populo.* 6. Viſitauit Dominus *Saram*, quæ concepit, & peperit fidei pretium, gaudium parentum, domus

ſplendorem, generis decus, poſteritatis ſpem. 7. *Iſaac* naſcitur in terra aliena, vt *Chriſtus*. 8. Specialiter à Patre dilectus. 9. Perſecutus eum *Iſmaël*, ejicitur cum matre: ſic Iudæi cum *Synagoga*. 10. In obedientia, & ſacrificio. 11. Sponſam de longinquo accipit. 12. Et per eam ſuper morte matris conſolatus eſt. 13. In continentia, oratione, &c. 14. In benedictione ſeminis.

13. Anno Mundi 2345. *Iacob* figura Chriſti 1. in lucta ante ortum. 2. In humili conuerſatione. 3. In primogenitura. 4. In dominio, & ſeruitio. 5. In quærenda vxore. 6. In paupertate. 7. Angeli aſcendunt & deſcendunt ſuper eum. 8. In aperiendo puteo. 9. In amore *Rachelis*, & *Lia* ſubſtituta pro ea. 10. In ditato *Laban*. 11. Redeunti in patriam obuiant Angeli. 12. In duocecim filiis Patriarch. 13. In lucta cum Angelo 14. In reconciliando ſibi fratre. 15. In laboribus. 16. In luctu. 17. In prædictione futurorum. 18. In morte, & ſepultura. 19. In Reſurrectione ſpiritali ad præſentiam *Ioſeph* triumphantis.

Anno Mundi 2399. *Ioſeph* figura Chriſti. 1. Naſcitur ex ſterili. 2. Statim natus â loco natiuitatis diſcedit. 3 In nomine *Ioſeph*, & *Saluatoris*. 4. Diligitur præ aliis. 5. In *tunica* ſanguine tincta. 6. Inuidetur à fratribus. 7. In ſomnis. 8. In difficili, & prompta obedientia. 9. In irritis precibus. 10. In venditione. 11. In poteſtate, in aduerſis, & proſperis. 12. In reiecta muliere, *ſynagoga*, à qua & accuſatur. 13 Silet accuſatus. 14. Cum duobus latronibus incarceratur, quorum alteri crucem, ſalutem alteri prædicit. 15. Exaltatur. 16. Fratres in gratiam recipit. 17. Binas ſtolas dat fratribus. 18. Patrem, & omnes lætificat, & glorificat.

14. Anno Mundi 2416. *Benjamin* figura Chriſti. 1. In nomine, quia interpretatur *Filius dexteræ, & doloris*. 2. Ortus eius eſt Patris deliciæ, & mors ma-

tris *ſynagogæ*. 3. Mittitur in *Ægyptum* ad fratris liberationem, & ſubuentionem familiæ. 4. Ibi innocens affligitur tanquam reus 5. Præ fratribus ditatur, & honoratur à *Ioſeph*. 6. præ aliis fœcundatur.

Anno Mundi 2451. Incipit captiuitas Iſraël in Ægypto, ſub *Amenophe* Rege nouo, quem quidam *Memnonem* vocant. Eius *ſtatuam* lapideam ad ortum *Solis* loqui, & ſonum edere ſolitam vſque ad introitum *Chriſti* in Ægyptum, aiunt Hieronym. & Euſeb. Anno 2456. Cædes infantium Hebr. mandatur, & anno 2464. *Moſes* naſcitur, quem *Ioachim* vocatum in Circumciſione, ait Clemens Alexand. alij vero *Oſarſiphum*, alij *Muſæum*. Ioſeph. Euſeb. anno 2543. *Moſis* 80. Exit Iſraël de Ægypto; hæc autem captiuitas & ſimul liberatio, præſignarunt ſpiritualem captiuitatem, & redemptionem ſpiritualis Iſraëlis 2544.

15. Anno 2. exitus de *Ægypto* datur *Manna* figura Chriſti in Euchariſtia. 1. In nomine *Manhu*, quid eſt hoc? vocatur etiam panis Angelorum, & panis de Cælo. 2. Nocte inuiſibiliter de Cælo deſcendit. 3. Datur populo Dei, vt Viaticum petentibus terram promiſſam. 4. deeſt *Manna* guſtatis cibis Terræ promiſſionis. 5. Datur exeuntibus de Ægypto conſumpta farina Ægypti, & poſt tranſitum Maris rubri. 6. Quotidie colligitur, & paratum ſine labore die *Sabbati* ſumitur. 7. *Soli* expoſitum liquefit, & ſuffert ignem; coquitur enim, & durum reddebatur. 8. Iuſtis omnem ſaporem dabat. 9. Siue multùm, ſiue parum colligens, ſatis habebat. 10. Decidenti ad munditiem pruina ſubſternebatur. 11. Fuit memoriale diuinorum beneficiorum. 12. Deus illud conſeruari voluit in vaſe aureo in omnes retro generationes. Quæ omnia facillimè poſſunt ſpiritualiter *Euchariſtiæ* adaptari.

16. Eodem circiter anno moritur *Iob* figura Chriſti.

Digitized by Google

1. In nomine *Iob*, quod interpretatur, *dolens*. 2. In Regia, & Sacerdotali dignitate, cum Prophetiæ dono. 3. In sacrificio *Iob*. 1. 8. & 2. 3. 4. In gemina tentatione; vtramque enim eius partem (scilicet animam & corpus) expetiuit *Sathan* tentandam. 5. Ex diuite pauper, & ex paupere dives euasit. 6. A Deo lepra percussus. 7. Vterque innocens licet, reus tamen putatur: clamat in tormentis, quasi derelictus, à Deo tamen exauditur. 8. Vrbe propria, imo regno ejicitur: sedet in *sterquilinio*, vt Christus in *cruce* nudus. 9. Moritur eodem anno, quo data est lex Mosaïca. 10. Quasi à morte, calamitate, &c. resurrexit ditior, visurus semen longæuum.

17. Anno Mundi 2583. *Maria* soror *Mosis* moritur, *Aaron* frater eius, figura Christi. 1. In Sacerdotio, & sacrificiis. 2. In demissione animi. 3. In patientia & obedientia. 4. Est Mediator placans Deum in medium populi prorumpens cum incenso. 5. In virgæ flore, & miraculis.

18. *Moses* moritur mense vltimo, estque figura Christi, quia 1. vterque prænuntiatur. 2. in *fiscella scirpea* proiectus in mare, curatur à sorore, Christus natus est in *præsepio*, &c. 3. Paruulus à *Regina* suscipitur, & à matre enutritur. 4. In infantia persecutionem patitur, Ægyptum petit, &c. 5. In pulchritudine. 6. In mansuetudine, zelo, charitate. 7. Sacerdos immediatè à Deo, & Mediator Dei, & hominum fit. 8. Liberator populi, Propheta, Legislator, & Princeps. 9. Vterque spolia Ægypti detrahit. 10. In pugna incunda, in ieiunio, fame, miraculis. 11. Alienigenam sponsam accipit. Vlciscitur de *Pharaone*. 12 Vterque habet 72. Discipulos coadiutores ministerij. 13. Moritur in monte pretiosè in conspectu Domini, honorificè sepelitur: hic ab Angelis, iste à Discipulis.

19. Anno Mundi 2600. *Iosué* moritur, figura

Christi. 1. In nomine, quod interpretatur, *Dominus, Saluator.* 2. In genere, & familia. 3. In ministerio, & successione *Mosis.* 4. Fit minister Circumcisionis nouæ post transitum *Iordanis.* 5. *Mose* in monte Crucis figuram exhibente toto corpore vicit *Amalecitas.* 6. In deuotione, constanti in Deum fide, ieiunio, &c. 7. Populum introducit in Terram promissam. 8. Nouum *Pascha* celebrat post *Iordanis* transitum. 9. Ei apparent Angeli. 10. Euertit *Iericho* clangore tubarum. 12. In cælestibus auxiliis, & signis *Solis*, & *Lunæ*, &c. 13. Aquis imperat. 14. Vtriusque aduentus terribilis. 15. Hæreditatem suis promissam largitur, & diuidit. 16. In concione ad suos, cum esset morti proximus.

20. *Gedeon*, figura Christi. 1. Vterque Patris sui præuaricatoris scelus expiauit. Christus, *Adæ.* Gedeon, *Ioas.* 2. Fuit vterque innocenter ruina, & resurrectio multorum in Israël. 3. Sacerdos nouus nouum cultum instituit. 4. Sub panis figura repræsentatus, quatenus euertit impios. 6. Triticum purgat à paleis. 7. Colligit familiam idololatriæ expugnatricem, in qua multi vocati, pauli electi. 8. Procurans salutem suis, iniuriam patitur, quos tandem victor punit. 9. Regium sceptrum recusat, nec quærit propriam gloriam. 10. Vtriusque multæ vxores, sed vna columba: filij multi de Christo, intellige spiritualiter.

21. *Booz* tertius, figura Christi. 1. Ob fortitudinem, prudentiam, iustitiam, charitatem, &c. 2. Duxit vxorem *Ruth* gentilem, pauperculam, &c. *Ecclesiam* gentium intellige, quam omnibus bonis ditauit. 3. Harum nuptiarum conciliatrix fuit *Noëmi*, & *Maria* V. M. pulchra, & in Passione *amara.*

22. *Iehpte*, figura Christi. 1. In odio & expulsione à suis. 2. In congregatis inopibus. 3. In populo liberando. 4. Ab iisdem, à quibus fuit expulsus, requiritur. 5. In obedientia, & sacrificio.

Digitized by

23. *Samson* Christi figura. 1. In nomine quod interpretatur, *Solaris*, vel *paruus sol.* 2. Ab Angelo matri, tum patri prænuntiatur. 3. Nazareus est. 4. Primogenitus, vel vnigenitus crescit in spiritu. 5. Eius infantia mirabilis, abscondita tamen. 6. Natus in *Iudæa* splendet inter gentes. 7. Alienigenam ducit vxorem. 8. Leonem vincit in pugna cum maxilla. 9. Mellis fauum inuenit in dente leonis. 10. In *Gazam* descendit. Meretricis domum ingreditur, dormit, vigilat, media nocte portas in montem transfert. 11. A Iudæis traditur, & ligatur à *Philistæis.* 12. In tonsura capillorum per *Dalilam.* 13. In illusione multiplici. 14. Moriens plures occidit quàm viuus, & suis libertatem acquisiuit, ruinamque idololatriæ intulit.

24. *Samuel* typus Christi 1. Est de tribu Iuda. 2. Deo dicatur. 3. Ann. ætat. 12. ex *Ioseph* vaticinatur. 4. Fundat collegia Prophetarum. 5. Sacerdos extraordinarius, & Propheta. 6. Deo populum reconciliat. 7. In prodigiis, & victoria de *Philisthæis.* 8. Contestatur populum suæ testem innocentiæ. 9. In filiorum malitia. 10. In fletu pro *Saule.* 11. In vnctione Regum. 12. Et speciali dilectione Dei in eum.

25. *Dauid* typus Christi. 1. Quia origine insignis, & pulchritudine. 2. In miraculis, & suffocatione leonis, &c. 3. In primæ ætatis humilitate. 4. In victoria *Goliath.* 5. In fratrum inuidia, & *Saulis*, ac Dei protectione. 6. In defraudata vxore. 7. In triplici vnctione. 8. In regnandi tempore, & modo. 9. In Christum *Dauidem* sui insurgunt. 10. Afflictorum Princeps, beneficus in ingratos, misericors in hostes fit. 11. Luget in monte *Oliueti*, cum eum filius insequitur. 12. In suis legatis contumeliam patitur. 13. A filio proditur. 14. Moriturus disponit de sacris personis, thesauro, & Templo ædificando. 5. Habet fortes se custodientes. 16. In virtutibus, & regni duratione,

26. *Salomon* typus Chriſti. Nam 1. prænuntiatur, & promittitur. 2. In eius ingenij acumine; in ſpecioſa forma corporis, in ſapientia, in titulis. 3. In Regni amplitudine. 4. In potentia, & forma. 5. In Templi conſtructione. 6. In iuſtitia, & iudicio. 7. In ſtudio videndi, & audiendi eum.

27. *Elias* item Chriſti fuit figura. Nam 1. ab Angelis paſcitur. 2. Suſcitat filium viduæ. 3. Triſtatur ad mortem. 4. Ieiunat 40. diebus. 6. Tranſit *Iordanem* ſicco veſtigio. 7. Curru aſcendit in cælum 8. Duplicem ſpiritum habet. 9. Demiſſo pallio conſcendit. 10. Virgo eſt & Propheta, plenus zelo, clarus miraculis, & ſanctitate; habet ſemen longæuum filiorum ſpiritualium, nempe Prophetarum.

28. *Eliſæus* item Chriſti figura eſt. 1. In ſuſcitato mortuo 2. In quantum multiplicat *farinam* & oleum vt Chriſtus *panes*. 3. Aquas dulces reddit *ligno* iniecto. 3. Mortuus mortuum ſuſcitat, &c.

29. *Jonas*, vt figura Chriſti. 1. Vltro ſe offert morti. 2. A Deo miſſus. 3. Sedat tempeſtatem 4. Eſt in ventre *ceti* tribus diebus, &c. 5. In reſurrectione. 6. Vterque ſignum. 7. *Jonæ* interpretatur, *columba dolens*. 8. Eſt filius *Amat*, ſeu *veritatis*.

30. *Joannes Baptiſta* fuit *vox, præco, Propheta, virgo, & oſtenſor Chriſti Domini.* Ac ſimul vltima eius figura, quæ digito ſuo oſtendit natam inter homines veritatem, id eſt, Chriſtum, dicens, *Ecce Agnus Dei*, &c.

Ioan. 1. v. 29.

CAPVT XXXI.

De Sanctis, & illustribus Fœminis, quæ sanctam Virginem Mariam *Deiparam præfigurarunt, & aliis eiusdem Virginis figuris.*

1. EVa innocens, & contrita est figura Christi genitricis Mariæ; 1. quia mulierum ordine temporis prima est sicut Maria ordine dignitatis. 2. Vtraque nobilissima, & pulcherrima. 3. Eua mater *Abel* iusti occisi à fratre per inuidiam; Maria mater Christi pariter à fratribus occisi. 4. Eua nouum filium *Sethum* pro Abel accipit; Maria *Ioannem*. 5. Vtraque diuersimodè Mater viuentium. 6. Vtraque suo Adamo superuixisse fertur decem annis. 7. Vtraque à Patriarchis sepelitur, siue veteris, siue nouæ legis, qui sunt Apostoli.

2. Genes. Congregatio aquarum in locum vnum, præfigurat conceptionem Christi, & B. Mariæ; quia omnes gratiarum aquæ in iis congregatæ sunt.

3. *Maria* posset dici luminare minus, vt præsit nocti; sicut *Christus* Sol iustitiæ, est luminare maius, quod præest diei.

4. Produxit terra, sicut Virgo, omnem animam viuentem in Christo.

5. Ipsa conteret caput tuum, nempe Maria concepta sine peccato originali, contriuit caput serpentis.

6. Arca diluuij *Mariam* præsignat.

7. *Sara* fuit figura Mariæ. 1. In nomine Sara, quod interpretatur, *Domina*, vel *Princeps*. 2. In fide; quia est Mater credentium. 3. In sterilitate, & fœcunditate. 4. In prole expetita. 5. In peregrinationibus Ægypti, &c. cum viro suo. 6. Coniugem fratrem vocat, &c. 7. In pulchritudine. 8. Honoratur ab Ægy-

ptiis, & Philiſtæis. 9. In profectione Hieroſolymitana filium amittit, & recuperat. 10. In fide, humilitate, obedientia, ſanctitate, amore erga virum, & zelo erga filium. 11. A principe Patriarcharum magno cum honore ſepelitur.

8. *Rebecca* pariter fuit figura B. Virginis. 1. Quia erat puella pulchra nimis, Virgo, &c. 2 Eam præparauit, vt eſſet mater benedicti ſeminis. 3. In deſponſatione accepit monilia. 4. Valde fuit officioſa. 5. Ancillam agit in opulenta familia. 6. Diu ſterilis, tandem parit videntem Deum *Iacobum*. 7. Benedictionem maioris in minorem transfert. 8. Vtriuſque mors, licet pretioſa, tacetur à Scriptura. 9. Vtraque poſt mortem glorioſa.

9. *Rachel* quoque 1. in nomine; interpretatur enim, *ouis*, vel *videns principium*, aut *Deum*; aut *viſio ſceleris*, Maria eſt Mater veri Agni. 2. In pulchritudine. 3. In dilectione Sponſi. 4. Vtraque *Lunæ* comparatur. 5. Nupta manet integra totum ſeptennium, & Maria toto vitæ tempore. 6. Sterilis fuit, & fœcunda, vt *Maria* fuit Virgo & Mater. 7. Emitur à Sponſo, *Maria* quoque precibus parentum. 8. Fit Mater Filij dexteræ, & doloris. 9. Furata idola exterminat infidelitatem. 10. In zelo pro habendis filiis, vt ſit Mater viuentium. 11. In ea *Laban* decipitur, ſicut *Ioſeph* in Maria. 12. Moritur in manibus dilecti ſponſi in cœtu duodecim Patriarcharum: Vt Beata Virgo in cœtu duodecim Apoſtolorum.

10. Rubus *Moyſis* incombuſtus, eſt virginitas parientis Mariæ.

11. Cunæ, in quibus *Moſes* ſaluatur in aquis, ſunt eiuſdem figura.

12. *Maria* prophetiſſa ſoror Moſis, &c.

13. Virga Aaronis florens.

14. *Debora* ſaluatrix populi, & Prophetiſſa.

15. Vellus Gedeonis.

16. Arca fœderis.

17. Noëmi, pulchra, & amara.

18. Anna, mater Samuëlis.

19. *Iudith.* 1. In truncato capite Holofernis. 2. In victoria, & priuilegiis. 3. In pulchritudine. 4. In virtutibus. 5. In gloria. 6. Est mediatrix.

20. *Esther*, quod interpretatur, *occulta*, &c. 1. In nomine. 2. In liberando populo suo. 3. In complacentia Assueri. 4. In conuiuio. 5. In punitione Aman, *ipsa conteret caput tuum.*

CAPVT XXXII.

Quod lex Iudaïca *finem accepit, & consummata est in* Christi Iesu *morte, & nunc est sacrilega, & impia.*

1. LEgem Mosaïcam cessare debuisse constat ex cap. 31. Ieremiæ, in quo Deus promittit ipsis Iudæis nouum pactum, seu nouum testamentum. *Ecce* inquit, *dies veniunt, & feriam domui Israël, & domui Iuda fœdus nouum, non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum.* Ex cap. 2. Isaiæ. *Erit*, inquit, *in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini, & fluent ad eam omnes gentes, & ibunt populi multi, quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Ex Malachiæ cap 1. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in gentibus.*

2. Deus insuper Deuteronomij cap. 17. promittit *Messiam*, seu Prophetã per Moysem de gente Iudaïca, & minatur eos, qui eum nõ audierint; & hunc Pro-

phetam omnes libri veteris Teſtamenti, præſertim Prophetici prænotant eſſe filium Dei, naſciturum de Virgine, in Bethleem Iudæ, adorandum à Magis, perſequendum ab Herode in ipſa infantia, fugiturum in Ægyptum, docturum gentes, & Iudæos, ac vtrumque populum reuniturum, tanquam petram angularem, recepturum Spiritum Domini viſibiliter, teſtificandum ab ipſo Deo, cæcos illuminaturum, claudos, & quoſcumque infirmos mirabiliter curaturum, mortuos ſuſcitaturum, duodecim Apoſtolos, & plures alios diſcipulos electurum, pauperibus Euangeliſaturum, doctrinam cæleſtem prædicaturum, tradendum à Diſcipulo, à Iudæis negandum, à gentibus occidendum, tertia die reſurrecturum, & in cælos aſcenſurum, nouum ſacrificium ſecundùm ordinem Melchiſedech inſtituturum, ac per ſe, & diſcipulos orbem ab idololatria, & aliis criminibus purgaturum: quis ergo iam non videat hæc omnia completa fuiſſe in *Ieſu Nazareno* filio Dei, Rege Iudæorum?

3. Adde Prophetias *Iacobi* in Geneſi, & *Danielis* iam citatas ſuperiùs: prima aſſerit, quod *non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat Meſſias*, vt ait Chaldæa tranſlatio. *Qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Atqui certiſſimum eſt à tempore Natiuitatis Ieſu Chriſti, nullum fuiſſe Regem Iudæorum ad hæc vſque tempora.

4. Altera præſcribit ſingulariter tempus, & annum aduentus, & mortis eius per ſeptuaginta annorum Hebdomades numerandas *ab exitu ſermonis; vt iterùm readificetur Ieruſalem*, ſub Eſdra, & Nehemia, quæ ſeptuaginta Hebdomades conficiunt annos quadringentos, & nonaginta; nam ex Leuit. cap. 25. Hebdomas ſolùm ſumitur pro ſeptem diebus, vel ſeptem annis; Septuaginta ergo *Hebdomades* annorum *abbreuiatæ ſunt*, id eſt, à Deo decretæ *ſuper populum* Iudaïcum, *vt conſummetur prauaricatio,*

Dan. 9. v. 25.

catio, & finem accipiat peccatum. Nam ideo Christus venit in mundum; vt Agnus Dei tollat peccata mundi, & adducatur iustitia sempiterna, quam Christus docuit, & adduxit: & vt impleatur visio, & prophetia, & vngatur scilicet Spiritu-sancto in sua Conceptione Sanctus Sanctorum, id est, Christus Iesus. Notantur autem 1. septem Hebdomades, in quibus ab *Esdra, & Nehemia* ædificata fuit platea, & muri Ierusalem in angustia temporum: 2. Tum distinguntur Hebdomades sexaginta duæ, & dimidium Hebdomadis septuagesimæ, in quo Christus occisus est. Dan. 9. v. 24.

3. Deinde notatur, quod populus, qui eum negaturus erat, quando scilicet clamabant Iudæi: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*, non debet ampliùs eius esse populus. Ioan. 19. v. 15.

4. Additur quod Ciuitatem, & Sanctuarium, id est, templum dissipabit populus cum duce venturo, nempe *Vespasiano*, & *Tito*, & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio: 5. Subditur itaque, quod confirmabit scilicet per sanguinem suum, & per suam, & Apostolorum prædicationem pactum, id est, nouum Testamentum multis, quia non omnes crediderunt. Hebdomas vna scilicet vltima etiam notatur, & in medio Hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium quia in hoc dimidio occisus fuit Christus, in quo omnia sacrificia vetera, & omnes figuræ consummatæ sunt; vnde sequitur, *& erit in templo abominatio desolationis*, nempè *Idolum Adriani* erectum in ipso loco, vbi Arca erat, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio.

5. Ex quibus clarissimè constat Christum Iesum esse verum *Messiam*, qui legem Mosaïcam adimpleuit, seu compleuit eam, de littera ad spiritum perficiens, & fœdus nouum, seu Testamentum nouum firmans, dissipans figuras legis Mosaïcæ, & vmbras legis Naturæ clara luce sui Euangelij sancti; ac pro-

inde Iudæos, qui nolunt lucem hanc claram videre esse impios, rebelles, excœcatos, & ideo à Deo iustissimè reprobatos, & in pœnam suæ malitiæ exules, profugos, captiuos, ac omnibus pœnis à Mose in Deuteronomio prædictis punitos: quos voluit tamen Deus reuocare ad veritatis Euangelicæ lucem.

PSALMVS
DE DOMINO IESV CHRISTO.

IN Deo laudabo Verbum, & in Domino sermonem, *& exultabo in Deo Iesu meo.* Habacuc. 3.

Illustra faciem tuam super seruum tuum, Psal. 30. v. 17. vt videam te *lumen indeficiens.* Eccli. 24. v. 6.

Inclina aurem meam ad te, vt audiam, quid loquatur in me Dominus Iesus. Psal. 28. v. 8.

Tu enim Verbum æternum Patris, per quod se infinitè expressit.

Tu speculum sine macula, Sap. 7. v. 26.

Tu splendor Paternæ gloriæ, & figura substantiæ eius. Hebr. 1. v. 3.

Ab æterno te genuit sibi consubstantialem filium.

Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Symb. Nic.

Qui ad liberandum suscepturus hominem, non horruisti Virginis vterum. Hymnus SS. Ambr. & Aug.

Nam de sinu Patris descendens incarnatus es de Spiritu sancto, ex Maria Virgine factus Homo. Symb. Nic.

Nouerim te ergo, O Emmanuël, Deus abscondite, & Saluator noster. *Isa. 45. v. 16.*

Te veteris Testamenti figuræ, te Prophetiæ prænuntiauerunt.

Tu verus Abel, & iustus Noë, tu sanctus Isaac, & Ioseph innocens es.

Te Iob in sterquilinio alloquutus est, te Moyses in aquis expressit.

Tuum sacrificium crucis cruentum Aaron, & incruentum altaris sacri Melchisedech significarunt.

Legis æternæ litteræ sacræ in tua humanitate, vt in tabula lapidea, digito Dei scriptæ sunt.

Tu virga Aaronis, & Iesse, tu manna sacrum, tu ros cælestis, tu vellus cadens aureum.

Dauid te victorem, Salomon te sapientem, Samson te fortem, Daniel resurgentem figurant.

Tu oriens splendor in Conceptione, tu vetus iustitiæ Sol in Natiuitate apparuisti.

Per Circumcisionem, tu mi Iesu sponsus es sanguinum, tu Agnus in matris Purificatione, & redemptus Redemptor effectus es.

Lapidem te angularem confiteor, vtrumque populum adunantem.

Sanctum Sanctorum te agnosco, te verum Messiam, & vnctum Dei veneror.

Te fontem vitæ sitio, te panem viuum esurio. *Ioan. 6.*

Regem Regum te adoro, & Dominum Dominorum.

Angelum testamenti te suscipio, Deum fortem te prædico. *Mal. 3. v. 1.*

Tu Agnus *à principio mundi occisus*, per omnia mysteria legis expressus es. *Apoc. 13.*

Tuam diuinitatem miracula, tuam humanitatem passiones testantur.

Tu Apostolorum magister, & missor, tu doctor Euangelistarum.

Pro te Martyrum candidatus pugnauit exercitus vsque ad mortem atrocissimam.

Tu corona, & lumen Confessorum; tu puritas, & sponsus Virginum.

Tu decus, & gloria Sanctorum omnium; tu memoria diuinorum mirabilium.

Per te creatio facta est, in te iustificatio orta est, & ad te glorificatio terminatur.

Nouerim te ergo æterna veritas, amem summum bonum meum.

Per te, via, ad Patrem æternum tendam, in te, vita æterna, permaneam.

Te exaltem Patris æterni gloria, sequar te, diuinum exemplar, & in lumine tuo videam lumen infinitum Dei.

Gloria Patri, &c.

Digitized by Google

LIBER QVARTVS.

DE VERA RELIGIONE in lege Euangelicâ, ſeu de veritate Religionis Chriſtianæ, quæ tenetur ab Eccleſiâ Catholicâ, & Romanâ.

CAPVT PRIMVM.

Primum Argumentum veritatis Chriſtianæ Religionis, ſcilicet quòd ex prædictis in tribus præcedentibus Libris, ſequitur vnicam eſſe veram Religionem, quam vocamus Catholicam, Apoſtolicam, & Romanam.

Licet tempora varia ſint, inquit Auguſt. tract. 45. in Ioan. *non tamen fides; quia eadem fides vtroſque conjungit, & eos, qui crediderunt Chriſtum venturum, & eos qui iam veniſſe crediderunt, diuerſis quidem temporibus, ſed vtroſque per vnum fidei oſtium, id eſt Chriſtum, videmus ingreſſos.* Hinc D. Paulus ad Hebr. cap 13 *Verè Ieſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe & in ſecula.* Et *Eccleſia*, vt pergit Auguſtinus, *quæ peperit Abel, Henoc, Noë, & Abraham, & ipſa peperit Moyſen, & Prophetas; & quæ iſtos, ipſa Apoſtolos, & Martyres noſtros, & omnes bonos Chriſtianos. Omnes quidem diuerſis temporibus nati apparuerunt; ſed ſocietate vnius populi continentur, & eiuſ-*

dem ciuitatis Ieruſalem, quæ eſt Eccleſia, ciues, labores huius peregrinationis experti ſunt.

2. Hæc eſt ergo vera, vnicaque Religio Chriſtiana, quæ *Catholica* dicitur; quia eſt vniuerſalis ratione omnium temporum, & locorum. Nam, ſicut vbique terrarum iidem fideles credunt myſteria à Deo reuelata; ita ab ipſo mundi exordio eadem credita ſunt in lege Naturæ à ſanctis Patriarchis; imo & ab ipſis Philoſophis, & gentium Doctoribus; licet non ita explicitè: & in lege Moſaïca à prophetis, & veris Iudæis, vt hodie creduntur à veris Chriſtianis. Vocatur etiam *Apoſtolica*; quia per Apoſtolos, & Chriſti Diſcipulos vbique diffuſa eſt, & fuſiùs explicata. Ac tandem *Romana* appellatur, quia D. Petrus à Chriſto Vicarius vniuerſalis Eccleſiæ conſtitutus, ſedem ſuam fixit Romæ, in Arce Romani Imperij. *Vt lux veritatis*, inquit D. Leo, ſerm. 1. de SS. Apoſt. Petro, & Paulo, *quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet.* De quo plura inferiùs dicemus, vbi de ſacra Monarchia.

3. Quod autem Chriſtiana Religio vera ſit, & ab ipſo Deo inſpirante fundata, ſatis patet inductione ex omnibus, quæ ſuperiùs dixi in tribus libris præcedentibus. Etenim vnicum Deum, Creatorem cæli & terræ, ſcilicet Ens primum, & ſummum, æternum, omnipotens, ſapientiſſimum, optimum, prouidum, & infinitè perfectum fatetur, & colit, idque perfectiſſimo cultu, vt inferiùs probabo. Neque ſolùm abhorret Idola, aut Deorum multitudinem, quam credit impoſſibilem; verùm idololatriam ipſam, morumque corruptelam procul ab orbe Chriſtiano relegauit. Ipſa veram profitetur Philoſophiam, ac Theologiam, quam Deus ſanctis infudit Patriarchis, & Prophetis, à quibus ipſi Philoſophi Gentiles eam acceperunt, vt ipſimet fatentur.

4. Hæc Religio agnoscit corruptionem *originalem* naturæ humanæ, Reparatorem Iesum Christum *Messiam*, diuinum & Euangelicum consortium cum hominibus, immortalitatem *animæ* rationalis, Dei *prouidentiam* omnia dirigentem, diuinam *iustitiam* impios punientem, & iustos remunerantem, purgationem hominum per *pœnitentiam*, & sacramenta in hac vita, & in futura per ministros diuinæ iustitiæ, antequam ad Deum suum principium, & vltimum finem redeant; & alia id genus Mysteria, quæ Patriarchæ, Prophetæ, Doctores Gentium, & Philosophi crediderunt tam in lege Naturæ, quàm in lege Mosaïca, vt in his locis probaui, & adhuc inferiùs probabo.

5. Neque solum Deum optimum maximum colit, prout est in infinita sua natura existens; sed etiam sub iisdem nominibus, sub quibus omnes nationes eum coluerunt, vt probaui in tribus primis capitibus libri primi. Eumdem fatetur *Vnum* in essentia, & *Trinum* in personis, nempe Patrem, Filium, seu Verbum, & Spiritum sanctum; ita vt tres illæ adorandæ Personæ sacrum illum *ternarium* numerum componant, qui in honore, & pro summo, & supremo mysterio semper fuit habitus, de quo inferiùs plura.

6. Colit etiam *Iesum Christum Messiam*, vt Deum verum, & verum hominem, naturæ humanæ reparatorem: quem prænuntiarunt Prophetæ venturum, & omnes gentes præcognouerunt, & magnis votis, ac suspiriis expetierunt, de quo etiam fusiùs suo loco. Ac tandem omnia fidei mysteria, quæ ab origine mundi ad hæc vsque tempora credita sunt, & præfigurata in lege Mosaïca, & à Prophetis omnium nationum prædicta, & à *Iesu* Christo tandem completa, & apertè manifestata, & infinitis prope miraculis à Deo confirmata, firmiter tenet, credit, & præ-

dicat; non ampliùs ſub vmbris, ænigmatibus, & figuris, ſicut olim abſcondita; ſed palam & publicè, vt in ſplendore luminis veri Solis iuſtitiæ ad meridiem lucentis, & ardentis; ita vt nemo ſit ampliùs, qui poſſit ſe abſcondere à calore eius ardentis Charitatis.

CAPVT II.

Alterum argumentum veritatis Chriſtianæ Religionis ex Sauanarola, lib. 2. triumphi Crucis, cap. 3. depromptum, ſcilicet nullam Chriſtianâ vitâ inueniri meliorem.

1. EX bonitate, & perfectione fructuum, colligimus arborum perfectionem. Cum ergo perfecta vita ſit fructus Religionis, quæ non tantùm eam docet, ſed etiam producit: ſequitur, quod illa Religio debet eſſe vera, & perfecta, quæ vitam meliorem producit. Nullam autem Chriſtianâ vitâ inueniri poſſe meliorem, certiſſimè conſtat; quia vita Chriſtiana ad hoc potiſſimùm tendit, vt poſthabitis creatutis omnibus, per contemplationem, & amorem ſe totam in Deum transfundat, & fiat vnus Spiritus cum Deo. Cum itaque perfectior inueniri nequeat vita, quàm hæc, quæ hominem ſuo principio, & vltimo fini coniungit per nobiliores hominis facultates, intellectum ſcilicet & voluntatem, patet nullam vitâ Chriſtianâ eſſe meliorem.

Matth. 7. v. 17.

2. Præterea recta hominis vita, vt homo eſt, pro ipſo rationis modo æſtimatur; quantò ergo rationabilior vita fuerit, tantò dignior iudicabitur; quare cum veri Chriſtiani nil omninò contra rationem agere velint, fatendum eſt inter exteras Gentes ac Nationes, nullam Chriſtianæ vitæ eſſe præferendam.

Digitized by Google

3. Item bona hominis vita ad Dei contemplationem tendit, & ad eam ordinatur, ex Philosophorum consensu, in qua purgatissima mentis serenitas exigitur. Humanis namque affectibus, & passionibus subjectus homo, minimè aptus est contemplationi rerum diuinarum. At nulla vita inueniri potest, quæ liberiorem, purgatioremque reddat hominem, quàm Christiana; cum relictis omnibus, soli Deo sese conjungere laboret; Ergo nulla huic, dignitate, atque excellentia præstat.

CAPVT III.

Tertium Argumentum confirmans veritatem Christianæ Religionis, scilicet quod vltimo fine vitæ Christianæ nullus melior potest excogitari, & nullum medium ad beatitudinem melius potest reperiri Christianâ vitâ.

1. SIcut ad bonam vitam duo requiruntur; primum, vt bonum finem habeat; alterum, vt etiam adsint media fini proportionata: etenim bonæ actiones efficiunt bonam vitam, & bonus finis, ac bona media efficiunt bonas actiones: ita necessarium est fateri bonam illam esse, & veram Religionem, cuius finis vltimus est perfectissimus, & quæ habet media eidem congrua, atque proportionata, scilicet optima, & efficacissima. Nam omnis Religio ex se ordinatur ad diuinum cultum, & ad beatificandos homines: vt, sicut, dum degunt in præsenti vita, debent se Deo totos consecrare, eiusque cultui, ac gloriæ intendere, ac vacare per actus externos, & internos Religionis, vt vtraque hominis portio suum Deo reddat obsequium, per omnium fugam vitiorum, quæ ei displicent, & per omnium praxim virtutum, quæ

eidem complacent; ita iuſtum eſt, vt Deus eoſdem poſt hanc ſacram militiam, in qua pro eius gloria, & pro virtute decertarunt, remuneret, & coronet beatitudine æterna, quæ eſt vltimus finis, & ſummum bonum.

2. Iam verò quiſnam finis melior fine Chriſtianæ Religionis? Quænam beatitudo maior, & quodnam perfectius bonum poſſunt excogitari ipſomet Deo poſſeſſo pleniſſimè in æterna beatitudine per claram, & intuitiuam viſionem Dei, per amorem beatificum, & per ſtatum omnium in ipſa bonorum aggregatione perfectum? Talis eſt autem finis, talis beatitudo, tale ſummum bonum Religionis Chriſtianæ: illud credunt, illud ſperant, ad hoc aſpirant, illud eis certiſſimè promiſſum eſt. *Ego ero merces tua magna nimis*, inquit Pater æternus Abrahamo. *Hæc eſt vita æterna*, inquit Filius Dei, *vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Et, vt ait Propheta Regius. *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Et D. Paulus. *Videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate tunc autem facie ad faciem.* Et D. Ioannes, 1. Epiſt. cap. 3. *Scimus, quoniam, cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt.* Et in Ioan. Euang. cap. 17. *Pater, quos dediſti mihi, volo, vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum: vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi.* Vnde tunc Deus erit Beatis *omnia in omnibus.*

Gen 15. v. 1.
Ioan. 17.
Pſ. 16. v. vlt.
1. Cor. 13.

3. An non vides Chriſtianos in hoc veram Philoſophiam profiteri, quæ cenſet beatitudinem ſitam eſſe in actionibus perfectiſſimis hominis, ſcilicet in viſione obiecti perfectiſſimi, nempe æternæ Dei veritatis, & in amore, & fruitione ſummi boni, quod Deus eſt? Et ſane nihil eſt congruentius rationi naturali, quæ docet ſimul cum experientia intellectum, & voluntatem numquam quieſcere poſſe qualibet veritate creata cognita, & quolibet bono creato

adepto ; vnde semper vtraque sua perfectissima facultate homo tendit ad veritatem æternam, & infinitam, & ad bonum summum, diuinum, & increatum. Quia verò in hac vita homo non potest Deum sic perfectè possidere ; ideo numquam plenè beatus censetur : nec quiescit, sed motu continuo agitatus, semper ad alia quæ non possidet, suspirat: noua vult cognoscere, & plura appetit inquietus, iuxta illud Augustini Conf. 1. cap. 1. *Fecisti nos, Domine, ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

4. Quod autem debeant adesse media, quibus homo possit consequi beatitudinem, quam naturali quadam inclinatione appetit, euidens est ex eo, quod Deus & Natura nihil agant frustra ; ac proinde cum homini concesserit naturale desiderium beatitudinis etiam, media suppeditauit ad eam obtinendam necessaria.

Hinc certissimè constat, nullum ad beatitudinem medium melius inueniri posse Christiana vita, puritate cordis & gratia diuina supernaturaliter infusa, ipsam animam omni virtute perficiente.

5. Etenim Religio Christiana docet, & exequitur perfectissimè, vt ait Sauanarola lib. 2. Triumphi Crucis c. 5. quicquid Philosophi de cordis puritate, de virtutibus & probatis moribus sanxerunt : & multò perfectiora documenta ad cor sanctius purificandum inuenit ; quia puritas cordis quæ naturaliter ab hominibus cognosci, & haberi potest, non est sufficiens medium ad finem prædictum, & æternam beatitudinem, quæ naturæ limites excedit ; vnde Christiani non immeritò gratiam, & virtutes supernaturaliter à Deo infusas credunt, vt per eas homo purgatissima acie ad finem dirigatur optatum. Deus quippe nunquam deest in necessariis.

6. Ex quibus sequitur quod Christiani omnes, qui verè Christianè vixerunt, & ad finem vsque perse-

uerauerunt, certissimè obtinebunt finem vltimum, & beatitudinem; quia non solùm crediderunt quicquid eis credendum Deus præcepit, sed etiam illum cultu à se præscripto coluerunt: orationi, & contemplationi diuinorum vacarunt: propter Deum tota vita continuam mortificationem subierunt, & multis etiam licitis voluptatibus abstinuerunt, ex toto corde Deum amauerunt, eius mandata sedulò seruauerunt, vitam purissimam egerunt, & ab omni peccato alienam: omnibus virtutibus vacarunt: se totos ei dedicarunt, eius gloriam procurarunt, & in ea cordis, seu voluntatis dispositione perseuerarunt, parati potius mille subire mortes, quàm semel ei displicere per aliquod peccatum: hæc est lex vitæ Christianæ, quis dubitet tales saluandos, & beatificandos à Deo homines?

Caput IV.

Argumentum quartum veritatis Christianæ Fidei, ex eo quod est causa optimæ vitæ. Sauanarol. l. 2. Triumphi Crucis cap. 7.

1. PRimaria vitæ optimæ, seu Christianæ, qualem notaui capite superiori, causa, est Fides Christiana à charitate informata, seu quæ per dilectionem operatur; vnde Apostolus ait, Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam.* Et Rom. 3. v. 22. *Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum.* Hæc est autem Fides, qua credimus ipsum Christum crucifixum esse verum Deum, & verum hominem, filium Dei, vnum in natura cum Patre, & Spiritu sancto, in Personisque distinctum; quem super omnia diligimus.

2. Iam verò quotidiano experimento videmus, & experimur Christianum tantùm in rectitudine vitæ, quantùm in hac Christi fide, & è conuerso proficere; sicut videmus è contra ex defectu bene viuendi Fidem formatam deperditam iri: ergo cum effectus sua causa perfectior esse nequeat, ex rectitudine, ac veritate vitæ Christianæ, bene demonstratur rectitudo, & veritas Christianæ Fidei, quæ eius vitæ causa est; quia impossibile est bonum à malo, & verum à falso produci, vt à causa propria.

3. Confirmatur: Si Fides Christi esset falsa, nullus error maior, aut peior posset inueniri; nam dicere hominem crutifixum esse Deum, si non sit verum, extrema dementia est. Quomodo ergo tanta vitæ perfectio, qualem videmus in sanctis Christianis Martyribus, Pontificibus, Doctoribus, Solitariis, Virginibus, &c. poterit à maximo errore prouenire? cum omnis recta vitæ institutio deriuetur à rectitudine intellectus, & è contra.

4. Adde, quod; quantò aliqua natura melius est disposita, tantò susceptibilior est formæ perfectioris: forma autem, & perfectio intellectus, est veritas: eius verò dispositio ad veritatem suscipiendam puritas est, cordisque sinceritas; & ideo, quantò fuerit homo à rerum corruptibilium affectu purgatior, tantò magis ad capescendam veritatem, rejiciendamque falsitatem præparatur. At nullam dispositionem ac purificationem Christianæ parem constat inueniri posse. Videmus autem quod quantò sanctiores in dies efficiuntur Christiani, tantò eam Fidem constantiùs confitentur, & è contra.

5. Prætereà nemo dubitare debet, quin Deus, qui est primus Motor, tam in naturalibus, quàm in supernaturalibus, veritatis lumen, præsertim circa necessaria ad salutem, iis clariùs impertiatur, qui per vitæ sanctimoniam magis sunt dispositi; ac pro-

inde à prouidentia, & bonitate Dei alienum eſt, quod ſinat ſinceros Chriſtianos tantis erroribus, ac præſtigiis detineri; vt credant, quod abſurdiſſimum eſſet, & maximè impium, ſi falſum eſſet.

6. Deinde cum Chriſtiani non errent circa media, de quibus ſuperiùs; ergo neque circa finem: quia finis in rebus agendis, eſt ſicut principium in ſpeculatiuis: ſed finis eorum Chriſtus eſt. Ergo, &c.

7. Etiam ex ratione cauſæ ſic argumentor. Cum Deus in omnibus ordinatè procedat, nobilioribus effectibus cauſas nobiliores præpoſuit; nullus autem effectus inter homines nobilior inuenitur Chriſtiana vita, quæ tota occupatur vitiorum extirpationi, virtuti comparandæ, diuinorum contemplationi, proximorum charitati, atque diuinæ gloriæ procurandæ. Ergo neceſſe eſt talem effectum à nobiliſſima cauſa prouenire. Cum autem videamus eum effectum à Chriſto emanare; eſt enim author Chriſtianæ religionis: confiteri neceſſe eſt, ipſum eſſe cauſam nobiliſſimam. Quomodo verò eſſet nobiliſſima cauſa; niſi eſſet Deus, quem ſe prædicauit? Si enim hoc eſſet falſum, nullus eo ſceleſtior homo, aut execratior poſſet reperiri; atque ita Deus ad effectum optimæ vitæ peſſimo vteretur inſtrumento; quod abſurdum eſt.

8. Ex ratione effectus: Quantò effectus fit cauſæ ſimilior, tanto amplius perficitur; quia eius perfectio eſt per æquiparationem ad cauſam: Videmus autem, quod quantò quis Chriſti veſtigia imitatur, & eius ſimilitudinem in vita exprimit; tantò fit ſanctior, & diuinior; quod fieri non poſſet, niſi ipſe Chriſtus verus Deus, eiuſque fides veriſſima eſſet.

9. Tandem ex effectibus cauſas cognoſcimus. Videmus autem, quod fides Chriſtiana multò plus confert ad morum conuerſionem, & ad vitæ optimæ, & veræ ſapientiæ comparationem, quàm vnquam fe-

Digitized by Google

cerit vlla Philosophia, quæ nihil, vel parum profuit ad correctionem morum. Innumeris verò exemplis videmus, quod quisquis scelestissimus licet, mox vt ad Christum conuersus est, veraciter nouum prorsus induit hominem, fitque ex superbo humilis, ex auaro & raptore liberalis, ex luxurioso continens, & castus. Et sic de aliis; quod nusquam vlla Philosophorum secta impetrauit. Necesse est ergo fateri Fidem Christianam optimæ vitæ causam esse, ac proinde verissimam, & à Deo reuelatam per Christum.

CAPVT V.

Argumentum veritatis Christianæ ex vi sacræ Scripturæ, *vbi ostenditur doctrinam Christianam, cui fides innititur, esse à Deo. Sauanarol. loc. cit. lib.* 8.

1. CErtum est sacræ *Scripturæ* lectionem, auditum, & meditationem esse causam vitæ Christianæ; Scripturæ siquidem veritas fidei est obiectum. Licet autem iam superiore libro ostenderim Scripturæ sacræ antiquitatem, majestatem, & diuinam authoritatem, addenda censui, quæ ad eius veritatis confirmationem scripsit doctissimus Sauanarola, abbreuiata tamen.

2. Primùm ergo certum est etiam apud omnes Philosophos, quod de futuris contingentibus non est determinata scientia, neque veritas, vnde à solo Deo possunt reuelari, à quo solo præuidentur. Cum itaque sacra *Scriptura* tam in veteri, quàm in nouo Testamento futura contingentia, & ad liberum hominis arbitrium spectantia non modò generaliter, sed etiam particulariter prænuntiauerit, nec solùm vnius anni, aut decem, vel centum annorum, sed

etiam duorum; trium, & quatuor millium annorum vaticinia prodiderit, eorum, quæ non tantùm Hebræis contigerunt, & à Christo, eiusque Ecclesia gesta sunt; sed quæ omnibus ferè gentibus, & Regnis Assyriorum, Chaldæorum, Persarum, Medorum, Græcorum, Romanorum, atque aliarum nationum, vel prospera, vel aduersa acciderunt: necesse est confiteri has *Scripturas* à solo Deo, non verò ab hominum solertia, & ingenio prodiisse.

3. Neque solùm hæ prædictiones per verba exprimuntur, sed etiam per gesta: ita vt totius veteris Testamenti historia sit non solùm figura, sed etiam prophetia eorum, quæ in nouo Testamento facta videmus cum perfectissima vniformitate, vt patet piè, humiliter, & attentè legentibus.

4. Item modus locutionis, & progressionis sacræ *Scripturæ*, singularis & diuinus est, in quantùm summam, & profundam doctrinam, atque excellentissima mysteria ita simpliciter, & tamen augustè declarat, vt eius lectio, auditio, & prædicatio optimæ vitæ, & mundi conuersionis manifesta sit causa. Vnde experientia constat inter Prædicatores eos majorem fructum facere, qui eumdem modum tenent in eius expositione, & prædicatione, quem ipsa continet. Et certè ante huius in mundum luminis effusionem, in profunda noctis caligine mortale genus hominum versabatur: at postquam incalescentibus Apostolicæ doctrinæ radiis, & coruscantibus eorum prædicationis tonitruis, omnis per id lumen nubes fugata est, hominum mentes miro serenitatis fulgore illustratæ sunt.

5. Hæc est enim illa doctrina penetrabilior omni gladio ancipiti, quæ totum orbem virtutibus adornauit, cultusque dæmonum, & profana Idolorum oracula subuertit, ac infinitis pulsis erroribus mirabilia perpetrauit. Vnde non mirum, si excellentissima

ma quæque, & purgatissima virorum ingenia non modò scriptis hanc *Scripturam* extulerunt; sed prædicatione, vita, ac moribus contestati, pro ea defendenda vitam intrepidè exposuerunt.

6. Adde, quod, quia verum vero consonat, & falsa omnia dissident, omnes aliæ disciplinæ huic nostræ aduersantur, imo deseruiunt, vt à plerisque monstratum est, & omnes alias modo eminentiori continet scientias. Excipio superstitiosam diuinationis artem inutilem, ab ipsismet Philosophis explosam, vt ridiculam, & pernicioſam.

7. Tandem, quia talis est Natura; vt quantò magis impugnatur, si defensorem habeat, tantò magis eluceſcat: ideo etiam doctrina Christiana à summis tam Philosophis, & Hæreticis, quàm Tyrannis validissimè oppugnata, semper insuperabilis, & omnium errorum victrix, clarior & firmior euasit, vt patet exemplis.

CAPVT VI.

Argumentum veritatis Christianæ Religionis, ex cultu exteriori, & interiori.

1. REligio potest dici *doctrina, seu disciplina cultus diuini*; quia proprium eius est edocere homines modum Deum colendi, & mouere eos ad hunc diuinum cultum: ac proinde illa Religio perfectior est censenda, & verior, quæ sanctiorem, & Deo gratiorem cultum habet. Quia verò, vt superiùs notaui, duplex est hominis portio, corporea, & spiritalis, vt vtraque debitum Deo, & sibi proportionatum cultum reddat, *Religio* debet duplicem cultum habere, & dirigere, externum scilicet, & internum, corporeum, & spiritalem: externus spectat ad exteriores ceremonias, & sacrificia, & sacramenta,

vt iam notaui, vbi de lege Naturæ, & Moſaïca egi; internus verò ſpectat ad actus internos religioſarum virtutum adorationis, orationis, contemplationis, & aliarum.

2. Iam verò quiſnam perfectior cultus exterior poteſt excogitari eo, quo vtitur Chriſtiana Religio? Nam quoad Ceremonias; auguſtiores, deuotiores, modeſtiores, & perfectiores, aut quæ magis redolent diuina myſteria, non poſſunt inueniri, iis, quibus vtitur in ſacrificio *Miſſæ*, in Sacramentorum ſuſceptione, & adminiſtratione, & in aliis Religionis exercitiis, de quibus conſule Durantum, qui omnes Eccleſiaſticas ceremonias doctiſſimè, & piiſſimè expoſuit. Experimento enim quotidiano nouimus, quantam deuotionem excitent tam in ſacris Miniſtris, qui eas attentè, deuotè, & fideliter obſeruant, quàm in populis, qui ad eas piè attendunt.

Hinc videmus plures impios, atheos, hæreticos, & peccatores ad Deum conuerſos, inſpectione majeſtatis harum ſacrarum Ceremoniarum, Deo interiùs corda eorum mouente.

3. Quoad Sacrificium auguſtiſſimum Religionis Chriſtianæ, de quo inferiùs ex profeſſo, nihil eo purius, ſanctius, & diuinius poteſt excogitari; cùm in eo omnia diuina ſint. Nam primariùs, & præcipuus ſacerdos ipſemet *Chriſtus* eſt Deus, & homo, qui operatur, & offert illud ſacrificium adorandæ Trinitati per miniſterium ſacerdotum, qui in hoc ſunt eius Vicarij. Idem ipſe eſt ſimul hoſtia, & victima, quæ ſub ſpeciebus panis, & vini, quæ ſunt puriſſima ſymbola, offertur tanquam oblatio illa munda vbique terrarum in gentibus, vt prædixerunt Malachias Propheta, & alij Prophetæ; prout ſignatum, & figuratum fuit in vetuſtiſſimo, & auguſtiſſimo ſacrificio panis, & vini, quod in tanto fuit honore,

Digitized by Google

apud omnes gentes in lege Naturæ & Mosaïca, vt superiùs notaui.

4. Quid insuper vtilius, & augustius nostris Sacramentis? quorum primum, scilicet *Baptismus*, expurgata originali, macula, & corruptione, baptisatos homines, Filios Dei, & hæredes regni cælestis efficit.

Secundum, scilicet *Confirmatio*, nouo addito robore, & virtute Spiritus sancti confirmat, & ad spirituale bellum contrà dæmonum incursus, mundi adulationes vanas, & carnis fallaces illecebras præparat sic armatos.

Tertium, quod est *Pœnitentia*, purgatis criminibus post baptismum commissis, diuinæ majestati reconciliat & gratiæ salutiferæ restituit peccatores conuersos.

Quartum est *Eucharistia*, qua iusti, & perfecti mensæ diuinæ communicantes, ipsumque Christum Deum, & hominem sumentes, in ipsum transformantur nouo, & incomprehensibili modo spiritali.

Quintum, quod est *Extrema-vnctio*, infirmos ab occultis maculis purgatos corroborat, & ad vltimum cum salutis hoste certamen singulare accingit, & ad introitum diuinæ beatitudinis disponit.

Sextum, quod est *Ordo*, sacros Ministros confert Ecclesiæ, & sacram fundat in ea Monarchiam, seu Ecclesiasticam Hierarchiam.

Septimum tandem, quod est *Matrimonium*, sacra fœdera fundat in populis, coniugum animos, æquè ac corpora modestè conciliat, frænat concupiscentiam, & singularem confert gratiam maritatis, vt sobriè, castè, & piè viuant. Quid his sanctius Sacramentis? quid vtilius? quid diuinius esse potest? De quibus tamen plura inferiùs.

5. Videmus autem ab exordio nostræ Religionis ad hæc vsque tempora ex archiuis, attestationibus, &

exemplis tam priſcorum, quàm recentium Patrum, & quotidiana experientia nouimus, quod hunc cultum piè, ac fideliter exercentes, & qui quotidiè Sacramenta ſibi congrua, diuinaque myſteria, aut tractant, aut ſumunt, quam priùs non habuerant perfectionem, acquirunt, & in dies admirabili fiunt ſanctitate diuiniores. Qui verò ſine fide, ac Religione, his familiariter aſſueſcunt, efficiuntur cæteris hominibus nequiores: quod indicat ea Sacramenta virtutem, ac veritatem diuinam continere in ſe, eo modo, quo inſtrumenta virtutem obtinent principalis agentis. Et confirmatur ex eo, quod, ſi huiuſmodi cultus inutilis, ac falſus eſſet; quanto quis longiùs ab eius celebratione recederet, à ſeipſo illum abjiciens; tanto in virtutum moralium exercitatione proficeret. Sacerdotes quoque ex eius irriſione, atque contemptu non deteriores, ſed meliores efficerentur: cuius rei contrarium quotidie experimur.

6. Similiter ab interiori cultu Religionis Chriſtianæ, maximè eius veritas elucet; qui quidem præcipuè conſiſtit in exercitiis orationis & contemplationis, in actibus fidei, ſpei & charitatis, corporis & mentis puritatis, abnegationis non tantum corruptibilium, & terrenorum bonorum, ſed etiam ſui ipſius, humilitatis, modeſtiæ, temperantiæ, & omnium virtutum: quæ quidem exercitia ſancta docet & præcipit diuina hæc Religio, & ſimul modum præſcribit, quo poſſimus multis detenti corruptibilibus vinculis paſſionum & affectuum, Deo optimo, maximo, qui eſt noſter finis vltimus, ſicut eſt etiam noſtrum principium, facilius reuinciri, & reuniri; ſiue per vnionem perfectam noſtri intellectus cum illo fonte veritatis, & Patre luminum, contemplatione mediante; ſiue per perfectam noſtræ voluntatis conformitatem cum diuina, quæ eſt lex æterna; ſiue etiam per amorem perfectum erga eum, qui eſt infi-

Digitized by Google

nita bonitas, & ſummum bonum noſtrum. In his piis & diuinis exercitiis veram *Philoſophiam*, imo & *Theologiam*, ac vitæ huius beatitudinem conſiſtere nemo non videt; cum etiam illud veteres omnes Philoſophi, & omnium nationum Doctores agnouerint, vt in lib. 1. demonſtraui.

7. Hæc autem diuinæ Chriſtianæ religionis doctrina, non ſolùm ſpeculatiuè tradita eſt; ſicut Philoſophorum dogmata, quæ pauciſſimi in praxim redegerunt: ſed etiam practicè; ita vt ab ortu Chriſtianæ religionis ad hæc vſque tempora, innumeri vtriuſque ſexus homines, illam ſequuti ſint perfectiſſimè, vt omnes teſtantur *Hiſtorici*, & vt experimento hodierno poteſt confirmari.

8. Quis enim poterit referre agones & nomina ſanctorum Martyrum omnis ſexus, & ætatis, & conditionis, qui fortiter mortem, & crudeliſſima ſupplicia pertulerunt pro Dei gloria, & religionis Chriſtianæ veritate? Quis ſanctorum Doctorum, Epiſcoporum, & Confeſſorum, ſanctarumque Virginum numerum recenſebit? Et tandem adhuc videmus non tantùm in Monaſteriis, ſed etiam in ipſomet ſæculari ſtatu innumeros vtriuſque ſexus homines, Angelicam in terris ducere vitam, cum terrenorum, & propriæ vitæ contemptu: quorum vnicum eſt votum Deo placere, eius ſequi voluntatem, eius gloriam procurare, ac ei intimè vniri. Quis credat hos omnes errare à veritate, quæ puras ſequitur mentes? Quis ſibi ſuadeat ſummum errorem (qualis eſſet fides Chriſtiana, ſi falſa eſſet) veræ Philoſophiæ practicæ, morum puritatis, cordis munditiei, diuini amoris, pacis, & tranquillitatis animæ cauſam eſſe?

Caput VII.

Argumentum ab admirandis Chriſti operibus, pro Chriſtiana veritate.

1. QVando quidem vera & indubitata patrare miracula, ſolius Dei eſt, vel ſaltem creaturæ Dei nomine operantis; illa profecto Religio, vera ſanaque creditur, cuius auctor & inſtitutor plura conſtanter miracula in lucem edidit. Vnde cum Ieſus Chriſtus multa præclara, notiſſimaque coram innumeris hominum millibus ediderit miracula, cæcos illuminando, ægros & paraliticos ſanando, dæmones fugando, mortuos ſuſcitando, mari ventiſque imperando, elementa denique famulando, ſicuti loquitur Tertullianus in Apologet. nec tot portentis contentus idem Chriſtus eamdem in Diſcipulos ſuos virtutem transfuderit, ſeſeque Deum palam & aperte tum ore proprio, tum Apoſtolico propalauerit; verum ſane Deum, ſanamque ſanctamque illius Religionem credere iuuat, amplecti, ac venerari.

2. Verùm ne ſingulis eius mirandis operibus inſiſtamus, eius triumphum Crucis reuocemus in memoriam in mundi conuerſione, & religionis Chriſtianæ inſtitutione, quod eſt miraculorum maximum, ac ſtupendum, ſicque cum *Sananarola libro 2. triumphi Crucis* argumentemur.

Aut hic Ieſus crucifixus, quem Chriſtiani adorant, eſt verus Deus, & prima omnium cauſa, aut non eſt. Si primum conceditur, ſoluitur diſputatio; fatendum enim eſt fidem Chriſtianam, & vniuerſam eius doctrinam, atque religionem eſſe veram. Sin autem ſecundum, ſequitur Ieſum Chriſtum fuiſſe ſuper omnem arrogantiam inexcogitata

ſuperbia nefandiſſimum, qui purus homo mortaliſque cum eſſet, ſe Deum maximum æſtimari, & ab omnibus adorari voluerit; quin etiam pari argumento ſtultiſſimum. Quod talem, tantamque prouinciam fuerit aggreſſus? quid enim magis rationi contrarium? quidve inſanum magis, ac ridiculum inueniri poteſt? quàm quod mendicus homo abſque armis, atque opibus vllis, inexpolitæ ſolùm, ac nudæ linguæ mucrone; imò potiùs horrendæ mortis imagine atque ſupplicio, contrà diuinam majeſtatem contendere ſit auſus, atque illi debiti honoris ſpolia detrahens, ſimul omnes homines, tàm potentes, quàm ſapientes noua; & inaudita religione inuoluere tentarit, ac ſimul omnes aliorum deorum cultus, & ritus demoliri, mundumque vniuerſum tot anteà ſæculis certis legibus aſſuetum, aliò ſtatuiſſe diuertere, ac penitùs immutare, ſeque inſuper, vt Deum, coli iuſſerit, idque non ſolùm in vita, ſed multò amplius poſt eius acerbæ necis conſummationem, ea lege; vt ipſum non modo mortales diligerent, & adorarent; ſed repugnante naturâ, difficillima quæque, ac prorſus intolerabilia, ob eius amorem paterentur, ac denique nulla pœnarum atrocitate deterriti, mortem ipſam omnium terribilium vltimum, quàm libenter ſubirent.

3. Hic ego te ſanè interrogem, quiſquis es; ſi quis mortalium hæc ſe facturum polliceatur, aut animo reuoluat, & ſui pectoris arcanum tibi aperiat, an non eum inſanire putares? nonne eo maiore cachinno ſubſannandum, quominus hæc fieri poſſe iudicares? Si igitur *Ieſus Nazarenus* non ſit Deus, qua ope fretus inſipiens ſacrileguſque ſeductor, contra patrias leges, contra principes, & ſapientes, ac vniuerſum orbem reluctantem, contrà infernas, ſuperaſque poteſtates, denique contra ſupremum omnium Conditorem adeo dimicando prævaluit; vt coæqualis

Deo habitus ſit, & pari veneratione receptus, ac prædicta omnia inter tot repugnantia, tam longo æuo inſuperabilis obtinuerit? Quomodo hic à Deo deſpectus homo, cruci affixus, & mortuus eam vim poſt ſe reliquit, vt tot ac tanta pepererit? Quis vnquam eorum, qui pro diis habiti ſunt, ne dicam hominum, huic fuit comparandus, cum eorum rixæ, ſacrilegia, & inceſtus, etiam apud ſuos cultores, nefaria exiſtimentur?

4. Vides-ne, quàm impudenter quidam *Apollonium Tyaneum* Chriſto comparare ſint auſi? Quis verò *Pythagoram*, *Socratem*, *Platonem*, reliquoſque Philoſophorum principes, vel etiam *Alexandrum*, *Cæſarem*, cæteroſque Reges, ac Imperatores excellentiſſimos, & clariſſimos viros ei conferre poſſit? cum eorum nemo Deum ſe fecerit, neque ſimul omnes minimum quippiam in comparatione Chriſti, vel eius Diſcipulorum peregerint. Quid verò magni verſutiſſimus ille dux Arabum *Mahumetes* effecit? Hic profecto nunquam ſe Deum aſſeruit, qui tamen verbis, & gladio præpotens, armis, & muneribus, & laſciuienti voluptatum licentia barbaram, imperitamque multitudinem ſibi adiunxit: nonne & ipſe Chriſtum honorificè confeſſus, nihil ſuprà humanas vires, atque verſutias præ ſe tulit? Talis nempè non fuit *Ieſus Nazarenus*, qui difficiliora quæque, & ſupra humanum captum credenda propoſuit: vnum ſcilicet Deum in *Trinitate* perſonarum, ſe, vt Filium Dei conſubſtantialem, conceptum de Spiritu ſancto, natum de *Maria* ſemper Virgine, Crucem, reorum olim triſte ſupplicium, adorandam, veritatem carnis, & ſanguinis ſui ſub modicis elementis, & ſpeciebus panis, & vini, carnis reſurrectionem, & alia intellectui humano creditu difficillima, quæ tamen voluit credi, & teneri firmiter, etiam cum periculo mortis.

Digitized by

5. Nec sufficit horum firma, & constans fides, ac veneratio, nisi inuisibilia diligentes, visibilibus contemptis, quaslibet persecutiones sustineamus.

Idem suis in hac mortali vita promisit non diuitias, non honores, aut dignitates. Quinimo prorsus contraria omnia, videlicet paupertatem, ignominiam, verbera, exilia, vincula, carceres, atque supplicia, quibus, ipsius gratia, toleratis, nobis ineffabilem beatitudinem, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, quæque nec in cor hominis ascendit, pollicetur. His nihilominus ita se habentibus, quicquid voluit, consecutus est, pugnante contrà eum toto orbe terrarum; nam ex omni hominum genere, atque conditione innumeri hæc homines ita susceperunt, & prosequuti sunt: vt potius vitam, quàm fidem deserere maluerint: Reges quoque, & Principes, sicut etiam nunc videmus, eiusdem Fidei iugo humiliter inclinati, infimis eius ministris paruerunt, & multi inter eos sua sceptra, & sua regna abjicerunt, vt Christo viuerent conformes; ergo concludendum religionem Christianam esse non opus humanæ prudentiæ, aut fortitudinis, aut eloquentiæ, sed Dei verissimum opus.

6. Neque verò dici potest casu hæc euenisse; tum quia facta sunt repugnante toto mundo, & ipsa corrupta natura; tum quia *Prophetæ*, & *Sybillæ* multo ante hæc euentura prædixerunt, idque antiqua, ac fidelia, & Iudæorum, & Gentium monumenta testantur, in quibus scribitur non solùm hæc ab ipso Deo, vt futura reuelata fuisse; sed illa se Deum omninò promisisse facturum.

CAPVT VIII.

Argumentum pro Christianæ fidei veritate sumptum à sapientia Christi.

1. CHristum non immeritò Scriptura testatur esse Dei sapientiam; quod etiam facilè est rationibus probare, non solum Theologicis; quia fides docet esse Dei filium Verbum diuinum, æternamque sapientiam: sed etiam naturalibus, ex eius sapientiæ mirisfectibus. Nam 1. sapientiæ est ordinare, resque ipsas benè disponere, & omnia ad suum finem dirigere; sed *Iesus Christus* suis cum discipulis, atque cultoribus solus verum humanæ vitæ finem, veraque media ostendens, & præbens efficaciter, docuit, perfectéque adimpleuit; ita vt nullus finis melior, neque perfectior Christianâ vitâ inueniri, aut excogitari possit ex superiùs dictis; ergo est sapientissimus: imò ipsa sapientia.

2. Sapientiæ, & sapientis est docere; sed nullus alius à sæculo inuentus est, qui tam proficuam sapientiam mortalibus attulerit, quique eam tam facilè docuerit; videmus enim quod postquam sapientissimus ille Magister, & Saluator noster Christus apparuit, non multo temporis interuallo vniuersus penè orbis de prouidentia, & bonitate Dei, de animæ immortalitate, de fine, ac beatitudine hominis, de mediis ad eam perueniendi, &c. adeò fuit illustratus; vt etiam in puerili, & imbecilla vtriusque sexus ætate, Christiani clariùs hæc intelligant, quàm præclari Philosophi indefesso studio cognouerint: in hacque doctrina ita fiunt immobiles, vt innumeri ad mortem vsque supplicia perpeti maluerint, quàm minimum iota doctrinæ Christi impiè denegare.

3. Præterea agentis, seu docentis virtus tanto major apparet, quanto ad remotiora se extendit, & citiùs operatur; vnde, quo potentior fuerit sapientia; eo magis, ac velocius ad insipientes immutandos, sanandosque valebit: quod clarissimè apparet in Christo, eiusque doctrina, & fide; Etenim innumeros etiam ex stultis, paruulis, hebetibus, ac flagitiosissimis peccatoribus ad sapientiam, & adrectitudinem vitæ derepente, & quasi solo nutu, mira quadam cordis compunctione conuertit, & quotidie ab hoc non cessat effectu.

4. Item suprà naturam est effectum producere per contrarias causas: & ideo Christi sapientia suprà naturam est, quia docuit, idque efficaciter per stultitiam mundi, seu per ea, quæ apud homines stultissima æstimantur; sunt autem crucis horror, subsannationes, opprobria, sputa, verbera, & tormenta, quæ passus est Christus moriens; per ipsam tamen crucem, & passionem, maximam hanc diuinam sapientiam contulit mundo. 1. Cor. 1. v. 11.

5. Adde, quod illa cæteris præstat sapientia, quæ suprà cæteras, de diuinis rebus instruit homines; sed nulla id magis peregit, quàm Christi sapientia, vt ipsa patet inductione, cum & ipsa constet experientia ipsos Christianos pueros, ipsasque mulierculas, si fidei Catechesim didicerint, doctiores, & sapientiores esse quibusvis *Philosophis*, & *Poëtis*: & ipsum fidei Christianæ symbolum, plus in se continet, non dicam *Philosophiæ*, sed & *Theologiæ*, quàm omnes libri Gentilium; non enim tantùm facilia, sed etiam difficiliora quæque de diuinis rebus complectitur, quæ tamen firmiter steterunt, licet oppugnata, non solum contentionibus, sed etiam improperiis, gladio, tormentis, & mortibus, tum à Philosophis, tum à Tyrannis.

6. Præterea aut Fides est verr, aut commentitia.

Si vera, benè conuenimus: ſi commentitiam dixeris, non minùs probat fuiſſe Chriſtum omnium ſagaciſſimum, & ſapientiſſimum, qui tam difficilia exquiſiuit, eaque mortalibus ita perſuaſit, vt nulla, vel diuina, vel humana ratione, aut poteſtate infringi, deſtruique potuerint; Chriſtiani enim Doctores etiam *Philoſophiæ* ſcientiam profitentur, & ea, quæ docuit Chriſtus, licet ſuprà rationem ſint, *Philoſophiæ* tamen non repugnare, quin potiùs omnes ſcientiis ſeruire eis oſtendunt: at verò, quis adeò ſapiens, vel aſtutus inueniri poſſet, qui vlla figmenta, vel mendacia aduerſus omnes tam multorum ſapientum rationes tueretur, & cuilibet Philoſophiæ conſona eſſe monſtraret? Profecto verum vero conſonat, & falſo omnia diſſonant; cùm ergo pugnantia inuicem ſtare nequeant, vt ſcilicet falſa cum vera Philoſophia concordet, ac per eam homines ad veram vitæ normam dirigantur, oportet vtique eius Fidem, atque doctrinam veram aſſerere, ipſumque Chriſtum omnium ſapientiſſimum confiteri.

7. Hinc viri omnium ſcientiarum peritiâ pollentes, ſimul ac ſanctiſſimi, Chriſti doctrinam, vt ſummam ſapientiam amplexati, ſuis eam præconiis, ſcriptis, & operibus extulerunt, & expoſuerunt, ac ſanguinis teſtimonio confirmarunt, vt à Deo certiſſimè traditam.

Caput IX.

A bonitate Chriſti Fidem eſſe veram probatur.

1. NOn ſolùm *Chriſtus* eſt ſummè potens opere, & ſermone, & omnium ſapientiſſimus, vt oſtendimus, ac proinde ipſamet omnipotentia, & ſapientia iuxta illud axioma philoſophicum. *Primum in vnoquoque genere, eſt cauſa cæterorum:* ſed etiam

est summè bonus; imò summùm bonum & vltimus finis, iuxtà illud. *Finis legis, Christus.* Quod habemus probandum, & primo probamus ex motu, & vehementia amoris, non quidem sensibilis; sed rationalis, imò supernaturalis Christianorum perfectorum, flagrantisque desiderij in ipsum. Quia superiùs probauimus, nullam in terris purgatiorem vitam dari Christiana, nullosque homines magis secundùm rationem viuere, quam Christianos; vnde ex eorum amore, & desiderio, qui verè, & propriè homines sunt, potiùs quàm aliorum, in cognitionem finis vltimi possumus peruenire: Sed omnes Christiani rectè viuentes, & Christianas seruantes regulas vehementissimo amore, parique concordantia tendunt in Christum crucifixum, tanquam in supremum finem, cuius gratia cætera, vt sordida purgamenta contemnunt, dicentes cum D. Ignatio Martyre, in Epist. ad Rom. *Omnia in me veniant tormenta, cruces, bestiæ, ignes, modo Christo fruar.*

2. Præterea vltimus finis, est hominis plena perfectio; ideoque, quanto quis fit illi propinquior, magis perficitur, & quanto magis perficitur, fit ei magis proximus: quia nihil aliud est perfici, quàm suo fini appropinquare. Sed nulla res vnquam inuenta est, propter cuius appropinquationem per intellectum, & affectum humana natura tantùm in vita profecerit, tantamve assecuta sit perfectionem, vt in appropinquatione *Iesu Christi* per intellectum, & affectum, adeò quod quanto magis fit illi vicinius, tanto ipsum vehementius diligit, & magis in moribus perficitur; vnde sequitur ipsum esse vltimum vitæ humanæ finem.

3. De ratione finis vltimi est, vt eo adepto quis immobiliter adhæreat illi; vnde signum est hominem tunc verè ad vltimum finem peruenisse, quando secundum rationem à vitiis purgatam ei adeo firmiter

Digitized by Google

inſiſtit; vt nihil ampliùs appetat, & hunc finem ne deſerat, malit vita priuari: At Chriſtiani perfecti firmiter ita Chriſto adhærent, vt neque mors, neque vita, neque vlla tormenta ab eo illos ſeparent, vnum timentes, ab eo ſeparari: vnum appetentes, ſtare, & perſeuerare conſtanter in eius amore, & vnione; quod ſi Chriſtus non eſſet ſummum bonum, certè ſapientiſſimi viri, vitam ſaltem, quæ pretioſiſſima eſt, pro tanto errore, quo nullus major inueniri poſſet, non commutarent.

Rom. 8. v. 38.

4. Item cum ea, quæ ſub eadem ſpecie continentur, ad eumdem finem ordinentur, in eoque vniantur, manifeſtiſſimum eſt argumentum *Ieſum Chriſtum* eſſe vltimum finem hominis, quod nihil vnquam repertum eſt, in quo hominum cœtus, vt in Domino Ieſu tam firmo vinculo necterentur. Nam qui in eum credunt, & ſperant, ac ipſum amant, non ſecùs inuicem copulantur, atque conueniunt, quàm ſingulæ terræ partes ad centrum in vnum Globum, congeriemque redactæ, eoque modo Chriſtiani omnes ad Chriſtum tendentes efficiuntur *cor vnum, & anima vna* in eo, Act. 4. v. 32. & qui magis in Fide, Spe, & Charitate proficiunt, majori delectationis, & charitatis ardore ſe mutuò complectuntur; licet ſint diuerſæ conditionis, ætatis, generis, nationis.

Ioan. 17. & Epheſ. 4. v. 16.

5. Item quantò acies mentis noſtræ vltimo fini magis propinquat; tanto ſentit majores oblectationes ſpiritales: & tunc ſunt perfectiſſimæ, cum ipſum finem magis attingit. Sed delectatio, quam de Chriſto fideles percipiunt, omnia, tam ſenſus, quàm intellectus oblectamenta ſuperat, quod ex tribus potiſſimum apparet.

Primò ex inuincibili Martyrum conſtantia, quos amore Chriſti ſuccenſos ac velut inebriatos, legimus hilares ad ſupplicia tanquam ad nuptias con-

uolasse, medios inter exultasse, laudesque Deo & Psalmos decantasse.

Secundò ex infinitis Sanctorum *Monachorum* exemplis, qui relictis mundi blanditiis, in solitudine errantes, tanquam ferarum socij, in abstinentia, & ieiunio, & corporis macerationeegeni, nudique, in summo tamen gaudio ob maximam diuinorum contemplationem, iucunditatemque vixere: quorum exempla adhuc multi sequuntur in Monasteriis sub arctissima obedientia mancipati, & tamen tanquam liberi sub gratia constituti iucundè, & sincerissimè viuentes.

Tertiò ex Sapientissimis, & Doctissimis viris, qui deguſtato sacro *Scripturarum* fonte, ac delibata Christi dulcedine, omnes alias scientias, vt insipidas reliquerunt, illius tantum doctrina delectati: & certè experimur quotidie, quod, quanto fide, & amore ad Christum propius accedimus; tanto eius delectationes ampliùs augentur.

6. Adde, quod; cum summum bonum sit summè sui diffusiuum, & communicatiuum, hæc summi boni proprietas perfectè Christo competit: Omnes enim quotidie experiuntur eius clementiam, & misericordiam, eiusdem bonitatis diffusiones, & communicationes tam erga peccatores, quos ab inferno, & peccatorum cœno eruit, quàm erga iustos, quos immensis cumulat beneficiis: erga omnes, quos vult saluare, & ad agnitionem veritatis venire, pro quibus ipse fuit incarnatus, tanta edidit miracula, tanta tormenta passus, & mortuus est, & resurrexit, & quod comprehendi non potest, quibus seipsum in tremendis mysteriis reliquit sub speciebus panis, & vini manducandum, proprio sanguine, & carne nutriendis; vt faciliùs ad ipsum semper iis præsentem accedant, ei communicent, ei perfectissimè vniantur, & in eum transformentur; de quibus plura inferiùs.

Digitized by Google

Caput X.

Quod non eſt contra rationem; imò eſt conforme rectæ rationi, admittere pluralitatem Perſonarum in Deo.

1. IN primo libro probauimus impoſſibile eſſe plures Deos, ſeu plura entia infinita, & indepentia, & Deorum pluralitatem eſſe Deorum nullitatem, quod firmiter tenet Chriſtiana Religio.

Iam probandum eſt pluralitatem Perſonarum in vnica Eſſentia diuina non eſſe impoſſibilem, neque contrariam, ſed potiùs conformem rectæ rationi, ac etiam, ſicut in ſecundo & tertio libro oſtendimus, traditioni vtriuſque legis, Naturæ, & Moſaïcæ. *Verùm qui primum, & ſecundum Deum*, inquit Numenius, lib. de bono, *cognoſcere affectat, rectè diſtinguat oportet, & ante omnia mentem ſuam tranquillet; demùm verò inuocato ſibi Deo conſcio, theſaurum cogitationum ſuarum exponat.* Sic autem diuinarum Perſonarum pluralitatem probat Raymundus Lullius lib de Act. fid.

2. *Non minoris actualitatis, poteſtatis, & nobilitatis eſt bonitas infinita, quam finita; ſed bonitas finita eſt ratio bono finito, quod producat bonum finitum naturaliter, & de ſe: ergo bonitas infinita erit ratio bono infinito, quod producat naturaliter, & ex ſe bonum infinitum. Ergo cum in Deo ſit bonitas infinita, producet bonum infinitum; nihil autem aliud à Deo poteſt eſſo infinitum, ſed ſolus Deus, vt probatum eſt lib. 1. Ergo Deus, cum ſit bonum infinitum, producet bonum infinitum, & per conſequens idem, & æquale ſibi in bonitate, eſſentia, & natura. Cum autem omnis actio ſit ſuppoſitorum, ſcilicet ſuppoſiti, vt producentis, & ſuppoſiti*

positi, vt producti, inter producens, & productum, oportet esse distinctionem suppositorum, seu personarum, cum idem non possit seipsum producere. In diuinis ergo erit suppositum producens, & suppositum productum, & vtrumque dicimus personam, cum persona dicatur rationalis naturæ indiuidua substantia: & verius, atque magis propriè dicetur in diuinis persona, quàm in creatis, eo quod in diuinis persona est naturæ diuinæ incommunicabilis substantia; ergo in Deo vno est personarum pluralitas.

3. Deinde cum Deus ex supradictis sit actus purus, æternus, & infinitus: agit ab æterno, & infinitè, & æternum, atque infinitum producit, quod Deus est: ergo Deus producit ab æterno Deum.

Confirmatur, quia Deus agit ab æterno secundum modum, & virtutem infinitam suæ naturæ; ac proinde terminus eius actionis æternæ, & infinitæ, est æternus, infinitus, ac proinde Deus.

Adde quod deceat Deum vtpote agens præstantissimum suisque numeris omnibus absolutum, sortiri terminum sibi æqualem, & infinitæ, qua pollet, fœcunditati respondentem. Infinitum porro nullum extra se moliri potest, vt constat ex dictis supra: igitur intra se producere debet.

Caput XI.

Quod persona prima producens debet dici Pater, *& altera producta debet dici* Filius.

1. Raymundus Lullius de articulis fidei sic argumentatur ad hanc veritatem probandam. *Omne illud quod producitur de essentia alicuius secundùm naturæ operationem, & principalem procedendi modum, & ordinem, & est in eadem essentia, & natura cum*

producente ; dicitur , & eſt verè Filius *producentis , & producens dicitur* Pater *, cum ſint relatiua : ſicut videmus , & dicimus , quod homo genitus ab alio homine, eius* Filius *dicitur , à quo genitus eſt ; quia educitur in eſſe ab eo per naturalem generationem , & participat cum eo eandem ſpecificam eſſentiam.*

2. Vnde etiam Generatio definitur à Philoſopho *Proceſſio viuentis à viuente principio conjuncto in ſimilitudinem naturæ vi proceſſionis.* Quæ quidem definitio optimè conuenit *Verbo* diuino , ſeu ſecundæ perſonæ *Trinitatis* , quæ ideo debet vocari *Filius Dei.* Eſt enim procedens à *Patre* æterno principio , viuente vita intellectuali , conjuncto in ſimilitudinem naturæ ex vi proceſſionis : quia procedit per diuinam *Patris* cognitionem , cuius terminus eſt *Verbum* mentis æternæ , & perfectiſſima expreſſio eius ; quia per eam cognitionem producitur , qua *Pater* æternus ſeipſum cognoſcit perfectiſſimè.

3. Vt autem ad exemplum hominis geniti redeamus ; ſi homo generatus immediatè , haberet à Patre animam , per quam eſt homo , perfectiori modo eſſet Filius eius ; & ſi eſſet à Patre ſecundùm totam ſubſtantiam abſque Matris adjutorio , adhuc veriori , & perfectiori modo eſſet eius Filius ; ſi verò eamdem cum eo , & ab eo haberet eſſentiam , adhuc perfectiori modo eſſet Filius eius , ac per conſequens Pater veriori , & perfectiori modo eſſet eius Pater. Cùm ergo Deus ratione ſuæ ſummæ nobilitatis , actualitatis , & fœcunditatis producat de ſe ſolo , & toto æqualem ſibi per omnia , & naturaliter ; quia probatum eſt , quod ſit Deus in agendo , ſicut eſt in exiſtendo : veriſſimè Deus producens , ſeu generans, eſt perfectiſſimo modo *Pater* , & altera ſeu ſecunda Perſona producta , eſt perfectiſſimo modo *Filius* conſubſtantialis *Patri* , habens cum eo vnam, eamdemque naturam , & eſſentiam.

4. His congruit antiqua *Theologia* Philoſophorum, vt inferiùs oſtendemus. Vnum hîc *Orphei* afferam teſtimonium.

Dicam, inquit, *queis fas eſt, claudatur porta prophanis,*
Inque Dei Verbum *aſpiciens, huic ſemper adeſto.*
Deſigens animi altas luces, perge, viamque
Rectam, factoremque vnum, Nate, aſpice mundi,
Immortalem, quem Patrum fert fama priorum
Vnum, perfectum ſibi, tum perfici ab illo
Cætera, cumque illis verſari: non tamen vllis
Cerni animis hominum; ſed ſola mente videri.
Te, Cælum, obteſtor, ſapiens opus Omnipotentis.
Vocem te Patris adjuro, quam protulit ipſe,
Primùm conſiliis eius cum conſtitit orbis.

Vides enim quod agnoſcat Philoſophus ille *Patrem* æternum productorem, ſeu generatorem *Filij* ſui, quem vnum, perfectumque ſibi vocat, ſicut *Triſmegiſtus*, cum ait. *Monas genuit Monadem* Triſmegiſtus apud D. Thomam 1. p. q. cap. 1. vocat etiam *Verbum*, per quod omnia facta ſunt, cuius *Verbi* vocem appellat ipſum Orbem; quia eſt veluti *Echo* diuini *Verbi*.

CAPVT XII.

Quod in Deo eſt etiam tertia Perſona producta à Patre, *&* Filio, *quæ vocatur* Spiritus-ſanctus.

1. CVm Deus Optimus-Maximus, ſit ſubſtantia intellectualis, infinita, & in ſummo gradu actus, ac proinde infinitè actiua, vt ſuperiùs probauimus; neceſſe eſt in ipſo admittere duas actiones, quæ in omnibus ſubſtantiis intellectualibus admittuntur, ſcilicet intellectionem, & amorem: & ne-

mo ſanæ mentis poteſt dicere, Deum ſe non cognoſcere, neque ſeipſum amare; eſt enim æterna veritas, & ſummum bonum. Cum autem omnis actio ſit alicuius termini productiua, oportet vt duplex illa actio ſuum diſtinctum habeat terminum: intellectio enim diuina, habet pro termino *Verbum* diuinum, quod eſt expreſſa imago paternæ cognitionis; amor verò eſt terminus actionis voluntatis diuinæ, eſtque tertia perſona adorandæ *Trinitatis*, quam vocamus *Spiritum-ſanctum*; quia ad voluntatem ſpectat ſpiratio, & ſanctitas..

2. Quod confirmari poteſt ex eo quod, ſicut naturale eſt *Patri* diuino *Filium* generare, ita naturale eſt ei *Filium* amare; cum ſit infinitè bonus: & ſicut naturale eſt *Filio* à *Patre* generari, ita etiam eſt naturale ſibi *Patrem* amare.

Hinc ergo, cum omnis amor verus, & perfectus requirat neceſſariò amantem, amatum, & amare, & in Deo verus, & perfectus amor reperiatur; verè etiam in eo debemus admittere *Patrem* amantem filium, *Filium* amantem patrem, & *Amorem*, quo ſe mutuò inuicem amant. Cumque in Deo nullum poſſit reperiri accidens; quia, quicquid eſt in Deo, Deus eſt, vt probauimus: neceſſe eſt hunc *Amorem* eſſe Deum, ſeu Perſonam diuinam diſtinctam à *Patre*, & *Filio*, tanquam terminum à principio.

3. Quod autem in hac actione amandi *Pater*, & *Filius* ſint vniti, ſeu potius vnum principium eius, patet ex eo, quod vnitas eſſentiæ, & actionis, ſit major vnitate ſola eſſentiæ; ac proinde in Deo eſt admittenda, vbi non eſt termini, & principij oppoſitio. Nulla autem eſt oppoſitio talis in actione amandi inter Patrem, & Filium; quia ſimul amant ſe mutuò: ſed tantùm eſt oppoſitio iſtius termini *Amoris* cum ſuo principio: vnde debet eſſe tertia Perſona diuina diſtincta à *Patre*, & *Filio*, ſicut terminus à

principio ; quæ quidem Persona adæquat in omnibus principium suum , quod eam producit naturaliter, & secundùm totam virtutem infinitam productricem, quam habet.

Tandem non possunt admitti plures Personæ diuinæ, quàm hæ tres : tum quia duæ tantùm actiones sunt in Deo, nempe cognitio, & amor, cuius comes indiuidua est complacentia : tum quia quicquid est producibile per voluntatem, *Spiritus* est *sanctus.*

Sicut enim *Pater* Deus est generans ; sic *Filius* est Deus genitus , & *Spiritus-sanctus* Patris , & Filij amor , & quasi nexus , Deus est : & sic vterque , *Filius* , & *Spiritus-sanctus* infinitus est , sicut *Pater* infinitus est. Cui veritati concordat veterum Philosophorum sapientia , iuxta illud *Trismegisti* in Pymandro cap. 7. *Mens Deus vtriusque sexus fœcunditate plenissimus , vita , & lux , cum Verbo suo mentem alteram opificem peperit , qui quidem Deus ignis , atque Spiritus est numen.* Et Seneca lib. de Consol. ad Alb. *Id actum , mihi crede , ab illo , quisquis formator vniuersi fuit , siue Deus ille est omnium potens , siue incorporalis ratio ingentium operum artifex , siue diuinus Spiritus per omnia maxima & minima , aquali intensione diffusus.*

5. *Lullius* loco citato , non contemnendam affert similitudinem , qua vera ratio deprehenditur , cur tertia diuina Persona vocatur *Spiritus-sanctus.* Sic igitur *Lullius* de art. Fid. *Sicut quando duo homines mutuò & intimè diligunt sese , fit spirituum eorum communicatio , & quidam intimus , & æstuans eorum amoris impulsus , propter quod & illi dicuntur habere vnum spiritum , quia idem amant , & idem affectant , cum amicitiæ sit idem velle : Sic quia Pater amando Filium intima , & summa dilectione , cum sit summè bonus ; & Filius amando Patrem intima , & summa dilectione ad inuicem , in isto amore se communicant , seu producunt*

Perſonam procedentem per modum mutui amoris, & intimi. Hæc diuina Perſona dicitur Spiritus: quia, ſicut ſpiritus vitalis eſt nexus corporis & animæ: ſic, imò nobiliori modo, eſt Spiritus-ſanctus nexus Patris, & Filij.

6. Concludamus hoc caput per piam & deuotam precationem *Triſmegiſti* in Pymandr. cap. 13.

O vita! ô lux! à vobis in nos benedictio currit. Gratias habeo tibi, Pater, actus omnium poteſtatum. Gratias ago tibi, Deus, omnium poteſtas actuum. Verbum tuum per me te laudet, per me Mundus verborum recipit ſacrificium hoc: meæ vires clamant, totum cantant, voluntatem tuam perficiunt. O vita! totum, quod eſt in me, ſalua. O lux! totum illumina. Spiritus Deus, Verbum tuum me regit. Spiritifer Opifex, tu ſolus es Deus. Homo tuus hæc clamat per ignem, perque aërem, per aquam, perque terram, perque creata; ideo verborum offero ſacrificia. O Deus, tu Pater, tu Dominus, tuque Mens! accipe ſacrificia verborum, quæ requiris à me: te volente perficiuntur omnia.

Caput XIII.

Traditio veterum tùm Philoſophorum, cùm Sacrificatorum, circa myſterium adorandæ Trinitatis.

8. NOn mediocris erit confirmationis argumentum veritatis Catholicæ, traditio veterum, tùm Philoſophorum, cùm Sacrificatorum, ac proinde omnium gentium circa *Trinitatem* adorandam; cum hæc manifeſtè conuincat ab ipſo mundi exordio eamdem fuiſſe fidem, quæ nunc eſt circa præcipua eius myſteria, ſed quaſi in aperto Euangelicæ meridiei lumine declarata, quæ in lege Naturæ, & in lege

Mosaïca sub vmbris, & figuris occulta, & quasi velata erant, quæ nunc apertè reuelata sunt à *Christo Iesu.*

2. Certissimè constat sanctos Patriarchas primos fuisse sanctissimæ *Trinitatis* adoratores, vt iam superiùs dictum est, vbi de *Cabala*, seu traditione Hebræorum, & de adorando *Iehouæ* nomine egimus; quod & Scriptura sacra testatur, quando Abraham excepit tres illustres Angelos, seu potius personas, vices diuini Numinis gerentes, vt docet Ecclesia. *Tres enim vidit, & vnum adorauit*: vnde etiam in libro *Ietzirath*, seu *de Formatione*, quem Cabalistæ ipsi attribuunt Abrahamo, fit aperta mentio huius adorandi mysterij in hæc verba. *Semita prima vocatur Intelligentia admirabilis, & abscondita corona summa: est enim lumen dans intelligere primordialitatem sine principio, & est gloria prima; nulla enim creaturarum valet assequi essentiam eius. Secunda semita vocatur Intelligentia illuminans, & illa est corona creationis, & splendor vnitatis maximè æqualis, quæ suprà omne caput est exaltata, & vocatur gloria secunda. Tertia semita vocatur Intelligentia sanctificans, & est artifex, & Pater Fidei; quoniam de virtute eius fides emanat.* Genes. 17. Genes. 18.

Addam vnum Rabinorum *Simeonis*, & *Ionathæ*, qui apud Iudæos maximæ sunt authoritatis, testimonium, quod apertè declarat sanctissimæ *Trinitatis* confessionem in cap. 6. Esaiæ *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Sic enim Simeon & Ionathas Rabini explicant. *Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus.*

3. Huic Patriarcharum & Prophetarum confessioni addenda est quatuor Regum confessio publica *Trinitatis*, vt pulchre adnotauit *Abaillardus* Introd. ad Theolog. lib. 1. cap. 22. & 23. Primus eorum est Regius Propheta *Dauid* Psalm. 66. *Benedicat nos*

Deus, Deus noſter, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.

Secundus eſt *Salomon* Sap. 9. v. 17. *Senſum autem tuum quis ſciet? niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum-ſanctum tuum de Altiſſimis.* Tertius eſt *Nabuchodonoſor* Daniel 3. v. 92. *Ecce ego video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in illis, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.*

Quartus eſt *Dydimus* Rex Indorum in Epiſtola, quam ſcripſit ad Alexandrum : *Verbum Deus eſt, mundum creauit: hoc regit, atque alit omnia: hoc nos veneramur: hoc nos diligimus; ex hoc ſpiritum trahimus; ſiquidem ipſe Deus Spiritus, atque mens eſt.*

4. Conſtat etiam *Triſmegiſti, Pythagoræ, Platonis* omniumque Ægyptiorum, atque ſapientum Græcorum antiquiſſimam eam eſſe doctrinam, & quadam lege ſancitam de adoranda *Trinitate. Proclus* enim Platonis Theologiam explicans, aſſerit ipſum à Pythagoricis eam accepiſſe, & *Pythagoram* ab *Alaphemo*, & *Orpheo*; vnde ſacro-ſancta nomina, vnitatis, mentis, & boni elicit, primùm à Chaldæis, & Ægyptiis, nouiſſimè à Græcis celebrata.

5. *Triſmegiſtus* in Pymandro ait *Monadem, ſeu vnitatem genuiſſe Monadem, & in ſeipſum reflexiſſe ardorem.* Et poſtea. *Horum*, inquit, *vnio vita eſt; mens autem Deus, vtriuſque ſexus potentia fœcunditate pleniſſimus, vita & lux cum Verbo ſuo mentem alteram opificem peperit, cui quidem Ignis, atque Spiritus nomen.*

6. *Pythagoras* ſacram *Tetractim* venerandam, & colendam ſuis proponebat diſcipulis, vt ſuperiùs notauimus.

7. *Chaldæi*, inquit Fiſellus, *vnum aſſerebant eſſe Principium, quod bonum, & vnitatem appellabant; & tamen dicebant tria eſſe Principia, ſcilicet bonum,*

mentem, & animam; bonum Patri tribuentes, mentem Filio, animam Spiritui sancto.

Idem testatur, vbi agit de Theologia *Assyriorum*, eos colere paternam vnitatem, & in eius immensa abysso *Triadem.*

Addit *Zoroastrem* dicere ampliatam esse *Monadem*, quæ duo generat. *Duitas enim* inquit, *apud hanc sedet, & intellectualibus fulget sectionibus.* Vide quæ libro 2. diximus de Ægyptiorum mysteriis.

8. *Plato* epist. ad Dionysium. *De natura Primi loquendum est per ænigmata. Sic res se habet. Circa omnium Regem, omnia sunt, & ipsius gratia omnia existunt, illeque est causa omnium bonorum; secundum autem circa secunda, & tertium circa tertia.* Quæ quidem verba sic exponuntur à *Porphyrio* lib. 3. Historiæ, authore Cyrillo, lib 5. contra Iulianum. *Vsque ad tres subsistentias dicit Plato progredi diuinam essentiam, & esse quidem summè Deum bonum, post illum autem secundum conditorem, tertium verò mundi animam, à quâ vitam mutuantur vniuersa.*

9. *Calcidius* in Tymæum. *Origo*, inquit, *omnium est summus Deus, post quem prouidentia eius: secundus Deus lator legis, & vtriusque vitæ temporalis, & æternæ. Tertia est substantia, quæ secunda mens, intellectus dicitur, quasi quidam custos legis æternæ: itaque primus Deus iubet, secundus ordinat, tertius intimat.*

Plura vide apud *Augustinum Eugubinum* de perenni Philosophia, & consule, quæ superiùs diximus, lib. 2. de prænotionibus Christianæ Religionis in *Ægypto, Persida, India, Sina, Arabia, Gallia, Græcia*, &c.

Hæc enim apertè ostendunt mysterium illud adorandæ *Trinitatis* ab omnibus Gentibus, & populis fuisse præcognitum, sed sub vmbris, & ænigmatibus legis Naturæ.

PSALMVS
DE ADORANDA TRINITATE.

BEnedic nos Deus, Deus noſter, benedic nos Deus: & metuant te omnes fines terræ. Pſal. 66. v. vlt.

Poſuiſti tenebras latibulum tuum; tu es enim Deus abſconditus. Pſal. 17. v. 12. & Iſ. 42. v. 15.

Verùm tenebræ tuæ lux infinita: & nox tua pluſquam dies illuminatur. Pſal. 138. v. 9.

Dabis enim theſauros occultos, notitiam ſecretorum tuorum.

Vt ſciant omnes; quia nomen tibi Dominus, lucem habitans inacceſſibilem. Pſal. 82. v. 18.

Nouerim te, ſancta, & adoranda Trinitas, & indiuiſa Vnitas.

Adoro te vnum Deum in ſubſtantia, & trinum in perſonis.

Confiteor te Patrem ingenitum, Filium vnigenitum, & Spiritum-ſanctum ab vtroque procedentem, Deum tamen vnicum.

Tres enim ſunt, qui teſtimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus-ſanctus.

O Trina, non triplex Deitas! ô vna & ſimplex Trinitas!

O numerus ſine numero numerabiliter innumerabilis!

Tres colo Perſonas, & vnum Deum adoro, vnam naturam confiteor, vnam eſſentiam, vnam ſubſtantiam, & trinam perſonam.

O ſacra, & adoranda Dei Eccleſia, infinita vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate.

Tibi, Pater, æternitas fœcunda; tibi fœcunditas æterna conuenit.

Digitized by Google

Tu Principium sine principio, fons, & origo omnium cælestium, & terrestrium.

Fluat in me aliqua tui participatio entis, & tuæ constantiæ, æternitatis; ac potentiæ.

Te, Fili vnigenite, adoro, te lumen æternum colo.

Tu Veritas diuina, tu Sapientia, & Imago Patris, ac Verbum eius.

Te precor, illumina me tuo lumine; protege me tua veritate, & instrue me tua sapientia.

Da mihi diuinæ filiationis participationem, & adoptionem perfectam.

Te noscam, te amem, te exprimam; vt vox Verbi, per quod factus sum.

Te, Spiritus sancte, confiteor, & adoro.

Tu pondus æternum, & diuinus Amor procedens à Patre, & Filio, tanquam ab vno principio.

Da nosse, da amare te, Amor æterne.

Mihi enim tibi adhærere, bonum: ponere in te spem meam, dulce est mihi. Psal. 72. v. penult.

Quid ergo mihi est in cælo, & à te quid volui super terram? nihil præter te, Domine. Psal. 72.

Tu Deus cordis mei, tu pars mea, Deus, in æternũ tu es.

Nouerim te, ô beata Trinitas! amem te, adoranda vnitas!

Tibi laus, tibi gloria, decus, & imperium in sæcula.

Gloria Patri, & Filio, &c.

Caput XIV.

De recreatione, & reparatione humani generis per Christum Messiam.

1. Svperiùs, lib. 1. probauimus corruptionem naturæ humanæ per peccatum originale, & peccata actualia, quæ diuinam in nos iustitiam irritauerunt. Deus enim, sicut de suo bonus est, ita de nostro

iuſtus. Verùm, quia miſericordiſſimus, & optimus ſemper eſt, neque minus potens, & ſapiens; nouo quodam, & admirabili modo mundum purgauit ab erroribus, & à peccatis, & noua recreatione, & reparatione homines à vitiis expurgatos, ſuos filios adoptiuos effecit; ad quod ipſemet Filius Dei voluit fieri filius hominis, & reſtaurator humani generis factus homo.

Hic eſt *deſideratus cunctis gentibus*, qui quidem per diuinam reuelationem à Patriarchis præcognitus, à Prophetis prænuntiatus. Non autem tantùm à Iudæis expectatus, & creditus fuit venturus; ſed etiam in ipſa lege Naturæ, in omnibus fere orbis terrarum prouinciis, ſub variis imaginibus, figuris, & ænigmatibus adoratus fuit, vt lib. 2. & 3. oſtendimus.

3. Sed & Philoſophi eum inuocauerunt, & ad eum aſpirauerunt, vt ad viam ſalutis, vt ad veritatem æternam, vt ad vitam beatam.

Hinc enim *Triſmegiſtus* in Pymandro, cap. 3. de regeneratione: *O Fili*, inquit, *contemplatiua in ſilentio ſapientia! quid dicam Fili, quid dicam? Præter hoc non habeo quicquam quod verum cerno ſpectaculum. Vnde ſum iam in corpus immortale tranſlatus, ſumque non ille, qui prius fueram, ac mens nuper effectus, hoc myſterium non docetur. Dic age, quis eſt regenerationis author? Dei Filius homo vnius voluntate Dei.*

Hippocrates, in Mor. ſacro, *Porphyr.* apud Auguſt. lib. 10. de Ciuitate. *Deus*, inquit, *eſt, qui majora, & ſceleratiſſima peccata purgat, purificat, & liberatio noſtra exiſtit.* Sed & ipſe *Porphyrius*, eodem dicit Oraculo expreſſum, *principia poſſe purgare.*

Ariſtides apud *Alciatum* Embl. 8.

Omnes in triuio ſumus, atque hoc tramite vitæ
Fallimur, oſtendat ni Deus ipſe viam.

Sed & ipſemet *Ariſtoteles*, teſte *Cœlio Rhodigino*, lib. 17. cap. 34. ſentit *non eſſe Diis immorta-*

libus indecorum, hominis induere naturam, quâ ab erroribus reuocentur mortales : Vnde etiam *Plato*, lib. de Lege testatur, quod *si bestia per homines diriguntur, ipsi homines debent per Deum dirigi* : & idem Dialogo 4 *Deus profectò rerum omnium nobis sit mensura ; multóque magis, si quis, vt ferunt, homo est.* Et Dialogo 2. de Repub. præcognoscens Christi passionem, ait : *Iustus cædetur, torquebitur, & vincula patietur, eruentur illi oculi, atque demum omnia mala perpessus, in crucem tolletur.*

Cicero quoque, lib. 3. de Repub. *Non erit*, inquit, *alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed & apud omnes Gentes, & omni tempore vna lex Deus : ille legis huius inuentor, disceptator, & lator.* Plura vide superiùs, lib. 2. de prænotionibus Christianæ Religionis.

4. Conuenientissimum autem fuit diuinæ bonitati, iustitiæ, potentiæ, & omnibus Dei perfectionibus, naturam humanam reparare.

Primò, ne Dei frustraretur intentio, & finis ; creauit enim hominem ad diligendum, colendum, & intelligendum Deum, & vt ipse homo Deo frueretur, tanquam suo fine vltimo.

Secundò, ne tota humana natura, quasi in suo Natiuitatis vtero sepeliretur mortua, & extincta in primo parente.

Tertiò, ne omnes homines realiter damnarentur per vnius & alterius culpam, nempe primi parentis, &c.

Quartò, quia nemo satisfeciſſet diuinæ iustitiæ.

Quintò, nulla Dei misericordia in homines apparuiſſet.

Sextò, sapientia, & potentia, aliæque Dei perfectiones orbi terrarum non innotuiſſent.

Septimò, Dæmon, seu diabolus solus fuiſſet agnitus, & cultus, tanquam orbis terrarum Dominus, & Rex summus.

Octauò, nulla extitiſſet diſtinctio inter vitium, & virtutem; inter iuſtos iuſtitia morali, & impios; quia omnes fuiſſent damnati.

Nonò, mundi templum ad Dei gloriam exſtructum, deſtitutum fuiſſet Sacerdote.

Decimò, omnes creaturæ viſibiles fruſtra, & in vanum fuiſſent, vt pote fine ſuo priuatæ; quia per ſolum hominem, propter quem factæ ſunt, ad Deum poſſunt redire.

Vndecimò, cum ex *Philone*, & *Cuſano* homo ſit præcipua vox Dei Verbi, ſi periiſſent omnes homines, nec per ipſum fuiſſent reparati, ipſum *Verbum* diuinum, quaſi mutum fuiſſet ad extra, priuatum ſcilicet ſua voce præcipua, per quam ſe exprimit.

Duodecimò, vacua in æternum fuiſſent in cælo loca Angelorum rebellium.

5. Tandem lib. 2. & 3. oſtendimus ex traditione omnium fere Nationum, eamdem Fidem fuiſſe in lege Naturæ, & in lege Moſaïca, de raparatione generis humani per *Meſſiam* venturum, quam nunc tenet Eccleſia Chriſtiana. Vnde etiam Ægyptij ſub imagine *Serapidis*, cuius capiti Crux erat appoſita, *Chriſtum Meſſiam* venerabantur, dicente *Porphyrio* in lib. de Oracul. reſponſ. *hoc nomen fuiſſe inditum Deo, qui damonibus imperabat, eorum vim, & furias reprimendo, & homines ab eorum tyrannide liberando.* Cui etiam nominis conuenit etymon; nam *Serapis* apud Ægyptios, idem eſt, quod *Theraphim* apud Hebræos: *Theraphim* autem, ſeu *Tauraphaïm*, interpretatur, *ſignum Reſtauratoris.* Plura vide ſuperiùs, vbi de Religione *Ægyptiorum*, *Perſarum*, *Druidarum*, *&c.*

Digitized by Google

CAPVT XV.

De Incarnatione Filij Dei.

1. DIuus *Damascenus* vocat Incarnationem Filij Dei, *Nouum nouorum, & solum sub sole nouum; est enim miraculorum miraculum, Deus homo. Nihilominus illud est magnum pietatis Sacramentum*, secundum D. Paulum 1. ad Timoth. cap. 3. *quod manifestatum est in carne, iustificatum est in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est Gentibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. Cuius veritatis ratio est potentia, & voluntas operantis.*

Hic ostendamus hoc Mysterium non esse impossibile, sed potius conuenientissimum hominibus, toti Mundo glorioſissimum, & necessarium decus Fidei, vt *Tertullianus* testatur.

2. Quod autem *Incarnatio* non sit impossibilis, patet ex eo, quod nulla appareat contradictio, siue ex parte Dei, siue ex parte naturæ humanæ assumptæ à Dei filio, qui naturam hanc particularem in primo eius creationis instanti, vt in ea subsisteret, sibi vniens præoccupauit. Deus autem omnia potest, neque sacra eius majestas propter hoc aliquam patitur in se mutationem; sed tantùm natura humana ab eo trahitur, & extollitur ad excellentissimam vnionem per infinitam Dei potentiam, quæ multò plus præstare potest, quàm vllus possit intellectus concipere. Neque etiam vlla est contradictio ex parte naturæ humanæ, quæ cum verè, & realiter distinguatur à suo supposito, per virtutem, quam vocant *obedientialem*, potest pati, & recipere in se quamcumque alterationem, mutationem, & perfectionem Deus voluerit.

Confirmatur, quia sicut non repugnat, sed de

facto, vt probauimus, *in diuinitate*, inquit Albertus Magnus, *vna est essentia ac natura, & plures, seu tres personæ: ita in Christo è conuerso potest esse, & est verè vna persona, & tres essentiæ, nempè deitas, anima rationalis, & caro.* Hæc autem vnio diuinæ naturæ cum humana assumpta, & suppositata à Filio Dei, vocatur *Incarnatio* potiùs, quàm animatio, quatuor de causis. 1. Vt expressior fiat nominatio, & vt profundior explicetur dignatio miserentis. 2. Quia nobis magis nota est pars carnis. 3. Quia maior exprimitur humiliatio, eo quod magis à Deo distat caro. 4. Quia caro est à parentibus propagata, anima verò à Deo creata.

4. Quod verò diuini Verbi *Incarnatio* sit conuenientissima Deo, patet ex eo, quod hic modus humanæ Reparationis congruebat Reparatori, ex D. Thom. 3. p. quæst. 1 art. 1. quò magis declararet suam potentiam, suam sapientiam, & suam bonitatem: Potentiam in vnione perfectissima tantorum extremorum, infiniti cum finito, Dei cum creatura: Sapientiam in conjunctione primi, & vltimi Verbi Dei, quod est principium omnium, & naturæ humanæ, quæ in operibus sex dierum fuit vltima omnium creaturarum, idque ad perfectionem vniuersi. *Bonitatem*, qua creator voluit ita perfectè se communicare homini per vnionem hypostaticam, & per consequens generibus singulorum in vnitate personæ.

5. *Art. 2. ibid* Fuit etiam hic modus conuenientissimus homini reparando; quia corruerat in infirmitatem, ignorantiam, & malitiam; & per Incarnationem Deus factus homo, non tantùm hominem totum sanauit; sed seipsum ab eo reddidit imitabilem, cognoscibilem, & amabilem, & in forma serui procurauit serui salutem.

Adde quod *Christus* modo perfectissimo satisfecit diuinæ iustitiæ ex rigore iuris per suum meritum infinitum:

finitum: & ſummam miſericordiam erga hominem expendit. Hinc *Chriſtus*, niſi fuiſſet homo, non potuiſſet pati; & niſi fuiſſet Deus, non haberet infinitum meritum, neque pleniſſimè Deo ſatisfeciſſet.

6. Neque minor eſt vtilitas Incarnationis, quàm conuenientia; per hanc enim homo recuperat, idque abundanter, quod per peccatum amiſerat, ſcilicet. 1. Excellentiam ſuam; nam per peccatum factus fuerat ſimilis brutis animalibus, & per Incarnationem fit Deo ſimilis. 2. Mentis innocentiam, per ſatisfactionem copioſam, & infinitam Dei hominis de genere Adæ peccatoris: ille namque perfectè ſatisfacit, qui poteſt, & debet; ſed non poteſt, niſi Deus, non debet, niſi homo. 3. Amicitiam; quia mediator ille Deus homo *Chriſtus* vtrique parti conformis, & amicus eſt; *vnde per Incarnationem venit Deus in carnem*, inquit Alberbus Magnus, *tanquam Dominus ad ſeruos; vt eos corrigeret per potentiam: tanquam magiſter ad diſcipulos, vt eos inſtrueret per ſapientiam: & tanquam medicus ad ægrotos, vt eos ſanaret per bonitatem.*

7. Tandem *Incarnatio* toti mundo glorioſiſſima eſt, & perfectionem vniuerſi complet per ordinem admirabilem, in quantum per eam omnes creaturæ ad ſuum principium ineffabili modo reducuntur, eique vniuntur in Chriſto homine Deo. *Eſt enim homo quodam modo omnis creatura*, vt ait Diuus Gregorius, *in quantum habet commune eſſe cum lapidibus, viuere cum arboribus, ſentire cum animalibus, intelligere cum Angelis.* At ſic per naturam humanam diuinæ naturæ in perſona Filij Dei vnitatem, omnis creatura vnitur Deo, ſuo principio, & fini vltimo.

8. Itaque concludimus Incarnationem Filij Dei poſſibilem: quia non repugnat diuinæ majeſtati; quin potiùs mirabiliter commendat potentem, ſapientem, miſericordem, & iuſtam: nec repugnat

naturæ humanæ, quam ad ſummam eleuat dignitatem: non repugnat toti mundo, cui vltimam attexit perfectionem. Imo concludimus eam factam, vt Deo conuenientiſſimam, vt homini vtiliſſimam, vt vniuerſo orbi glorioſiſſiamam, vt ſuperiùs notauimus in probationibus Chriſtianæ veritatis; & quicumque eam negaret, tolleret vnicam ſpem totius orbis, & deſtrueret neceſſarium decus Fidei. Quantò videtur humano ſenſui, & conceptui difficilior; tantò eſt diuinæ majeſtati conformior, *cuius ſcilicet natura, bonitas; cuius voluntas, potentia: cuius opus, miſericordia.* Vt ait D. Leo ſerm. 2. de Natiuitate.

Caput XVI.

De Virginali Chriſti Conceptione.

1. *In communi omnium reparatione, decens fuit*, inquit Albertus Magnus, in Compendio Theologico, lib. 4. cap. 7. *vt fieret concurſus trium, de triplici Hierarchia, ſcilicet, diuina, Angelica, & humana.* Vnde in myſterio Incarnationis fuit concurſus *Angeli* nuntiantis, *Virginis* concipientis, & *Verbi* Dei carnem aſſumentis. Mox enim, vt Virgo Beatiſſima Maria, aſſenſum Angelo præbuit, dicens: *Fiat mihi ſecundùm Verbum tuum*, Spiritus-ſanctus ſuper eam venit, atque Filium Dei concepit ipſa, & tunc impleta eſt Prophetia Iſaiæ 45. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*, hoc eſt, *nobiſcum Deus*, & aliæ ſuperiùs allatæ, lib. 3.

Luc. 1. v. 38.

Iſ. cap. 7.

2. Cuius futuri Myſterij fuit antiqua inter gentes traditio, vt lib. 2. iam vidimus, nec ab ipſis Philo-

sophis contrarium rationi visum est; nam *Plutarchus* in Numa. *Non absurdè*, inquit, *reputantur Ægyptij digerere, quod nihil prohibeat Spiritum Dei in mulierem illapsum principia generationis indere.* Et συμποσιακῶν 8. Problemat. 1. sub finem. *Non æstimo esse absurdum, Deum non humano more cum muliere congredientem; sed sanctiore accessu, contactuque eam diuino implere semine.* Et Macrobius, lib. 1. in somnium Scipionis, §. 6. *Nulli aptius iungitur Monas incorrupta, quàm Virgini.* Certè apud *Elios* cernebatur sacellum dicatum *Palladi Virgini Matri.* Romæ quoque aliud erat simile dicatum *Vestæ Matri Virgini*: Hesichius etiam, & Fauorinus *Matrem Deorum* vocant *sacram Virginem*; vnde Ouidius. 5. Fastorum.

Si Pater est factus, neglecto conjugis vsu,
Iupiter, & solus nomen vtrumque tenet.

3. Sed quænam est illa *Virgo*, & *Mater* Deorum, quam veteres vocabant *Maiam*? Nonne est *Maria Virgo*, & *Mater Dei*, quam per traditionem Hebræorum didicerant parituram *Iesum* Filium Dei? Quod mysterium vt sacratius, & occultius foret, in vtroque nomine *Iesu*, & *Mariæ*, tacebant vnam litterarum, scilicet *Sch*, seu S. in *Iesu*, & R. in *Maria*, vt superiùs notauimus, cap. 26. lib. 2.

Boëtius testatur repertam fuisse laminam auream in *Platonis* tumulo, in qua hæc verba insculpta erant. *Credo in Filium Dei nasciturum de Virgine, passurum pro humano genere, & die tertia surrecturum.* Sed, quod excedit communem admirationem; sicut iam tertio libro notauimus, cap. 10. *Iesu* nomen Hebrïcum ישו, continet in se numerum *Patris*, & Matris Dei *Mariæ*; nam *Iehoua* reddit 26. & מירים *Miriam* seu *Maria* 290. qui duo numeri simul iuncti conficiunt 316. qui est numerus ישו *Iesu.*

Vt autem, inquit Rapinius lib. de effigie Iesu

Chriſti tract 1. cap. 11. *hoc admirandum ſalutis myſterium nobis creditu facilius foret: Deus à mundi creatione non tantùm per figuras, & prophetias illud nobis pranuntiauit; ſed etiam præfigurauit in ipſamet natura triplici, cæleſti, elementari, & viuente, apponens virginalis Chriſti conceptionis inſignia in eminentioribus locis palatij mundi, quod ſuo Filio de Virgine naſcituro præparabat: quaſi præludens Deus in ipſa natura, & prænotans, quid in fine ſæculorum erat acturus pro humani generis reparatione. Quid enim aliud indicare voluit per Gigantem illum ſtellatum extenſis manibus, genuflexum, & altero pede calcantem draconem, niſi* Ieſum, *qui, vt* Gigas, *exultauit ad currendam viam: vt* Hercules *verus monſtra inferni domuit, in cruce manus extendit, in horto Patrem genuflexus orauit: cui ideo debetur victoriæ corona, quæ etiam cernitur in firmamento compoſita ex nouem micantibus ſtellis, quæ ſunt inter illum victorem, & draconem victum? An non etiam ſignatur eius Mater per conſtellationem Virginis tenentis ſpicas in manu, & lugentis mortem ſui Patris, ac Filij pariter? Patris, inquam, in quantum Deus eſt: Filij, in quantum homo, qui ſeipſum erat nobis daturus ſub ſpecie frumenti?* In qua conſtellatione *Albumaſar* Chaldæus tractatu 6. Introductorij, vidit aliud ſignum primum explicans his verbis: *Aſcendit*, inquit, *in prima facie illius ſigni Virgo pulchra, & honeſta, habens in manu ſua duas ſpicas: nutrit puerum, & vocat ipſum puerum quædam gens*, Ieſum, *& aſcendit cum ea ſtella Virginis.* Addit Albertus in Speculo apud Sixtum Senenſem Bibliot. lib. 6. *Nos autem ſcimus, quod ſub aſcendente natus fuit Dominus noſter Ieſus-Chriſtus.*

Hæc ſatis ſint de inſigniis Chriſti conceptionis virginalis in cæleſti natura.

Quoad elementarem, & viuentem, *Salamandra* naſcitur è *Veſta* virgine, ſeu ex igne, & igne nutri-

Digitized by Google

tur; vt sciamus ignem diuinæ charitatis suam habere fœcunditatem.

Plinius lib. 2. cap. 25. ait *quemdam apparuisse Cometam candidum, argenteo colore ita refulgentem, vt vix posset videri, specie humana effigiem Dei in se ostendentem*: fortè de stella, quæ Magis apparuit, loquitur, de qua Calcidius in Tymæum Platonis. *Recentem*, inquit, *Dei ortum, stella eis indicauit, reperta-que illa majestate puerili, illam venerati sunt, & vota Deo tanto conuenientia obtulerunt. Vultures*, teste Ambrosio lib. 5. Exameron cap. 20. *ex aëre virgine concipiuntur. Apes omnes virgines nascuntur de matribus virginibus secundùm omnes Naturalistas.* Vnde Virgil. Georg. 4.

Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora seque
In Venerem soluunt, aut fœtus nixibus edunt.

Tandem mella concipiunt per Solis radios, fœcundantes guttam sanguinis, quam de corde in ventrem suum effundunt, vt volunt *Aristoteles* libro 6. de natur. animal. & *Pomerius* parte 7. art. 3. cap. 2.

5. *Pisces item plerique*, inquit Anastasius Sinaita in Hexameron, *sine semine, ex aqua, & spiritu pariunt propriè, & sine dubitatione: eo exemplo significantes spiritualem, sine semine nostram ex aqua, & spiritu generationem.* Vnde teste Tertulliano lib. de Baptismo, *Ab ipso mundi primordio, ab eo, qui superferebatur spiritu, aqua, sen id, quod ferebat, sanctitatem mutuabat.*

Certum est etiam *Vniones* produci è rore cœlesti, per Solis radios, in *Concha* Virgine, sicut & pleraque animalia.

6. Concludamus ergo cum iam citato *Anastasio Sinaita* lib. 5. Exameron. *Quod si omnium Dei creaturarum vilissima, scilicet vermis, sine semine natus est ex pinguedine terræ, præfigurans vterum Virgineum*

Deipara gloriosæ, atteſtante Dauide Pſal. 21. *in Chriſti perſona, & dicente, Ego ſum vermis, & non homo, hoc eſt, ſine ſemine generatus, ſicut vermis. Ne de cætero dubitaueris, neque incredulus fueris de præſtantiſſimis, quod fuerint omnes figuræ Chriſti: interroga iumenta Cappadociæ, quæ ſpiritu concipiunt, teſte Auguſtino, docebunt te: Volatilia Cæli, & indicabant tibi. Loquere terræ, & reſpondebit tibi: & narrabunt tibi piſces maris poſſibilem eſſe Conceptionem virginalem Chriſti Dei; cum plures fiant creaturarum conceptiones ſine ſemine, vt exemplis monſtratum eſt.*

Caput XVII.

De admirabili Chriſti *Natiuitate, per omnes creaturarum ordines ſignata.*

Iſa. 9. 6. 1. *Paruulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius, & vocabitur magni conſilij Angelus.* Ecce ſtupendum hoc myſterium, partus ſcilicet Virginis, & noua Dei natiuitas inter homines; non temeratiè credita, ſed potiùs ſolidiſſimè fundata; non tantùm oraculis Propheticis, per antiqua omnium nationum traditione, Patriarcharum, & Philoſophorum, Poëtarum, & Hiſtoricorum verbis, & ſcriptis, quatuor Euangeliſtarum relatione fideli, & totius orbis conuerſione mirabili; ſed etiam prodigioſo omnium creaturarum teſtimonio veriſſimè, & conſtantiſſimè firmata.

2. Nam 1. Cælum hanc veritatem teſtatum eſt, cum circa tempus Chriſti Natiuitatis, in Oriente tres *Solis* imagines apparuerunt, quæ in vnum Solem coaluerunt, *ex Diod. lib. 4. cap. 7. & Plinio lib. 2. cap. 3.* Lepido, & Panſa Conſulibus; quia Trinitatis myſterium per Chriſtum manifeſtandum erat. Et i-

Occidente secundùm Orosium *Sybilla*, quam Octauianus Augustus consuluerat de cultu sibi à Romanis oblato, petiit ab eo tempus trium dierum, vt Deum consuleret, ac media in oratione, vidit circa Solem circulum aureum, & in medio circuli *Virginem* Puerum tenentem in vlnis, cum hac aurea inscriptione, *Hæc est ara Filij Dei viuentis.* Quod portentum cum Imperatori monstrasset, ipse Puerum flexis genibus adorauit in eo loco, vbi postea *Constantinus* Imperator Ecclesiam sub nomine *Ara Cæli* construi fecit, sed & respuit nomen *Domini* sibi oblatum.

Visi sunt etiam Romæ, teste Baronio in Præfat. Annal. *tres circuli circa Solem, & in eorum medio igneæ spicarum coronæ.*

Similiter in *Sinarum* regno, teste Martinio lib. 10. multa acciderunt prodigia. *Stellæ de Cælo lapsæ sunt. Ingens Cometa visus est. Audita vox est in palatio Imperatorie prorsus insolita pulsati tympani, sonum referens adeo vehementem, vt ad extremam vsque palatij portam se diffuderit. Et Imperator N. Gaius suum mutauit nomen in* Pingum, id est, *Pacificum*: sicut etiam Romanus Imperator, *Martis*, vel potius *Iani* templo cluso, *Pacis* templum dedicauit, prouidentia mirabili; eo enim tempore id factum est, quo *Christus Rex pacificus* in terras venit, Pacem Cœlo, soloque allaturus.

3. *Ignis* testatus est Christi natiuitatem, ex Petro Equilino, & Hieron. cum in ipsa nocte Natiuitatis omnes *Sodomitas* deuorauit, ne Incarnatæ diuinæ puritati horrorem afferrent.

Aër testatus est, cum nouam stellam, seu admirandum signum *Magis* orantibus in monte exhibuit, *ex Chrysostomo.*

Aqua testata est, cum Romæ è fonte qui est trans Tyberim, defluxit oleum tota die, & nocte, *secundùm Eusebium, & Orosium.*

Terra teſtata eſt contremiſcens,& corruere faciens Idolorum fana , & ſtatuas fulmine percuſſas. Ipſi dæmones teſtati ſunt , cum *Apollo Delphicus* interrogatus de cauſa ſilentij ſui reſpondit :

Me Puer Hebræus , diuos Deus ipſe gubernans ,
Cedere ſede iubet, triſtemque ſubire ſub Orcum.

4. Adde , quod teſtatur *Bartholomæus* in ipſa nocte Natiuitatis, vineas *Engaddi* protuliſſe ſimul frondes, flores, & fructum. Teſtatur etiam Petrus Equilinus, & expertus eſt faſciculum *Pollionis* ſiccum & collectum à ſe ipſo vigeſima die Iunij præcedentis, reuiteſcentem apparuiſſe ipſa nocte media Natiuitatis, in ipſo altari poſitum, vbi *Miſſa* celebrabatur.

Tandem ipſi *Angeli* teſtati ſunt ; cum paſtoribus apparuerunt , & hymnum cæleſtem perſonuerunt: nec-non & ipſi *Reges* terræ, cum relictis Prouinciis, duce ſtella petierunt Bethleem, & recens nato cælorum Regi munera obtulerunt , vt refert *Calcidius Platonicus* loco citato, & alij : ac ipſemet *Herodes* noui Regis natiuitatem vbique patefecit, cum *Innocentes* occidi iuſſit.

5. Certè Diuus Gregorius Homil. 10. in Euangelia, hoc vtitur argumento ad confirmandam Chriſti Natiuitatem & Diuinitatem in hæc verba. *Omnia*, inquit , *elementa authorem ſuum veniſſe teſtata ſunt. Deum hunc Cæli eſſe cognouerunt ; quia ſtellam protinus miſerunt. Mare cognouit ; quia ſub plantis eius calcabile ſe præbuit. Terra cognouit ; quia eo moriente contremuit. Sol cognouit ; quia lucis ſua radios abſcondit. Saxa , & parietes agnouerunt ; quia tempore mortis eius ſciſſa ſunt. Infernus agnouit ; quia hos, quos tenebat mortuos , reddidit ; & tamen hunc , quem omnia elementa inſenſibilia Dominum ſenſerunt , adhuc infidelium corda Deum eſſe minimè cognoſcunt , & duriora ſaxis ſcindi ad pœnitendum nolunt.*

CAPVT XVIII.

De conuenientia circumstantiarum Natiuitatis, & Vitæ Christi.

1. NOn tantùm in Christi Incarnatione, Natiuitate, & vita admiranda, apparent Dei benignitas, sapientia, & potentia; sed in omnibus circumstantiis, quæ eius naturam, & vitam comitantur; vnde etiam omnes illæ, & singulæ fideliter prænuntiatæ sunt à Prophetis, vt lib. 3. vidimus. Et certe cum rerum natura sit nobis occulta, non apprehenditur ab intellectu humano, nisi per accidentia quæ ipsam sequuntur, & *nihil est in intellectu, quod non fuerit prius in sensu*, iuxta Philosophicum axioma. Vnde adnotandæ sunt mysteriorum nostrorum circumstantiæ, ad eorum ampliorem notitiam; quia in seipsis occultam habent diuinam sapientiam, & benignitatem, itaut vnaquæque earum etiam pro mysterio haberi debeat.

2. Prima itaque *Natiuitatis* adnotanda circumstantia est, quod Deus nascitur viator, vt nobis viatoribus ipse occurrat directurus viam nostram ad Cælum, vnde exiit.

2. Christo nascituro mundus describitur; *quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate.*

3. Nascitur in *Bethleem*, quod interpretatur, *domus panis*; quia est *Panis viuus, qui de cælo descendit*, & frumentum electorum.

4. Fœno iacere pertulit; vt fructus sacer vitæ arboris matureſceret in palea.

5. Non in parentum domo, sed in via nascitur; vt nobis ostenderet, se per humanitatem assumptam,

quasi in alieno nasci, qui ab æterno in Patris sinu sibi proprio natus erat.

Luc. 2. v. 7. 6. *Non erat ei locus in diuersorio.* Quia cum sit Deus nullibi potest ei esse locus, quia immensus est.

7. Media nocte nascitur; tum ad exprimendam incomprehensibilitatem suæ natiuitatis, siue æternæ in sinu *Patris*, siue temporalis in sinu matris *Virginis*; tum quia non potest dici in lucem editus, quia ipse lux est æterna, quæ nascens inter homines, tenebris humanitatis obtecta, & obtenebrata est.

8. In *solstitio* natus est, vt lux ab eodem inciperet hominibus, & diebus.

9. *Agnus* statim natus agnoscitur à pastoribus, & ipse Pastor primas sibi oues pastores elegit.

10. Tandem, inquit Albertus, serm. 5. de Natiuit. *Iacet Deus in præsepio, quasi quidam Adamas trahens ad se per charitatem iumenta, Pastores, & Reges.*

3. *Iesus Christus* octauo Natiuitatis die, voluit, sicut verus *Abrahæ filius*, circumcidi.

1. Vt Legem, quam dederat, vt sanctam compleret.

2. Vt humilitatem doceret, apparens in similitudinem carnis peccati.

3. Vt Redemptionem hominum anticiparet, & quasi præluderet, impellente charitate.

4. Vt spiritualem circumcisionem, & abnegationem nobis necessariam ostenderet.

5. Vt veritatem assumptæ carnis demonstraret.

6. Ne Iudæi scandalizarentur de eo non circumciso.

4. Verùm; quia pro nobis Christus exinaniuit

Philip. 2. semetipsum factus obediens Patri vsque ad sanguinis effusionem, ideo Deus Pater *Exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in nomine Iesu omne genu flectatur.* Illud est sacrosanctum nomen, de quo superiùs lib. 3. quod no-

Digitized by Google

men ab ipso *Patre* nominatum est, nominis *Iehoua* expressiuum, præfiguratum ab antiquis, *Iosue* scilicet, & *Iesu* filio Iosedech, nec-non & à *Iosepho* prorege, & Saluatore Ægypti: à Prophetis desideratum, à Patriarchis, & Regibus propheratum, ab Angelo prænuntiatum, à Virgine matre impositum, & prædicatum ab Apostolis, magnificatum à Martyribus, à Virginibus prægustatum, vt oleum, ex quo fit lux, cibus, medicina, iuxta illud Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum*. Ab omnibus Sanctis exaltatum, & ab ipsis dæmonibus formidatum, & adoratum, nec-non ad omnia miracula edenda præpotentissimum.

5. Vnde non mirum; si splendidissima lux huius nominis vsque ad *Orientem* peruenit, *Magos*, seu Reges euocans ad præsepe, vt sua sceptra, & regna subderent *Iesu*, Regi regum recens nato: & ad *Occidentem* vsque, vnde adduxit legatos Regis *Carnotensis*, & *Druidarum*, secundùm *Rouillardum* in sua Parthenia, qui suam vrbem, & suas prouincias similiter eidem summo Imperatori Cæli, & Terræ dicarent, vt *lib.* 2. notatum fuit.

Hinc vides quod *à Solis ortu, vsque ad Occasum laudabile est nomen Domini*. Psal. 112. v. 3.

6. Quia verò, *Qui malè agit, odit lucem*. Ideo *Herodes* impius timens, ne mala eius opera apparerent, voluit nascentem lucem extinguere crudeli consilio, & decreto detestabili occidendi omnes pueros Bethleem, & vicinorum locorum recens natos, seu *à bimatu, & infra*; vt puer *Iesus* à Magis adoratus, quem didicerat regnaturum super Israël, necaretur. Verùm non est consilium contra Dominum, qui fraudauit tyrannum vana spe occisionis filij sui Saluatoris mundi, & per tam crudele factum, manifestauit toti mundo nouum noui Regis ortum in mundo, nec-non pueris *Innocentibus* concessit glo- Ioan. 3. v. 30.

rioſam Martyrij palmam. *Vnde profanus hoſtis*, inquit Auguſtinus *numquam beatis paruulis tantùm prodeſſe potuiſſet obſequio, quantum profuit odio; ſi quidem ante vitæ perpetuæ adepti ſunt dignitatem, quàm vſuram præſentis acceperint.* Ei certè *Innocentes illi debebantur victimæ, qui venerat damnare mundi malitiam: & Agni debebant immolari; quia Agnus futurus erat crucifigi, qui tollit peccata mundi.*

7. Sol ille iuſtitiæ nouos, & ſplendidiores lucis ſuæ radios emiſit, cum impletis diebus purgationis matris Virginis *Mariæ*, ſecundùm legem Moyſi delatus eſt per ſuam *Auroram* matrem in Templum Ieruſalem, vt Domino oblatum eum ſiſterent parentes eius: *Tunc enim non ſolùm*, inquit Ambroſius in cap. 2. Lucæ, *ab Angelis, & Prophetis, & Paſtoribus, ſed etiam à ſenioribus, & iuſtis generatio Domini accepit teſtimonium, & omnis ætas, ac vterque ſexus, euentorumque miracula fidem aſtruunt. Virgo generat, ſterilis parit, mutus loquitur, Elizabeth prophetat. Magus adorat, vtero clauſus Ioannes exultat, Vidua confitetur, iuſtus Simeon expectat, ac tandem ardentis deſiderij ſpe non fruſtratur; ſed accipiens puerum Ieſum in manibus benedixit Dominum, ſimulque confitetur, & prophetat, dicens: Viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël*, &c. Luc. 2.

CAPVT XIX.

De aliis circumſtantiis vitæ Chriſti.

1. *OMnis actio, omnis item ſermo Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti*, inquit Baſilius, *excolendæ pietatis, virtutiſque obeundæ regula eſt*, lib. conſt. Monaſt.

Digitized by Google

cap. 2. n. 2. Propter hoc enim naturam suscepit humanam, vt in se, velut in tabula quadam, veram nobis pietatem, atque virtutem depingeret. Ideò annos natus duodecim voluit inter Doctores in templo medius apparere: vt Doctorum Magister nouam eos Euangelicæ legis Doctrinam edoceret, & verbo, & exemplo. Ideo etiam diuinum habemus à *Patre* mandatum ipsum audire. Verùm cum exempla plus moueant, quàm verba, per triginta circiter annos *Verbum* illud diuinum se expressit tacens vocibus, & occultum mundo, & tamen clamans, & prædicans fortiter factis, atque omnium virtutum praxi, *cœpit enim facere, & docere*; Act. 1. Tandem faciens, & operans docuit obedientiam erga Parentes; quando *fuit subditus illis*. Docuit humilitatem, tanquam omnium virtutum fundamentum, dicens: *discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Docuit legis diuinæ obseruationem, diebus festis templum frequentans. Docuit zelum diuinæ gloriæ, ac simul parentum, & omnium rerum abnegationem, pauperem vitam degens, & dicens parentibus; *quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Docuit in sudore vultus manducare panem, iuxta illud Mat. 13. & Marc. 6. *nonne hic est faber, & filius fabri?* Docuit abiectionem quærendam, & bonum exemplum dare proximo; cum baptizandus cum aliis accessit ad Ioannem, & regnum terrenum sibi oblatum ab omni populo respuit. Io. 8.

Luc 2. v. 51. Matth. 11. v. 29. Luc. 2. v. 50. Luc. 3.

2. Nec solùm plebis extitit *Doctor*, sed etiam Doctorum, & eorum, qui eius Ecclesiæ præesse debebant: ideo enim adsciuit, & adiunxit sibi duodecim Apostolos iuxtà mysticum numerum principum tribuum Israël; & septuaginta duos discipulos ad Mosis exemplum, cum quibus communem, sed pauperem, & innocentem vitam degit, quibus se præbuit verum & viuum exemplar virtutum Apostolica-

rum, charitatis proximi, diuinæ legis zeli, paupertatis Euangelicæ, benignitatis, patientis, & amoris Dei, Ieiunij, & Orationis, ſanctæ ſolitudinis, piæ ſollicitudinis, prædicationis diuini verbi, & aliarum, quæ notantur in eius vita.

3. Eius etiam *Miracula* ſtupenda profundam in ſe continent eruditionem; cum enim aquam in vinum conuertit, præluſit ac prænotauit diuinam *Euchariſtiam*, & diſpoſuit nos ad fidem tanti myſterij; probauit, & ſanctificauit *Matrimonium* fidelium, & docuit non dedignari pauperes, cum cæcos illuminauit; eis etiam interiores oculos mentis aperuit, vt illum, verum *lumen de lumine* viderent.

Similiter tactu ſaliuæ ſurdorum aures aperiens, diuina ſua ſapientia penetrauit, interiorem animæ auditum, docibilem ad fidem reddens; cum paralyticos, & claudos ſanauit, interiorem paralyſim expulit; cum lepra corporea ſimul ſpiritalem curauit; cum ſuſcitauit mortuos, etiam animas lethali peccato damnatas ad vitam gratiæ reduxit. Cum panes in deſerto multiplicauit, ſymbolum præbuit admirandæ multiplicationis frumenti Electorum in *Euchariſtia* inſtituenda: cum ſedat tempeſtates, ventis imperans, & mari, eorum ſe oſtendit Dominum, & prænuntiat ſuæ nauem Eccleſiæ, licet perſecutionibus agitatam, & fluctuantem, numquam tamen perituram.

Dicamus ergo cum Tertulliano aduerſus Praxeam, quod *Chriſtus ſecundùm hæc Vicarium ſe Patris oſtendit, per quem Pater & videretur in factis, & audiretur in verbis, & cognoſceretur in Filio, facta, & verba Dei Patris adminiſtrante.*

Addo, *& amaretur in Imagine; quare non credis, quod ipſe in Patre eſt, & Pater in illo? Si illi non credis, ſaltem operibus eius ſtupendis crede, quæ ipſum omnipotentem, ſapientiſſimum, & optimum prædicant.*

Digitized by Google

CAPVT XX.

De Passione, *& morte Domini nostri Iesu Christi.*

1. MAgnum sanè est sacramentum Christi Passionis, *quo scilicet*, inquit Chrysostomus, hom. 6. de quinta feria Passionis, *actum est vt author sæculi sæculo teste morereretur, & à mundo, mundi Dominus nosceretur ante per pœnam, quàm per gloriam. Pax cæli traditur doli osculo, tenetur tenens omnia, alligatur omnium nexus, ducitur attrahens vniuersa: à falso veritas accusatur: sistitur, cui assistunt omnia: flagellatur remissio, condemnatur venia, illuditur majestas, irridetur virtus, perfunditur largitor imbrium, sputis, clauis ferreis, cœli strator affigitur; mellis dator cibatur felle; propinator fontium potatur aceto. Quis credidit auditui nostro? & tamen passus est impassibilis, & immortalis mortem subiit; quis sapiens, & custodiet hæc? & intelliget misericordias Domini.*

2. Christum prædicare crucifixum, *gentibus videri stultitiam, Iudæis scandalum, fidelibus autem virtutem, & Dei sapientiam summam*, testatur Apostolus. 1. Cor. 1. Sed intelligendum est de gentibus, *quæ cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt*, & Iudæis, qui secundum Stephanum, *semper Spiritui sancto resistebant*: Alioquin, vt superiùs vidimus, sancti Patriarchæ hoc magnum pietatis sacramentum crediderunt, hoc sancti Prophetæ prænuntiarunt, hoc Philosophi, & gentium Doctores, ac Sacerdotes traditione à sanctis Patriarchis accepta tenuerunt. Christus enim in figuris occisus est ab origine mundi in *Abel* à fratre occiso per inuidiam, cuius, omniumque hominum parens *Adam* post reuelationem diuinam defutura reparatione per Christi

mortem, voluit pœnitentiam agere, & ſepeliri in eodem *Caluariæ* monte, vbi crucifigendus erat Redemptor hominum, ſecundum Tertullianum, Origenem, Hieronymum, Chryſoſtomum, & alios.

Ioan. 8. v. 59. 3. *Abraham* ergo vidit Chriſti diem, & gauiſus eſt de futura Redemptione generis humani; & filium ſuum *Iſaac* diuino iuſſu in eodem monte obtulit in ſacrificium, præludens & præſignans illud myſterium. *Iacob* expectauit ſalutare Dei, ſeu *Ieſum*, & illum præuidit, & prædixit accubiturum, vt Leonem. *Ioſeph* venditus à fratribus, miſſus in lacum, & in carcerem, & poſtea quaſi rediuiuus Ægyptum regens, & *Saluator* cognominatus, illum præſignauit. Idem dicendum de *Iob*, *Moyſe*, *Ioſue*, *Samſone*, *Daniele*, & aliis: Omnes etiam Prophetæ non ſolùm eius paſſionem, & mortem prædixerunt; ſed etiam, iuxta *Granatum in Catech.* ſingulas paſſionis, & mortis circumſtantias, quæ omnia ſuperiori libro adnotauimus. Sed & vetus erat conſuetudo Hebræorum, benedictionem conferre per formationem ſigni *Crucis*, vt *Iacob* benedixit filios Ioſeph, Ephraim, & Manaſſe, & ſignum *Tau*, quod eſt ſalutis ſignum apud Prophetas, præcipuè Ezechielem cap. 9. v. 4. *ſigna Tau ſuper frontes gementium virorum, & dolentium ſuper cunctis abominationibus*, &c. & v. 6. *Omnem, ſuper quem videritis Tau, ne occidatis.* Signum, inquam, illud, quod eſt vltima littera Alphabeti Hebraïci in veteri Alphabeto, quod eſt deſumptum ex numiſmatibus ante Eſdram, formatur in modum Crucis hoc modo. Et in Alphabeto Rabbi *Azariæ* in modum litteræ X. quæ eſt Characteriſtica nominis *Chriſti*. Vide quæ ſuperiùs ſcripſimus de Prænotionibus Chriſtianæ Religionis in lege Naturæ.

4. Notauimus enim, quod apud Ægyptios *Ieſus-Chriſtus* crucifixus, fuit adoratus ſub imaginibus *Iſidis*, & *Serapidis*, ad quarum pedes, & ſuper frontem

tem *Crux* erat insculpta : & firmiter tenebant *Ægyptij & Coptæ*, *Thau*, seu *Crucem*, tanquam vitæ futuræ symbolum ; vnde etiam *Trismegistus* multa præclara docet suum filium *Tatium* de futura reparatione, & regeneratione. *Arabes* quoque, *Persæ*, *Indi*, & *Sinenses* hoc magnum Redemptionis humanæ mysterium agnouerunt : & *Martinius* lib 4. historiæ Sinensis testatur Philosophum *Confusium* præuidisse, & prædixisse Dei filium Redemptorem incarnandum, nec-non & tempus completionis huius mysterij in *Kilin*, seu mystico Agno occiso.

5. *Druidæ* quoque præuiderunt, & adorauerunt *Christum* Redemptorem natum ex Virgine, & Cruci affixum pro criminum purgatione ; idque nomina *Heus*, seu *Existens*, vel *Iesus*, *Taramis*, seu *Mundans & expurgans hominem*, & *Belenus*, seu *Deus-homo* satis demonstrant : sicut & magnum eorum sacrificium, quod prima die *Veneris* cuiusque anni offerebant ad pedes Quercus scissæ in modum *Crucis ex qua decerpebant Viscum*, Gallice Guy, quem populo dantes, dicebant : *Accipite signum electionis, munus de cœlo missum, remedium omnium malorum* Hanc veritatem præsignabat. Plura vide superiùs, sicut & Philosophorum testimonia, & Prophetarum.

6. Quia autem *Crucis* salutiferæ mysterium ita necessarium est ad salutem, Deus illud voluit ab ipso mundi exordio prænotare, præfigurare, prædicare, & in ipsa natura insculpere. Omnis enim fere creatura corporea, cœlestis, elementaris, & viuens, crucem format ; cœlum suis aduersis motibus, elementa quaternario suo numero, homo sua figura : & multæ diuersis in locis imagines Christi crucifixi inuentæ sunt, ab ipso naturæ Authore strenuissimè depictæ in lapidibus, in gemmis, in arboribus, de quibus *Lipsium de Cruce*, & alios consule.

Digitized by Google

7. Quod autem myſterium illud Chriſti paſſionis & mortis non ſit impoſſibile, ſuperius probauimus vbi de *Incarnatione*. Si enim Deus potuit incarnari, potuit & pati, & mori; quia, vt ait Seneca, *certum eſt vitam, mortemque per vices ire, & compoſita diſſolui, & diſſoluta componi, omne humanum genus quodcumque eſt, quodcumque erit morte damnatum eſt.* Ergo *etiam potius mori debuit, qui incarnatus eſt, moriturus pro homine ab æterna morte liberando: & certè nihil nobis eum naſci, niſi & redimi profuiſſet,* ait D. Gregorius.

8. Vnde *Raymundus Lullius de articulis Fidei*, probat quod Dominus Ieſus Chriſtus debuit mori his rationibus.

1. *Quia quantò plus aliqua creatura exaltata eſt à Deo; tantò debet eſſe humilior, ſubiectior, & ad obediendum Deo promptior: ergo natura humana, quæ elevata eſt ad vnionem hypoſtaticam in Chriſto, debuit per ſui perfectiſſimam abnegationem, obedientiam, & exinanitionem mortis Crucis, Deum glorificare humilitate, & obedientia perfectiſſima.*

2. *Quia non potuit Chriſtus perfectiori modo ex ſtrictiſſimo rigore iuſtitiæ ſatisfacere pro peccatis noſtris, quàm per paſſionem, & mortem Crucis.*

3. *Quia nullum potuit Deo offerri ſacrificium gratius, & perfectius, eique conuenientius, quàm ſacrificium filii Dei in Cruce.*

4. *Quia cum Chriſtus omnium virtutum ſit exemplar, vt homo; ſicut etiam vt Deus, eſt perfectiſſima omnium perfectionum Idea: non potuit omnes virtutes hominibus ad ſalutem neceſſarias perfectiùs in ſe exprimere, quàm per paſſionem, & mortem Crucis, in qua apparent ſupra modum omnes virtutes fidei, ſpei, charitatis, paupertatis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ,* &c. Quibus adde, *in nullo magis eluxiſſe diuinas perfectiones potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, &*

misericordia, quàm in Christi passione, & morte.

Tandem omnes creaturæ de Christi passione & morte, fidele dederunt testimonium. Nam Sol obscuratus est: Angeli pacis amare flebant Christum morientem; Terra contremuit, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt, infernus confractus, suos mortuos viuos reddidit: plura corpora sanctorum surrexerunt & apparuerunt multis: vox à Dionysio & sociis de cœlo audita est, dicens: *Magnus Pan obiit*: tenebræ factæ sunt super vniversam terram. Vnde non est mirum, si omnes etiam impii tunc morientem Deum confitentur, & innocentem; quia viuens inter sceleratos reputatus fuit. Nam ipsemet Iudex *Pilatus* eum fatetur innocentem, uxor eius iustum, *Iudas* quoque iustum confitetur, latro in cruce agnoscit suum Redemptorem; miles eius latus lancea aperiens, & visum recuperans, eum fatetur Deum: *Centurio*, & qui cum eo erant, dixerunt Matt. 27. *Verè filius Dei erat iste.* Et vt notat D. Lucas cap. 23. *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.*

CAPVT XXI.

De conuenientia Christi Passionis & mortis, in eius circumstantiis.

1. CHristus Dominus *cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* Nam sicut igni conuenit ardor, ita & charitati feruor. Cum autem mysterium *Incarnationis* sit verum diuinæ charitatis opus, conuenientissimum fuit Christo in fine vitæ, maiora suæ dilectionis testimonia exhibere; sicut verè supra modum exhibuit, præter-

tim in inſtitutione diuini ſacramenti *Euchariſtiæ*; de quo poſtea, & in paſſione & morte ſua. *Nemo enim maiorem hac dilectionem habet, quàm vt animam ponat pro amicis ſuis.* Et tamen, Chriſtus maiorem hac nobis exhibuit; quia animam ſuam poſuit pro nobis, qui inimici eius eramus, & penitus indigni diuina eius dilectione. Neque ſolum pro nobis mortuus eſt, vt nos viuificaret mortuos; ſed ad expreſſionem maioris ſuæ charitatis, voluit atrociſſima tormenta, confuſiones, opprobria, iniurias tolerare; vt de ſangnine eius fieret medicamentum ſalubre, aduerſus omnes animi noſtri morbos: & in omnibus ſui corporis membris, atque animæ ſuæ potentiis pati voluit, vt copioſa eſſet redemptio noſtra, & pro ſingulis noſtris exceſſibus ſatisfaceret Deo.

Ioa. 15. v. 26.

2. *Egredimini* itaque *filiæ Sion, & videte Regem veſtrum in diademate, quo coronauit eum Mater ſua* Synagoga, *in die deſponſationis eius*, cum Eccleſia, quam, ſicut nouam *Euam*, eduxit de ſuo latere. Verùm ſingulas eius *Paſſionis* circumſtantias attendite. Nonne iam ecce *Adam* nouus, quaſi vnus ex nobis repletus multis miſeriis? Incipit autèm ſuam Paſſionem in horto, expiaturus primi *Adam* peccatum in *horto* deliciarum commiſſum.

Ter *Patrem* rogat humi proſtratus coram Deo, à cuius facie fugerat *Adam*, licet vocatus; ſed ſuperbia inflatus, præ confuſione nuditatis, non audebat apparere coram Deo.

3. *Triſtatur* vſque ad mortem, Angelorum gaudium; vt nos ab æterna triſtitia liberet, & damnet vanam mundi lætitiam. *Sudor* eius ſanguineus defluit in terram ex toto corpore; vt totum ſanaret hominem tali medicamento diuino; quia Adam debuit manducare panem ſuum in ſudore vultus ſui. Surgit autem, & procedit ad perſecutores,

Digitized by Google

quibus seipsum exhibet voluntariè ; volens se sacrificari, & quærens Adam fugientem, & se abscondentem. Egreditur de horto, paradisi portam aperturus, quæ fugato Adamo clausa fuerat. Sed priusquam se sinat teneri, & alligari, curam suorum habet dicens, Ioan. 18. v. 8. *Sinite hos abire, Ego sum*, qui pro eis soluere debeo. Itaque traditur *osculo* Iudæ ; nec enim potest teneri amor, nisi per symbolum proprium. Emitur *ager* de pretio sanguinis eius in sepulturam peregrinorum : ager ille Ecclesia est, peregrini sunt homines omnes.

4. Alligatur *funibus*, vt captiuus ; quia nos erat liberaturus à funibus peccatorum, qui circumdederunt nos. *Alapam* recipit in domo Annæ, quia Adam dementitus fuerat Deum, credens potius vxori & serpenti, quàm Deo. Accusatus, *tacet* satisfacturus Adami impiis excusationibus. *Nudatur*, ad operiendam nostram nuditatem suis vestibus, & sua protectione. *Flagellatur* tribus flagellorum generibus, mortificaturus tres nostras concupiscentias derivatas à peccato Adami. *Coronatur* spinis, vt mereatur nobis cœlestem gloriæ æternæ coronam, quam Adam perdiderat. Exponitur populo cum arundine in manu, spinis coronatus, indutus purpurâ, dicente Pilato. Ioan. 19. v. 5. *Ecce homo*; vt per hanc atrocissimam confusionem sanaret nostram, & Adami superbiam. Ecce nouus *Adam Barrabæ* postponitur: quia innocens pro nobis debuit mori, non autem sceleratus.

Condemnatur ad mortem, nos ab ea liberaturus. Portat *Crucem*, sicut *Isaac* olim lignum ad sacrificium. *Cruci* affigitur ; vt qui in ligno vicerat, in lignoquoq; vinceretur. Patitur in monte *Calvariæ*, vbi Adam fuerat sepultus. *Moritur* ; vt extinguat mortem, & sanguine eius expurgati viuant filii Adam. *Latus* eius aperitur ; vt pateant eius viscera misericordiæ, &

cum eius sanguine *Ecclesia* quasi de sacratissima cordis eius vulua egrediatur. Tandem descendit ad *inferos*, Adamum, & Patres liberaturus.

6. Concludamus hoc caput per verba Diui Chrysostomi. Hom. 2. in Ep. 2. ad Timot. *Ista quidem si per se cogitentur, mors, carceres, vincula Christi, confusione ac opprobrio digna sunt. Caterum, si quis apposita causa, discussoque mysterio, singula decenter edoceat plenissimam gloriæ, diuinæque honestatis causam cognoscet. Mors enim illa pereuntem seruauit orbem; mors illa cœlestibus terrena coniunxit; Diaboli profugauit tyrannidem, hominesque, Angelos ac Dei filios fecit: mors illa mortalitatis nostræ naturam ad solium cœleste ac Regale prouexit; vincula ista soluerunt plurimos, & ad fidei gratiam conuerterunt.*

Caput XXII.

De Christi glorioſa Reſurrectione.

Svrrexit Christus, inquit Augustinus, ser. de Pasch. *exultet mundus vniuersus: Par etenim est, vt sicut omnis creatura lugubri doluit ploratu in morte Creatoris sui, vt quæ funere noctis obscuro prosecuta est exequias in Cruce morientis; nunc triumphalem ab inferis reditum læta suscipiat resurgentis. Ecce surrexit ab antro sepulchri rediuiua caro Phœnicis, quam cynnamomum decoxerat pietatis; granum frumenti, quod solum in terra mortificatum est in Passione, multum fructum attulit in Resurrectione, solus enim mortuus est, sed solus minimè resurrexit: quorum enim sepulchra in Passione sunt patefacta, horum corpora Christo resurgente sunt de puluere suscitata.*

2. Cum autem superiùs lib. 1. probauerimus Ratione, Traditione, & Philosophorum testimoniis,

futuram omnium Resurrectionem, hîc de sola Christi necessaria Resurrectione agendum est ; quæ quidem oraculis Prophetarum, figuris virorum illustrium in Testamento veteri confirmari potest, necnon ratione, & Fidei motiuis superiùs prænotatis.

3. De Christo enim resurgente Prophetia Iacob Gen. 49. est intelligenda. *Ad prædam ascendisti, fili, requiescens accubuisti, vt leo, & quasi leæna ; quis suscitabit eum?* & illa Iudicum 5. *Surge, Barach, & apprehende captiuos tuos.* Et illa Iob 9 *Scio quod Redemptor meus viuit* Et 38. *Numquid apertæ sunt tibi portæ mortis, & ostia tenebrosa vidisti, sicut ego?* Et illa Psal. 3. *Ego dormiui, & somnum cœpi, & exsurrexi.* Et Isa. 33. *Nunc consurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, & nunc sublimabor.*

4. Quid verò præsignant, *Noë* à somno suscitatus, & benedicens filios ; *Isaac* morti designatus, & tamen rediuiuus; *Ioseph* carcere liberatus, & Ægyptum regens, vt mundi Salvator ; *Moses* ab aquis liberatus; *Iob* ipse ab omnibus suis miseriis ereptus ; *Samson* dormiens, & media nocte suscitatus, resurgens, & auferens secum ambas carceris portas ; *Ionas* post tres dies è ventre ceti egrediens, & Niniuem conuertens ad pœnitentiam, & *Daniel* de lacu leonum ereptus, & dominans in Babylone & Perside ? nisi Christum à mortuis resurgentem, & toti Mundo imperantem per Crucis sceptrum.

5. Multis etiam rationibus probat *Lullius*, quod Iesus Christus debuit à mortuis resurgere. *lib. de art. Fidei, art.* 12.

Prima sumitur ex eo quod, quando aliqua duo substantialiter vniuntur ; si propter aliquid faciendum, vel habendum separantur, isto facto, vel habito, debent iterum substantialiter vniri ; aliàs non tantùm propter hoc habendum, vel faciendum essent vnita, & separata. Atqui anima, & corpus Christi

fuerant ſubſtantialiter vnita, nec fuerunt per mortem ſeparata, niſi propter redemptionem humani generis; ergo illâ adeptâ, debuerunt reuniri.

2. Pro bono & optimo opere, non debet irrogari alicui iniuria; ſed potius honor & reuerentia: ergo, cùm optimum fuerit reparationis humanæ per Chriſti mortem mirandum opus, debuit Chriſto mors non dominari; ſed ipſe debuit reſurgere, nec in æternum videre corruptionem ſui corporis.

3. Deus, cum ſit iuſtus, non permittit, vt creaturæ ordinatæ ad vitam, dominetur mors, ſine culpa. Cum ergo Chriſtus debuerit mori, non pro ſua culpa, ſed pro noſtra, cui ſatisfecit per mortem; debuit poſt mortem reſurgere.

4. Cum inter vtramque naturam, diuinam & humanam in Chriſto ſit ſumma vnio, & nulla contrarietas, & anima Chriſti naturaliter appetat ſuum corpus, poſt factam reparationem per mortem, debuit illa vnio vtriuſque partis fieri; maximè cum ſit omnipotens illa natura diuina. Confirmatur ex eo quòd, tantò vehementiùs anima Chriſti appetebat eam vnionem, quantò intimior fuerat, & quantò Verbo diuino etiam arctiùs vtraque pars humanitatis Chriſti vnita fuerat.

6. Ergo, iuxta Prophetiam Iſa. 21. v. 10. *ſepulchrum Chriſti glorioſum eſt*, quod cum mortuum ſuſcepit, & viuum reddidit: quia, vt ait Ambroſ. ſer. 48 & 58. *vbique Beato Chriſti corpori defertur ſanctitas, vbique Virginitas. Purus illud venter concipit, nouus tumulus includit. Quin potius ipſam ſepulturam vuluam dixerim: Eſt enim ſimilitudo non parua. Sicut enim Dominus de Matris vulua viuus exiuit: ſic de ſepultura viuus ſurrexit. Niſi quod glorioſior iſta eſt, quàm illa natiuitas: illa enim corpus mortale, hæc immortale dedit: poſt illam natiuitatem deſcenditur ad inferos, poſt hanc remeatur ad cœlos.* Quia, vt ait

Eusebius, hom. 6. in Pasc. *mortis iniquitas, quæ tanquam hominem Christum vincere gaudebat, expauit subito prædam suam, & in suo regno, à suo, vt putabat, debitore constricta est, à suo condemnata reo, à suo subiugata est captiuo: ideo suis laqueis illigata & irretita perditio, dum deuoraret, absumpta est.* Vnde secundum Chrys. in Ps. 21. *sepulchrum Christi accepto corpore terretur, quod cum Patris thesaurum accepisset, depositum cum tremore reddidit.*

CAPVT XXIII.

De admirabili Christi Ascensione *in Cœlum.*

1. CHristus Iesus *post Resurrectionem, cum Discipulis apud Galilæam Iudæa Regionem*, inquit Tertullianus, in Apolog. *ad quadraginta dies egit, docens eos quæ docerent. Dehinc ordinatis eis ad officium prædicandi per orbem, circumfusa nube in cœlum est receptus; multò melius, quàm apud vos asseuerare de Romulis Proculi solent. Ea omnia super Christo Pilatus, & ipse iam pro sua conscientia Christianus, Cæsari tunc Tiberio nuntiauit.* Vides publicum ex ipsis Romanorum Archiuis de Christi *Ascensione*, aliisque testimonium mysteriis. Et certè, teste *Eusebio*, ipsius Imaginem in Deorum consessu appositam decreto Senatus habes. cap. 21.

2. Verùm firmiorem habemus Propheticum sermonem, ea scilicet omnia, quæ superius prædicta sunt de fidei motiuis, & argumentis Christianæ Religionis. Pauca tamen licet addere de Mysteriorum consummatione, nempe de Christi Ascensione.

Sicut enim Dei filius, vt ait Aug. in cap. 12. Apocal. in hæc verba: Raptus est eius filius ad thronum eius. Refertur in Glos. *raptus est ab humanitate ad*

diuinitatem in Transfiguratione: à passibilitate ad immortalitatem, in Resurrectione: ita etiam enectus est à minoritate, ad Patris æqualitatem in Ascensione. Quia quantus fuit descensus à sinu Patris ad patibulum Crucis; tantus fuit ascensus à patibulo Crucis vsque ad dexteram Patris.

3. Hanc ergo Christi Domini *Ascensionem* in cœlum prædixerunt Prophetæ; hanc traditio credidit, hanc figuræ præsignarunt, hanc ratio astruit, hanc confirmant miracula. Et quoad Prophetias, Zacarias cap. 14. de Messia futuro loquens, sic ait: *Stabunt pedes eius in die illa supra montem Oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem.* Michæas quoque cap. 2. v. 13. *Ascendet enim pandens iter coram eis; diuident, & transibunt portam, & ingredientur per eam, & transibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.* Dauid Psal. 46. *Ascendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ* & 67. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem,* &; *Psallite Domino, qui ascendit super cælum cæli ad Orientem* Isa. 63. *Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ.*

4. Constat certissimè, omnes veterum Deorum *Apotheoses* fundatas esse in traditione firmissima, qua sancti Patriarchæ & Prophetæ asserebant, Filium Dei de summo cœlo, & sinu Patris descensurum in terras; & patrato Salutis & reparationis opere, iterum in cælum reuersurum: cuius Mysterij plures habes figuras in historia sacra, præsertim in translatione *Henoch* in Paradisum: in eleuatione *Eliæ* ad cælum cum igneo curru: in *Arca* eleuatione, dicente Moyse, *Surge Domine, in requiem tuam, tu, & arca sanctificationis tuæ.* Ps. 131. in recessu angeli *Raphaelis* ad cælum, dicentis Tob. 12. *Tempus est, vt reuertar ad eum, qui misit me.*

5. Nec deſunt rationes, & conuenientiæ huius Chriſti *Aſcenſionis* glorioſæ in cælum. Nam 1. nobiliſſimæ Naturæ corporali debetur locus nobiliſſimus, qui eſt cælum cæli; vt inter locatum & locantem ſit proportio.

2. Illa creatura, per quam omnia creata ſunt, & reparata, & ad finem debitum reſtituta, eleuanda eſt ſuper omnia creata, quæ quidem debent ei ſubiectionem, & reuerentiam. Sed talis eſt *Ieſus Chriſtus* ſecundùm humanitatem: ergo, &c. *Lullius de art. fidei art.* 13.

3. Omni naturæ ad beatitudinem ordinatæ, debetur locus magis congruus beatitudini: & quantò ampliorem meruit beatitudinem, tantò eminentiorem locum in ea debet obtinere: Ergo, &c.

4. Naturæ puriori & ſanctiori, debetur purior & ſanctior in beatitudine locus: At *Chriſti* humanitas, puriſſima fuit: ergo ſanctiſſimum, atque eminentiſſimum locum poſſidere debet ſuper omnes cælos ad dexteram Patris, cuius eſt filius conſubſtantialis; vnde Ambroſius ſermone 61. *Poſt crucem, poſt iniurias, Deus pater recipit Filium, & occurſu quodam pietatis aſcendentem illum gremio molliore complectitur.*

6. Chriſti *Aſcenſio* miraculis confirmata, teſte Hieronymo lib. de locis Hebraicis. *Nam mons*, inquit, *Oliueti ad Orientem Hieroſolymæ, torrente Cedron interfluente, cernitur; vbi vltima veſtigia Domini humo impreſſa, hodiè quoque monſtrantur. Cumque terra eadem quotidie à credentibus hauriatur; nihilominus tamen, eadem ſancta veſtigia priſtinum ſtatum cõtinuò recipiunt.*

Denique, cùm *Eccleſia*, in cuius medio ſunt pedum Chriſti veſtigia, rotundo ſchemate, & pulcherrimo ordine conderetur; ſummum tamen cacumen, vt perhibent, propter Dominici corporis meatum, nullo modo contegi, & concamerari potuit:

ſed tranſitus eius à terra ad cælum vſque, patet apertus.

7. Ergo Chriſtus Dominus in cælum conuenienter aſcendit, & ſedet ad dexteram Patris, tanquam perfectus obediens, completâ obedientiâ; tanquam optimus mediator Dei & hominum, factâ pace & concordiâ; & tanquam glorioſus triumphator peccati, mortis, dæmonis, & inferni, reportatâ victoriâ: aſcendit, inquam, ad feliciter quieſcendum poſt tot labores; ad intercedendum pro amicis, pro quibus vtiliter laborauit; ad conquerendum de inimicis, pro quibus vires ſuas inutiliter expendit; ad præparandum nobis locum, imitatoribus ſuis; ad ſpem noſtram, & deſiderium noſtrum attrahendum ad ſe; & ad oſtendendam viam, qua poſſemus illum ſequi ad æternam felicitatem.

8. *Itaque*, inquit Auguſtinus ſerm. 175. de temp. *aſcendamus cum Chriſto interim corde; vt, cum dies promiſſus aduenerit, ſequamur & corpore. Scire tamen debemus, quia cum Chriſto non aſcendit ſuperbia, non auaritia, nullum vitium noſtrum aſcendit cum Medico noſtro; & ideo ſi poſt Medicum deſideramus aſcendere, debemus peccata deponere.*

Caput XXIV.

De vltimo Chriſti, ſummi omnium Iudicis aduentu.

1. *Quale ſpectaculum! In proximo eſt Domini aduentus, iam indubitati, iam triumphantis* inquit Tertullianus lib. de ſpectac. *Qua illa exultatio Angelorum! qua gloria reſurgentium Sanctorum! & quale Regnum exinde iuſtorum! qualis ciuitas noua Ieruſalem! Atenim ſuperſunt alia ſpectacula, ille vl-*

Digitized by Google

timus & perpetuus dies Iudicij, ille nationibus imperatus, ille derisus, cùm tanta saculi vetustas, & tot eius natiuitates vno igne haurientur. Quæ tunc spectaculi latitudo? quid admirer? quid rideam? vbi gaudeam? vbi exu'tem? Tot spectans Reges, qui in cælum recepti, nuntiabantur, in ipsis tenebris congemiscentes? Item Præsides, persecutores Dominici nominis sæuioribus, quàm ipsi contra Christianos sæuierint, flammis insultantibus liquescentes? Præterea sapientes illos Philosophos, coram Discipulis suis vnà conflagrantibus erubescentes: etiam Poëtas, non ad Rhadamanti, neque ad Minoïs, sed ad inopinati Christi tribunal palpitantes.

2. Cum autem iam de futuro illo Iudicio disseruerimus lib. 1. pauca hîc sufficiet dicere de vero omnium Iudice *Christo Messia*, cui Pater omne iudicium dedit: quod prophetiâ, scripturâ vtriusque Testamenti, traditione, & ratione probandum est. Et 1. quoad prophetiam clara est Psal 71. qui est de Messia: *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis. Iudicabit pauperes, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem, &c.* Isaiæ cap. 13 26. 28. *Ecce Dominus egredietur de loco sancto suo; vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum.* Dan. 7. *Throni positi sunt, & Antiquus dierũ sedit,* &c. Ioel. 3. 2. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat: & disceptabo ibi cum eis.* Zach. 14. *Veniet Dominus Deus, omnesque Sancti eius cum eo,* &c. Mal. 3. *Quis poterit cogitare diem aduentus eius?* & cap. 4. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* Mat. 26. *Videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, venientem in nubibus.* Quæ omnia de *Christo Messia* intelligi, certum est.

3. Vnde Hebræorum, & Gentium Doctorum eadem fuit traditio, eumdem fore Mundi Iudicem, qui

erat futurus Reparator; vt teſtimonio *Platonis* probauimus loco citato.

Hinc orta eſt Poëtarum fabula de *Rhadamanthо* & *Minoë* Iudicibus Inferorum. Quis enim alius Rhadamanthus, *Iouis filius*, Iudex integerrimus; niſi *Ieſus Chriſtus*, filius Dei, ſeu *Iehoua*, Rex ſempiternus, qui in *Cruce* profundo ſomno mortis oppreſſus eſt, ſeu potius amoris ſui veram paſſus eſt ecſtaſim? Nam *Rhadamanthus* etymon ſumit ab Hebræo *Radam* רדם, quod ſignificat, *profundum ſomnum, & ecſtaſim paſſus eſt.* Vel etiam à *Radach*, רדח *delapſus eſt è ſublimiori loco*; intellige ſinum Patris æterni, è quo delapſus eſt Chriſtus in terras. Et *Matham* סתם, *Integritas*: vel *Mathumai* מתמי, *Sempiternus.* Sicque *Rhadamanthus* interpretatur, *Sempiternus delapſus è ſublimiori loco, ecſtaſim paſſus, & integerrimus*, de quo Virgil. Æneid. 6.

Hæc Rhadamanthus habet duriſſima Regna,
Caſtigatque, auditque dolos, ſubigitque fat.ri,
Quæ quis apud Superos furto lætatus inani,
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

4. Quis etiam alius melius *Minoïs* nomen ferre poteſt, quàm Ieſus Chriſtus? Nam *Minos* ab Hebræo מנע *Manangh*, quod ſignificat *muniuit, defendit, protexit*; vel à מנה *manah, numerauit, & quaſi ad numerum exhibuit*, deriuatur. Narratur hic etiam Iouis filius, Rex iuſtiſſimus, primus legum conditor apud Cretas; qui ob vxoris belluinam libidinem fugiens in Siciliam, interfectus eſt, & propter inſignem iuſtitiam factus eſt Rex Inferorum. Hæc enim optimè Chriſto Ieſu conueniunt; qui *Iehoua* ſeu Dei cum ſit filius, & ab eo *Iuſtitiæ* Rex conſtituendus, omne Iudicium à Patre accepit, Ioa. 5. v. 22. Nec ſolùm in ſe continet nomen & numerum nominis *Iehoua*, ſed etiam omnium creaturarum: ſed præcipuè eſt defenſor & protector Eccleſiæ, pri-

mus omnium legislator, imo est Lex Dei æterna; qui tandem *Synagogam* Iudæorum Sponsam suam, ob infanda scelera relinquens, conuersus est ad Gentes, & pro omnium salute occisus, factus est summus omnium Iudex tàm viuorum, quàm mortuorum. Act. 10. v. 42. Sicut autem duplicem habet naturam, etiam duplex nomen illud *Rhadamanthi* & *Minois* sortiri potest.

5. Rationes tandem confirmant prophetiam, & traditionem. Etenim nullus omnium hominum Iudex potest magis idoneus concipi, quàm *Iesus Christus.* 1. Quia, vt Deus, est sapientia æterna, & Patris iustitia. 2. Vt homo, est omnium perfectissimus. 3. Vt homo-Deus, in se habet omnes Dei thesauros scientiæ, & sapientiæ absconditos, Col. 2. v. 3. vnde verè scit merita singulorum. 4. Nullo modo reus est de aliquo scelere eorum, de quibus iudicabit. 5. Participat æqualiter cum vtraque parte, inter quas debet esse iudicium: & certissimè nouit merita vtriusque partis, secundùm scientiam, & experientiam; est enim verus Deus, & verus homo. 6. Cum Iudicium illud finale, debeat esse publicum, & omnibus patens; & omnes homines iudicandi sint, qui constant ex anima, & corpore: necesse est Iudicem eorum esse simul Deum & hominem visibilem, cuius sententia audiatur. 7. Quia in Christo omnes perfectissimi Iudicis conditiones reperiuntur, quæ sunt scientia, prudentia, iustitia, mansuetudo & misericordia.

6. Concludamus cum August. lib. de cath. rud. *Attende ergo, ô homo, vt timore concussus ad sanam mentem redeas, quod conscientia tua Deum habitura est Iudicem, quem noluit habere custodem, & habitura asperum Dominum, quem dulcem Patrem quærere, & amare contempsit. Venit enim Christus Dominus in primo aduentu in humana natura, vt Iudi-*

cium pietatis exerceret in mundo : ſed iterùm venturus eſt cum gloria, vt ad pœnam æternam condemnet eos qui noluerunt per eius meritum paſſionis, ad gloriam æternam peruenire.

Caput XXV.

De viſibili miſſione Spiritus, Sancti, *& Mundi converſione*

1. *Fidelisſimum factum eſt commercium inter cælum & terram.* vt ait Bernardus Serm. 3. in die Pentecoſt. *inter Angelos & Apoſtolos : vt exhiberetur illis caro Chriſti, iſtis vinum cæli, eſſetque in terra ſpiritus, caro in cælis ; ac deinceps omnia omnibus communia in æternum. Chriſtus enim ſedens ad Patris dexteram, acceptum à Patre munus, effudit Spiritum-Sanctum, tertium Numen Diuinitatis, & tertium Nomen ; vel, vt loquitur Tertullianus, lib. aduerſus Praxeam, tertium gradum Maieſtatis, vnius prædicatorem Monarchiæ ; ſed & Oeconomiæ Interpretatorem.*

Circa quod Myſterium tria breuiter attingenda ſunt. Traditio eius firmata per prophetiam : hiſtoria authentica eius confirmans fidem; & effectus ſequutus, nempe Mundi conuerſio.

2. Clariſſimæ ſunt Prophetiæ de hac diuina Miſſione Spiritus-Sancti. Pſ. 47. *In ſpiritu vehementi conteres naues Tarſis.* & 103. *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Scilicet per conuerſionem mundi. Sapientiæ 1. *Spiritus Domini replenit orbem terrarum.* Ioël 2. *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri,* &c. Multæ quoque figuræ eam præſignarunt. Geneſ. 8. *Quando adduxit Dominus Spiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ diluuii.* Exod. 3. *Moyſes*

Moyſes vidit ardentem Rubum. Exod. 20. *Quando Lex data fuit in monte Sina cum ingenti ſtrepitu, & fulgure, ſeu igne.* Iud. 7. *Gedeonis ſacrificium, igne cæleſti devoratum.* & 2. Paralip. 7. *Ignis deſcendit de cælo, & devoravit Holocauſtum.* 3. Reg. 1. *Sacrificium quoque Eliæ ſimiliter ab igne cæleſti devoratum.* Pſal. 18. *Intonuit Dominus de cælo, & altiſſimus dedit vocem ſuam.* 2. Mich. 1. *Accenſus eſt ignis, ita ut omnes mirarentur.*

3. Vnde non mirum, ſi hæc conſtantiſſima omnium Hebræorum traditio de tanto myſterio, etiam inter gentes fuerit diffuſa, qua factum eſt, ut Deum vocarent Spiritum, & Ignem, & Spiritum Dei crediderint diffuſum per omne mundi corpus, tanquam ejus animam, cùm divina Charitas ſit quaſi vita, & anima animæ noſtræ: & pleraque alia, quæ ſuperiùs adnotavimus. Certè verus *Prometheus* de cælo ignem attrahens, erat Chriſtus omnem formam ſuſcipiens, ſive Dei, ſive hominis, ſive infirmi, ſive fortis, ſive mortalis, ſive immortalis. Quænam etiam illa *pluvia aurea*? Niſi ea, de qua ſcriptum eſt, Pſal. 67. v. 9. *Diſtillaverunt cæli à facie Dei Sinai, Dei Iſrael.* v. 10. Pluvia voluntaria, quam Deus ſegregavit hæreditati ſuæ Iudaicæ, & Gentibus communicavit.

4. Quis verò ſanæ mentis homo poterit contradicere ſacro Hiſtorico, Act. 2. referenti huius myſterii narrationem? Cuius ſcilicet teſtes, non quidem duo, vel tres, ſed pluſquàm mille adhuc degebant eo tempore, quo deſcripſit eam. Imo tota Ieroſolymorum vrbs teſtis fuit, teſtes fuerunt ex omni gente & natione, Iudæi & Populi, *Parthi. Medi, Elamitæ, Ægyptii, Arabes, Græci, Latini, Barbari*, & alii permulti. Teſtes fuerunt ſeptem hominum millia, ad fidem Chriſti converſa in duabus primis concionibus Petri Apoſtoli. Neque enim in ſe-

creto, ſed palam vt decebat, myſterium hoc promulgationis legis Euangelicæ impletum eſt, prout D. Lucas narrat his verbis.

5. *Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes Diſcipuli pariter in eodem loco, & factus eſt repentè de cælo ſonus, tanquam ſpiritus vehementis: & replevit totam domum, vbi erant ſedentes: & apparuerunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditque ſupra ſingulos eorum, & repleti ſunt omnes Spiritu-Sancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus-Sanctus dabat eloqui eis. Facta autem hac voce convenit multitudo, & mente confuſa eſt: quoniam audiebat vnusquiſque linguâ ſuâ illos loquentes.* Act. 2. Quale ſpectaculum, quale prodigium! nuſquam ita publicum: neque minor eſt in circumſtantiis congruitas, quàm in re firma veritas.

6. Etenim, quia myſterium iſtud eſt complementum aliorum, & Spiritus-Sanctus, quaſi complementum Trinitatis, factum eſt ideo *completis diebus Pentecoſtes*, id eſt, quinquaginta diebus à Paſchate, qui numerus eſt Iubilæi. Deinde, per Spiritum-Sanctum obtinemus perfectam remiſſionem peccatorum, & libertatem filiorum Dei: neque, ſine myſterio lex Euangelica data fuit eodem die, quo data fuerat lex Moſaica.

Item convenienter *fit derepente de cælo ſonus*, quaſi tubæ cœleſtis, vt ſolemniter lex illa cæleſtis promulgetur: & ſpiritus ille vehemens indicat vehementem motionem Spiritus-Sancti, cuius diſpoſitio præcipua, eſt cordium unio: ideo etiam *erant omnes pariter in eodem loco.* Act. 2.

Additur, quod *totam domum*, id eſt, Eccleſiam, *repleuerit*, quia nemo eſt, qui ſe abſcondat à calore eius. Quod verò notantur Diſcipuli *ſedentes*, indicatur alia diſpoſitio ad eum recipiendum: quæ eſt tranquillitas, & perſeverantia in oratione & bono opere.

Fit autem *repente de cælo sonus*, quia *nescit tarda molimina Spiritus-Sancti gratia.* Amb. l. 2. in Luc. Et, sicut sonus oritur ex percussione corporum, ex qua sæpe etiam ignis nascitur: ita Spiritus-Sanctus procedit ex mutuo amore Patris, & Verbi divini, tanquam ignis divinus, qui per reflexionem ad nos mittitur. Vnde etiam apparuit in forma ignis, ad purgationem nostram, ad inflammanda corda fidelium, post exsiccationem humorum prophanæ concupiscentiæ, & ad excitationem, seu motionem activam, ad omne bonum opus faciendum pro gloria Dei, & proximi salute.

8. In forma *linguæ* apparet: quia primo per illum docemur, tanquam per divini Verbi vocem articulatam, & expressiorem divinæ veritatis. 2. Per illum Apostoli prædicandi facilitatem obtinuerunt in omni lingua: vt linguarum confusio, Gen. 11, v. 7. quæ in pœnam facta fuerat in constructione turris *Babel* non amplius noceat fidei, in ædificatione novæ Ierusalem. *Et sedit supra singulos eorum*, quia omnes abundanter eum receperunt, non transitoriè, sed permanenter: & sedit ut hospes pacificus, vt per eos orbem iudicaturus: sed primò recturus, sedit quasi super thronum.

Tandem facta hac voce *convenit multitudo*, vt fiat testis tanti miraculi, & ad Deum convertatur. Sed *mente confusa est*: quia per Dei vnionem creaturæ multitudo confunditur. Sed confunditur vtiliter, id est, tollitur, & revocatur ad divinam vnitatem, ad quam in prima Prædicatione tria hominum millia fuerunt conuersa.

9. Itaque effectus admirabilis aduentus S. Spiritus est totius Mundi conversio, quæ causæ virtutem manifestat. Quis verò non miretur eam, & modum eius? Duodecim namque homines plebeii, illiterati, rudes, timidi ante Spiritus-sancti aduentum, non

armis, non diuitiis, nec ſplendore eloquentiæ: ſed patientia, humilitate, vitæ ſanctitate, & ſimplicitate ſermonis, ſubtiliſſimos Philoſophos, Senatores, Reges, Imperatores, Tyrannos, impudicos, & omnibus vitiis deditos, ad fidem noſtram conuerterunt, & iis perſuaſerunt, vt firmiter crederent myſteria *Trinitatis, Incarnationis* Filii Dei, *Paſſionis, Euchariſtiæ, Reſurrectionis* corporum & alia eiuſmodi, quæ nulla ratione naturali capi poſſunt. Quid plus? Eis perſuaſerunt, vt eos, quos antea putabant, & colebant Deos, *Diabolos* æſtimarent, & conculcarent, comburerent, ac eorum Templa diruerent, & Idola confringerent: deinde, vt mores ſuos reformarent in melius, & fierent ipſi caſti, humiles, ſobrii, iuſti, & pii, & vitam in terris ducerent Angelicam, continentiam ſeruantes: vt Mundo renuntiarent, ac eius concupiſcentiis, vt ſibi ipſis continuum bellum inferrent, per continuam auſteritatem vitæ, & totius veteris hominis mortificationem. Quid plus? ſuaſerunt Principibus, Regibus, Imperatoribus, vt figuram patibuli, ſeu *Crucis*, ſuis imponerent *Diadematibus*, & alia Chriſti Paſſionis inſtrumenta colerent. Tandem, vt hæc omnia tanta firmitate tenerent: vt potius ſe tormentis omnibus exponerent, ac morti crudeli, quàm horum punctum minimum relinquerent.

Neque hoc perſuaſerunt propoſitis vitæ huius deliciis: ſed tentationibus, ærumnis, perſecutionibus, futura tantùm poſt mortem promittentes, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit: & tamen hæc omnia vides perfectiſſimè completa.

O miraculorum miraculum, & verum diuinæ omnipotentiæ opus! ô virtutis cœleſtis, & Chriſti Paſſionis, ac gratiæ Spiritus-Sancti energia.

10. Concludamus ergo cum D. Leone Papa. Serm. de Pentec. *O quàm velox eſt ſermo ſapientiæ! & vbi*

Digitized by Google

Deus Magister est, citò discitur, quod docetur. Veni ergo in nos adorande, & amande Christi Spiritus, doce nos omnem veritatem, tui divini amoris in nobis ignem accende, Sanctum semper opus in me inspira, vt cogitem, compelle vt faciam, suade vt te deligam, confirma me vt te teneam, custodi me, ne te perdam. Aug. in Ep. ad Bonif.

Caput XXVI.

De Sacramento Baptismi.

1. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris*, inquit Isaias, cap. 12, prædicens Sacramentorum Evangelicorum institutionem. Fluunt enim à Christo, sicut fontes à mari, sunt que vivi fontes gratiarum, quæ ortum habent à Christi merito, qui quidem virtutem suæ sanctissimæ Passionis specialiter applicat intermediis sacramentis, sub quibus omnem gratiam ad salutem comparandam, & ad omne bonum opus faciendum necessariam, tanquam veram *Margaritam*, & vnionem sub concha abscondit, & per eorum Symbola, seu signa prænotauit.

Est enim Sacramentum: *Inuisibilis gratiæ signum visibile ad nostram sanctificationem institutum.*

2. Primum eorum est *Baptismus*, quo purgamur à culpa originali, & ab omni labe peccati, & Dei filii adoptiui efficimur, ac regni cœlestis hæredes, per ablutionem factam in nomine Patris, & Filii, & Spiritus-Sancti, cum aqua lustrali, de qua superiùs egimus lib. 3. Nec sunt repetenda, quæ de eius Prophetiis, & figuris diximus.

Fœlix ergo Sacramentum aquæ nostræ, inquit Tert. de Bapt. *qua abluti delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur. Habes, ô homo imprimis atatem*

venerari aquarum, quod antiqua ſubſtantia: dehinc dignationem, quod divini Spiritus ſedes, gratior ſcilicet cæteris tunc elementis. Nam & tenebræ adhuc ſine cultu ſyderum informes, & triſtis abyſſus, & terra imparata, & cœlum rude: ſolus liquor materia perfecta, læta, ſimplex, de ſuo pura, dignum vectabulum de ſuo ſubiiciebat. Spiritus enim Domini ferebatur ſuper aquas, quæ iam tunc virtutem emundationis, ac ſimul fœcunditatis diuinæ acceperunt ab eo, quod ſuperferebatur.

3. Sancti huius Sacramenti ceremonias perantiquas, & myſteriis fœcundas, refert idem Tertullianus his verbis, lib. de Corona. *Aquam adituri, aliquantò prius in Eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renuntiare Diabolo, & pompæ, & Angelis eius. Dehinc ter mergitamur.* Et lib. de Baptiſmo: *Exinde egreſſi de lauacro, perungimur benedicta vnctione de priſtina diſciplina; qua vngi oleo, de cornu in ſacerdotium ſolebant. Sic & in nobis carnaliter currit vnctio, ſed ſpiritaliter proficit; quomodo & ipſius Baptiſmi carnalis actus, quòd in aqua mergimur: ſpiritalis effectus, quòd delictis liberamur. Dehinc manus imponitur, per benedictionem aduocans, & inuitans Spiritum-Sanctum. Eſt enim in his, & aliis ceremoniis eloquentia quædam Doctrinæ ſalutaris*, teſte Auguſt. Ep. 119. cap. 7. *mouendo intellectui & affectui diſcentium accommodata, à viſibilibus, ad inviſibilia, à corporalibus, ad ſpiritualia, à temporalibus, ad æterna.*

4. Baptiſati quoque, teſte Rabano Mauro de Inſtit. cler. & pœnit. *vtuntur albis veſtibus; vt pote quorum natiuitatis faciem, vetuſti erroris pannus fuſcauerat, habitus ſecutæ regenerationis gloriæ præferat indumentum.* Tegitur poſt ſacram vnctionem, caput eius myſtico velamine, vt intelligant, ſe diademate regni, & ſacerdotali dignitate potiri.

Digitized by Google

CAPVT XXVII.

De Aqua benedicta, siue qua communiter purgamur, siue qua baptisantur Catechumeni.

1. AQua benedicta Ecclesiæ Catholicæ duplex est, secundùm duplex ministerium, cui inseruit, & varias cæremonias, quibus conficitur prima Est *aqua Baptismatis*, quæ secundùm morem primitivæ Ecclesiæ, conficitur in Vigilia Paschæ, & Pentecostes. His enim solùm diebus primitùs publicum Baptisma conferebatur solemniter, ex decreto Sirini Papæ: conficitur autem, inuocato Dei nomine, & orationibus, cum admixtione *Cerei Paschalis*, qui Christum resurgentem significat, & duplicis olei, *Chrismatis* scilicet, & Catechumenorum: quod quidem oleum, sed præcipuè Chrisma, Christum figurat & exprimit; cum multis aliis insufflationibus, exorcismis, benedictionibus, orationibus, de quibus inferius.

Altera, est *Aqua-benedicta* communiter nuncupata: quæ singulis Dominicis fieri debet publicè in Ecclesia, admixto sale prius benedicto, cum solitis ceremoniis; qua populus aspergitur, & purificatur, vt dignè sacris interfit, vt infrà dicetur.

Porro Aqua hæc benedicta, est signum veri Baptismatis: cuius Prophetiam habes in Isaia capite 44. vers. 3. *Aqua munda.* Ezechielis cap. 36. v. 25. *Effundam super vos aquam mundam*, &c. Et Zachar. cap. 13. vers. 1. *In die illa erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Hierusalem, in ablutionem peccatoris, & menstruatæ.* Quod intelligitur de vtraque aqua. Nec omittenda Prophetia Davidis. *Asperges me.* Psal. 50. Quod ad litteram explicatur de aspersio-

ne populi Iſraëlitici à Moyſe & aliis, per hyſſopum, & lanam coccineam, cum ſanguine hoſtiæ immolatæ. Figurabat autem aquam Baptiſmi, quæ eſt ſanguis Chriſti; & aquam luſtralem, quæ ſignificat aquam, quæ fluxit ex latere Chriſti cum ſanguine; vnde origo ſumpta eſt Aquæ-benedictæ. Cuius exiſtentia confirmatur 1. ex dicto teſtimonio D. Pauli. *Si enim*, vt notant Chryſoſtomus 1. ad Timoth. & Theophylactus in hunc locum, *res immundæ ſanctificantur per ſignum crucis, & orationem, quantò magis res alioqui bonæ, fient meliores & ſanctiores?*

2. Secundò, ex dicto teſtimonio Alexandri Pontificis, quo videmus vſum Aquæ benedictæ in Eccleſia primitiua.

3. Sed & Clemens Romanus loco citato ponit ordinem conſecrationis aquæ: & D. Dionyſ. de Eccleſiaſt. Hierarchia, l. de Baptiſmo, ait *aquas ſanctificari ſacra appellatione, & inuocatione.*

Tertullianus idem aſſerit loco citato, qui & notat aquas ab ipſo mundi exordio per incubationem Spiritus-Sancti fuiſſe ſanctificatas. *Igitur*, inquit, *aquæ de priſtina originis prærogatiua Sacramentum ſanctificationis conſequuntur inuocato Deo. Supervenit enim ſtatim Spiritus de cælis, & aquis ſupereſt, ſanctificans eas de ſemetipſo; & ita ſanctificatæ, vim ſanctificandi combibunt.*

4. Cyrillus Cathecheſi 3. *Sicut mundi cibi fiunt immundi inuocatione Diaboli; ita aquam ſimplicem, ſanctam fieri inuocatione Dei.* & Cyprianus lib. 1. Epiſt. 12. *Oportet prius mundari aquas à ſacerdote.*

5. Ambroſius lib. 4. de Sacramentis, cap. 5. docet *aquam debere conſecrari:* & lib. de iis, qui initiantur dicit *Aquam, niſi Crucis ſigno prius ſacretur, nullum habere vſum in Eccleſia.*

Baſilius lib. de Spiritu-ſancto cap. 27. *Apoſtolicam traditionem aſſerit eſſe Aquæ conſecrationem.*

Digitized by Google

6. Epiphanius hæresi 3. & Theodoret. lib. 5. c. 21. hist. Aquæ benedictæ meminerunt.

Augustinus quoque homil. 27. ex lib. 50. homil. & Sermone 19. de Sanctis, & lib. 6. in Iul. cap. 8. ait, *aquam signo Crucis in Ecclesia consecrari.*

7. Adde *Concilium Nannetense* can. 4. vbi iubetur Presbyter, cùm ægrotos visitat, aspergere aqua sanctâ ægrotum, & ipsum cubiculum.

8. Idem Aquæ-benedictæ sanctus vsus probatur exemplis, & miraculis Sanctorum Patrum, allatis apud Epiphanium hæresi 30. *Ioseph Aquâ-benedictâ soluit incantationes ignis.* Gen. 2. Et *Gregorius* lib. 1. Dialogorum cap. 10. scribit, sanctum Fortunatum curasse quemdam, qui cadens ex equo fæmur confregerat, solius Aquæ-benedictæ aspersione.

3. Et *Beda* lib. 5. histor. cap. 4. scribit, nobilissimam fœminam grauissimè laborantem, Aquâ-benedictâ mox ita conualuisse, vt ministraret mensæ.

4. *Bernardus* in vita Malachiæ scribit, ab ipso phreneticum fuisse curatum per Aquam-benedictam.

5. Plura quoque narrantur alia miracula, facta fuisse per Aquam-benedictam. Scilicet quòd Sanctus Marcellus Episcopus Apam. per Aquam-benedictam fugato dæmone è templo Iouis mirabiliter, ipsâ aquâ accendisse paxillos eius ligneos dicitur: ex lib. 9. histor. Trip. cap. 33. Theod. lib. 5. c. 21. &c.

7. Item per aspersionem Aquæ-benedictæ animalia nociva expulsa fuisse, testatur Hist. Iapon. & Indica.

7. *Palladius* quoque de hist. Lausiac. 323. asserit agrum à Locustis seruatum per Aquam-benedictam.

8. *Surius* in Chronico, anno 1563. asserit per eamdem, dæmonem expulsum à filia Ausburgensi, tempore Lutheri.

9. Hugo Cluniacenſis, ex eodem, ſanauit mulierem per Aquam-benedictam: necnon, Sanctum Eligium liberaſſe per eamdem, ſupra quinquaginta à dæmone poſſeſſos, idem Surius aſſerit tom. 6.

Adde quod *Aqua-benedicta* nunquam corrumpitur, vel rariſſimè.

Quoad effectus Aquæ benedictæ, ſatis patent ex dictis. Nempe 1. Rerum conſecratio. 2. Dæmonum expulſio.

3. Magicæ Artis ad nihilum redactio.

4. Sanitas mentis, & corporis.

5. Deletio peccatorum venialium ex D. Thoma 3. parte, quæſt. 65. art. 1. ad 6. & 8. & quæſt. 83. art. 3. ad 3. & quæſt. 87. &c. Quæſt. verò 71. art. 2. ad 3. probat, Aquam-benedictam dari contra impugnationem exteriorem dæmonum; ſicut Exorciſmus contra interiorem.

6. Idem quæſt. 66. art. 3. &. quæſt. 69. art. 2. ad 2. & art. 4. ad 1. notat ſex proprietates Aquæ in communi, quæ videntur fundamentum divinæ eius electionis, ſeu eleuationis ad ſupernaturales effectus.

Prima eſt, quod ſit diaphana, ac proinde ſubiectum luminis.

2. Humida, & ſic lachrimis conuenit.

3. Frigida, ad extinctionem carnalis concupiſcentiæ.

4. Fœcunda, ad productionem.

5. Vbique reperitur ſpiritum gratiæ ſignificans; quia *miſericordiâ Domini*, ſeu gratiâ plena eſt terra.

6. Sine pretio: gratis enim datur gratia.

Taceant ergo Hæretici negantes fœlix ſacramentum Aquæ noſtræ, *qua abluti delictis priſtinæ cæcitatis, in vitam æternam liberamur*; quæ ſunt verba Tertulliani: vel Aquæ ſanctæ, ſeu benedictæ myſterium, qua poſſumus gratiam divinam conſeruare. Nos enim Piſciculi, ſecundùm ἰχθὺν noſtrum Ieſum

Christum, in qua nascimur, nec aliter quàm in aqua permanendo salui sumus. Omnia autem Aquæ mysteria habes descripta apud eumdem Authorem loco citato.

Postquam Spiritus Domini incubuit aquis, ipsas fœcundans, & sanctificans, dum super ipsas ferebatur, ascendens equos suos, qui sunt Cherubim, thronum gloriæ eius, ipsæ aquæ firmitatem acceperunt: vnde additur, *fiat Firmamentum in medio aquarum*. Gen. 1.

Tandem in Libris Leuit. & Numerorum, &c. mille reperies testimonia, quibus figurata est nostra Aqua benedicta, siue baptismalis, sive quæ conficitur cum sale. Omnia enim fere purificabantur, & sanctificabantur, per lustrationem aquæ; præcipuè Leuitici 10. v. 13. & 6. v. 28. & 12. v. 34. &c. vt iam notaui.

CAPVT XXVIII.

De Ceremoniis Aquæ-benedictæ communis.

AQuæ Baptismatis benedictionem non præcedit exorcismus specialis, sicut præcedit benedictionem Aquæ communis benedictæ. Nam ad ipsam Christi præsentiam, quæ exprimitur per cereum benedictum, & sacras unctiones, fugiunt dæmones.

1. Prima itaque ceremonia Aquæ-benedictæ communis, est *Exorcismus* tam salis, quàm aquæ; qui ideo fit, vt in nomine Dei & Christi, fugentur dæmones, & abscedat omnis virtus inimica.

Exorcismorum mentionem facit Tertullianus tum lib. de præscriptionibus aduersùs hæreticos, tum

etiam aduerſus Iudæos; & lib. de Idololatria, cap. 11. *Qua* (inquit) *conſtantia exorcizabit alumnos ſuos, quibus domum ſuam cellarium præſtat?* Et de Corona militis. *Et quos interdiu exorciſmis fugauit, noctibus defenſabit.* Idem cap. 41. *Ipſe mulieres hæreticæ quàm procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & tingere?*

2. Orationes, Benedictiones. Cruces in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Chriſti, ſuperiùs explicatæ ſunt, vbi de Aqua baptiſmali.

3. *Sal* benedictum adhibetur, & poſt orationem immiſcetur aquæ, ad exemplum Eliſæi, vt ſuper iùs notatum eſt: ſuppletque vicem in hac benedictione, cerei Paſchalis & olei ſacri, quę non adhibentur; ſignificat enim etiam Chriſtum.

1. Quia eſt Symbolum ſapientiæ, iuxta illud ad Coloſſenſes 4. *ſermo veſter in gratia ſemper ſit ſale conditus.*

2. Ignis & aquæ naturam in ſe continet, licet ſint contraria: ſicut Chriſtus Deum, qui eſt ignis conſumens; & hominem, qui effluit, vt aqua: vnde vocatur à Tertulliano in Apologetico, *homo Deo mixtus.*

3. Sed & communiter dicitur *petra ſalis* Chriſtus vero vetera faciens vtraque vnum.

4. *Sal* eſt condimentum ciborum corporalium, Chriſtus ſpiritalium.

5. In omni ſacrificio adhibendum erat ſal, iuxta illud Leuit. 2. v. 13. *Quicquid obtuleris, ſale condies; nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo.* Et ex Iſidoro. *Omnis hoſtiarum diverſitas, Chriſti hoſtiam præfigurabat*; vnde Apoſtolus Ro. 10. v. 4. ait, *Chriſtum finem eſſe legis*: & v. 11. *Iudæis omnia in figuris contingere.* & Tertullianus adverſus Iudæos, Chriſtum vocat *ſignaculum omnium Prophetarum.* Vnde notat, quod *Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem ba-*

ptisatorem : baptisato enim Christo, id est, sanctificante aquas in suo baptismate, omnis plenitudo spiritalium retro charismatum in Christo cesserunt, signante visionem, & Prophetias omnes.

6. Vocatur Nu. 18. *fœdus & pactum salis, sempiternum coram Domino*, quod est, secundùm Rabanum, oblationum vniuersitas, in Christi oblatione sempiterna reddita. Sed & Christus est verè pactum & fœdus nostrum cum Deo : quia reconciliauit ima summis. Nec ineptè coram Domino, id est, vt in Hebræo, ad facies Domini : Christus enim verè facies Domini est.

Tandem, sal Deum Opt. Max. repræsentat, non tantùm propter incorruptionem, sed etiam quia vocatur communiter, ἀφρόδιτη *sui generis*, secundùm Valesium *de Sacra Philosophia.* Nisi mauis igneæ naturæ esse ; nec minor in hoc erit figura Dei.

Non ergo mirandum, si solemne fuit non solùm in veri Dei, sed etiam in falsorum Deorum Sacrificiis sale vti. Plinius lib. 13. cap. 7. *Maximè autem*, inquit, *in sacris intelligitur eius authoritas ; quando nulla conficiuntur sine mala salsa.*

Nam & Plato in Dialogo de Natura asserit *Sal Deo amicum corpus.* Et Poëtæ inde *Venerem* in mari natam finxere, ἀνάδυομον, à *spuma* vocatam. Et Clemens Alexandrinus in Admonitione ad Gentes, & lib. 7. Stromatum, testatur grumum salis Veneri sacrum.

4. Quoad *Exorcismos*, nulla eorum fit mentio apud Ethnicos, qui nempe Dæmones pro Diis colebant. Quia iuxtà Christi verbum Matth. 12. v. 24. *Si in Beelzebub, vel in nomine Dæmonis eiecissent Dæmonia Regnum Dæmonis foret diuisum ; ac proinde ruinæ proximum.* Eorum tamen vsus fuit apud Hebræos, vt probatur Actuum 19. v. 14. Cùm quidam Iudæi Sceuæ, scilicet Principis Sacerdotum filii, Exorcistæ vo-

luerunt adiurare Dæmones per Ieſum, quem Paulus prædicabat; reſpondit Spiritus nequam, *Ieſum noui, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis* &c. Quem ritum Iudæos didiciſſe à Salomone, teſtatur Ioſephus lib. 8. Antiquitatum cap. 2. addens lib. 7. de bello Iudaico, cap. 25. ipſum oſtendiſſe quamdam radicem, qua poſſent Dæmones expelli: cuius particulam habuit *Veſpaſianus* in annulo aureo, qua, eodem teſte, Dæmonem expulit.

5. *Pſellus* tractatu de Dæmonibus, ex eo probat quòd corporei ſunt, ac proinde quòd poſſunt fugari per quædam corpora eis antipathica. Vnde plerique exiſtimant fugari ſuffitu rerum putidarum, vt caprini ſtercoris, & admotione ruthæ, & hypericonis, quæ ob id appellatur *fuga Dæmonum.*

Teſtatur quoque Sacra Scriptura Tob. 8. Tobiam ſuffitu iecoris exuſti piſcis, fugaſſe Dæmonem. Verùm nihil commune hæc habent cum noſtris Exorciſtis, qui fide armati, oratione, ieiunio, inuocatione ſancti nominis, & aquâ benedictâ pellunt Dæmones ſigno Crucis.

De *Exorciſmis*, qui ante Baptiſmum fieri ſolent, conſule *Cyprianum* ad Mag. epiſt. 76. *Ambroſ.* lib. 1. de Sacramentis, cap. 5. *Gregorium Nazianzenum* orat. de Baptiſmo; *Aug.* lib. 2. de peccato Originali, cap. 4.

Caput XXIX.

Moralitates in prædicta Aqua benedicta, eiuſque ceremoniis.

1. AD ortum Solis omnia ſyderum nocturnorum lumina extinguntur, vel potius videntur refluere ad ſuum principium, vnde effluxerunt.

Digitized by Google

Ita ad ortum Euangelicæ fidei, & Christianæ Religionis, omnia veterum mysteria, omnesque vtriusque Legis ceremoniæ extinguntur, vel potius ad illam reducuntur; vt clariora per ipsam appareant, non amplius sub vmbris legis Naturæ, neque sub figuris legis Mosaicæ, sed in meridie Euangelicæ legis, quæ maiorem eis præstat splendorem, iam micantibus Solis iustitiæ radiis illustrata.

2. Itaque ex dictis primò videmus triplicem Veterum purgationem, per aquam, per ignem, & per aërem, in vna aqua lustrali Ecclesiæ Catholicæ adunari: sicut omnium ratio sacrificiorum in vna Christi oblatione. Nam *cereus* ardens, & *sal* ignem significant; *oleum*, & exsufflatio aërem; & *aqua* est ipsum subiectum. Quo mysterio edocemur, omnia quæ sunt in nobis, esse purganda elementa, seu principia nostræ compositionis. Vnde *Ambrosius* notat, quatuor humores esse quatuor funeris animæ nostrę portitores. *Tunc enim*, inquit, *iacemus exanimes, cùm vel ignis immodicæ cupiditatis exæstuat, vel frigidus humor exundat* (supple auaritiæ) *vel pigrâ quadam terreni corporis habitudine vigor habetatur animorum, vel concretâ noster Spiritus labe, puræ lucis vacuus mentem alit.* & lib. 4. cap. 4. *Febris nostra, auaritia est; febris nostra, libido est; febris nostra ambitio est: febris nostra, iracundia est.*

3. *In Processione*, Aqua benedicitur; vt præcedentes ad Deum purgemur, & sic transeamus per temporalia, vt non amittamus ęterna: non enim habemus hic ciuitatem permanentem.

Prophetiæ leguntur; vt in fide confirmemur.

Oratio, & Sanctorum invocatio adhibentur, vt & diuina oblatio; vt edoceamur, per hæc nos sanctificari; iis ergo vacandum.

4. Diuisio Aquę in modum *Crucis*, exposcit Crucem mediis in visceribus à nobis portandam. Nam

ſicut aqua, dilabimur in terram, &c.

Tangitur aqua; vt diuinum attactum expetamus, qui quidem nobis mundatis promittitur.

Crucis ſignum exteriùs adhibetur; vt doceamur ſtigmata Chriſti in corpore noſtro circumferre.

Aqua in *quatuor partes* diuiditur: vt diſcamus corporis noſtri diſſolutionem futuram in quatuor Elementa; & animum noſtrum ad ſuum principium eſſe reducendum, Deum ſcilicet.

Benedicitur aqua etiam in nomine *Ieſu Chriſti*; vt eam poſſimus haurire è fontibus Saluatoris, qui ſunt eius ſacra vulnera.

Halitus, & inſufflatio adhibetur; vt edoceamur exſufflare à corde noſtro omnem malitiam, ſecundùm Dionyſ. & ad Deum exinde ſemper ſuſpiremus.

5. Adeſt *cereus Paſchalis*; vt diuinæ ſimus præſentię memores, quæ nos confortat in tribulationibus, & conſolatur ſuo ſancto lumine; conſolationem item nouam accipiamus, per ſpem futuræ reſurrectionis.

Cereus demittitur in aquam, Chriſtum exprimens ad nos deſcendentem; vt omnia ſimul bona cum eo accipiamus, & expectemus virtutem Spiritûs-ſancti per meritum eius.

Commiſcentur *gutte* ardentes cerei cum aqua; vt diuinum cognoſcamus nobiſcum conſortium, & conuerſationem; ac divinorum & humanorum idiomatum communicationem.

6. *Oleum* ſanctum & *Chriſma* adhibentur; vt exinde poſt diuinæ communicationis ſuſceptionem, & ſacram vnctionem, nos reputemus Deo deditos & conſecratos; & pro eo pugnemus vſque ad mortem, vt Chriſti milites.

7. Per *Exorciſmum*, Anathemata Dæmonis, necnon & carnis, & peccati, & mundi ſignificatur.

Tandem

Tandem, *Sal* edocet nos Sapientiam diuinam nobis comparandam, nec-non incorruptionem seruandam; quod non omnes faciunt, teste Clemente Alexandrino 10. Stromatum. *Sunt enim*, inquit, *etiam ex iis, qui verbum audiunt, marinis piscibus similes: qui cùm ab ipso ortu in salso nutriantur, salibus tamen ad condiendum indigent.*

8. Hæc dicta sint cum reflexione ad varios salis effectus, secundùm variam subiecti dispositionem. Etenim sterilitatem terris causat, iuxta illud Psalmi 106. *Posuit terram fructiferam in salsuginem, à malitia inhabitantium in ea.* A quis verò confert fertilitatem, ex cap. 2. lib. 4. Regum, ut superiùs notatum est. Per *terram* ergo, intellige animam terrestrem, ventri deditam, diuitiis inhiantem, aridam & siccam cuius pulueré projicit ventus, Id est vanitas per *aquã* verò, animam pœnitentem, lachrymis madidam, compunctioni deditam, tribulationibus pro iustitia agitatam, quæ & per continuũ fluxum ad suum principium reuertitur, quod est divina & immensa bonitas, nec vllo modo proindè torpentem; super quam ideo fertur Spiritus Sanctus, eam fœcundans.

CAPVT XXX.

De Sacramento Confirmationis.

1. VIdetur apud Ecclesiasticum, c. 4. v. 17. & 18. illustre Symbolum, imo Prophetia de hoc Sacramento in his verbis. *Si crediderit ei, hæreditabit illam, & erit in Confirmatione omnis creatura eius; quoniam in tentatione ambulat cum eo, imprimis eligit eum.* Etenim sapientia diuina, de qua loquitur, est Filius Dei, in quem per Baptismum credimus, & euadimus eius hæredes: deindè suscipimus Sacra-

mentum Confirmationis, quo fit, vt in tentationibus habeamus Deum nobiſcum ambulantem, ſeu protegentem & adiuuantem nos.

2. Porro ſolus Deus, cùm ſit Ens ſummum, æternum & immutabile, non indiget Confirmatione: creatura vero rationalis, ſecundùm ordinem naturæ, & gratiæ, indiget conſeruatione & confirmatione in ſuo eſſe; alias ad nihilum conuerteretur. In *Baptiſmo* autem noua fit creatura per fidem, & homo recreatur; ſicque hæreditat vitam æternam, ad quam creatur.

3. Deinde, per Sacramentum *Vnctionis* confirmatur, & conſeruatur in ſuo eſſe ſupernaturali; ſi velit eius gratiæ cooperari. Et ſicut conſeruatio eſt continua vſque ad exitum: ſic gratia Confirmationis quotidiè datur, imo potiùs continuatur vſque ad exitum illius vitæ ſupernaturalis; vnde character eius eſt indelebilis, ſicut & Baptiſmi.

Itaque cum conſeruatio & confirmatio in creaturis neceſſariæ ſint; quia earum eſſe ad nihilum tendit: Ita gratia perſeuerantiæ, de qua Theologi, quam meteri nemo poteſt, ipſa eſt quaſi gratia Confirmationis. Quæ, cum ſit gratia Sacramentalis, collata fidelibus, quotidiè vi & virtute Sacramentorum, etiam non cadit ſub meritum; quia eſt pretium ſanguinis, & paſſionis Chriſti. Licet aliquando hanc perſeuerantiæ gratiam Deus communicet ſine hoc actuali Sacramento.

4. Quod quidem multis inſignitur nominibus, ſiue in Scripturis, ſiue in Conciliis, & Patribus.

1. Etenim vocatur *Impoſitio manuum*; Imponebant enim illis manus, poſtquam baptiſati eſſent, & accipiebant Spiritum ſanctum. Et notandum, non quoſlibet Miniſtros, ſed præcipuos ad id deputatos, nempe Petrum, & Ioannem: quia nequaquam à ſimplici Sacerdote confertri poteſt.

Digitized by Google

Porro hæc ceremonia in mysteriis obseruatur, duabus de causis. 1. Ad diuinæ potestatis, cuius manus quibus operamur, sunt symbolum, communicationem exprimendam. 2. Ad Spiritus-sancti & benedictionum cælestium donationem significandam. Etenim per manus damus eleemosynam: vnde & antiquitùs filii benedicebantur per manuum impositionem, vt videre est in Iacob.

2. Vocatur *Confirmatio*: quia nos confirmat in fide, & iustitia Christiana; & vt habetur in epistola Decretali Melchiadis ad Episc. Hispaniæ: *armat & instruit nos ad agonem vitæ istius.*

3. Vocatur quoque *Consignatio* de consec. dist. 5. cap. nouissimè. Et *Signaculum dominicum*, apud Cyprianum ep. 73. quia signatur in ea Christianus per Episcopum diuino signaculo Crucis; & datur promissio perseuerantiæ, seu gratiæ finalis, si ei velit cooperari.

4. Vocatur *Sacrum vnguentum* apud Dionys. de Eccles. Hierarchia c. 4. Quia, vt Christi milites, ad certamen pro fide & iustitia vngimur: & vnguentum illud Chrismatis verè diuinum est, per quod Christi robur & potestatem & gratiam induimus.

5. Tandem vocatur *Vnctio supercaelestis Chrismatis* in Concilio Laodicæno cap. 8. vel, vt alia habent exemplaria, *Regni cælestis participatio.* Vnctio quidem, quâ vngitur miles Christianus, & quâ gratia Spiritus-sancti diffunditur in corda nostra: supercælestis, quia abundantior est; & per Episcopum, qui est Minister supercælestis, vt Presbyter est cælestis, confertur.

5. *Confirmatio*, est verum Christi Sacramentum; & probatur.

1. Ex eius necessitate, de qua superiùs: est enim necessaria conseruatio supernaturalis.

2. Ex eo, quòd, vbi occurrit nouus specialis gra-

tiæ effectus; ibi ordinatur ſpeciale Sacramentum, quo ſcilicet homo ſpiritualis vitæ quamdam ætatem perfectam, & robur ſuſcipit.

3. Ex Scripturis, Conciliis, & Patribus.

Videmus enim eius figuram in miraculoſo fonte, in petræ percuſſione, per Moſis virgam, ad confirmandos Iſraëlitas in fide & timore Dei, vtpotè recens eductos de Ægypto, & in mari rubro baptiſatos Et hic vnus eſt è fontibus Saluatoris. Tunc enim *eduxit Dominus aquam de Petra & populus ſuxit oleum de ſaxo duriſſimo. Et erunt in Confirmatione creaturæ eius.* Eccleſ. 4. 17. 18. & Act. 8. *Imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum-ſanctum* & confirmati & induti ſunt Apoſtoli *virtute ex alto* in die Pentecoſtes. *His auditis, baptiſati ſunt in nomine Domini Ieſu; & cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus-ſanctus ſuper eos.* & 2. Cor. cap. 2. *Qui autem confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus, qui & ſignauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.*

Pſ. 77. 16. Deut. 31. 13. Luc. 24. 49. Et Act. 19. 5. & 6.

Vide *Concilium Florentinum* Decreto unionis, & *Tridentinum* Seſſ. 6. de Confirmatione *Laodicenum* can. 48. *Eliberitanum* can. 38. *Arelatenſe I.* can. 8. *Vrbanum I.* in Epiſtola Decretali, vbi: *Omnes* (inquit) *fideles poſt Baptiſma accipere debent Spiritum-ſanctum. Tertul.* de Reſurrectione carnis, cap. 8. *Caro vngitur, ut anima conſecretur; caro ſignatur, vt anima muniatur; caro manus impoſitione adumbratur, vt anima Spiritu illuminetur.* Vbi vides effectus huius Sacramenti.

6. Materia huius Sacramenti eſt *oleum* balſamo admixto, ab Epiſcopo conſecratum. Cuius ſignificationes claræ ſunt. Nam 1. Oleum lucet, fouet, nutrit; eſt lux, cibus, medicina. 2. Oleum ſupernatat liquoribus terreſtribus. 3. Oleum ad certamen diſponit. 4. Oleo omnia conſecrantur. *Oleum*, in-

quit Innocentius tertius, *nitorem gratiæ, Balſamum odorem bonæ famæ ſignificant* & Pſal. 88. v. 21. *Elegi ſeruum meum* per Baptiſmum, *oleo ſancto meo vnxi eum; manus mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit* (& confirmabit) *eum, nihil proficiet inimicus in eo.*

7. Forma huius Sacramenti conſiſtit in his verbis: *Ego te conſigno ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis.* Deinde Confirmati percutiuntur; ut ad patientiam diſponantur.

Ex quibus omnibus, ſatis patent huius Sacramenti effectus. Sed notandum, quòd in primitiva Eccleſia ad impoſitionem manuum Spiritus-ſanctus viſibiliter adveniebat: ideóque *Chriſma* tunc ſemper non applicabatur ab Apoſtolis ex Concil. Moguntino ſub Paulo Tertio; quia ſatis ſignabatur & manifeſtabatur gratia ſeipsâ.

CAPVT XXXI.

De Pœnitentia.

1. POenitentia, dicta à pœna, quæ homines tenet, ſeu ligat, ob crimen commiſſum, ortum habet ab ipſo Deo, iuſto Iudice, & piiſſimo patre: ſicut peccatum & defectus, à vanitate, & quaſi nihileitate propriâ creaturæ, & ab eius ignorantia, & infirmitate, vel malitia propria. Etenim omne bonum à Deo eſt; malum verò à creatura, quæ ad nihilum tendit, à quo educta eſt ab Omnipotente. Et *Deus eſt, qui ad pœnitentiam vocat homines*, inquit Tertullianus lib. de Pœnit. *cohortando, alliciendo, terrendo, pœnitentiam in ſemetipſo dedicans, cum reſciſſâ ſententiâ priſtinarum irarum, ignoſcere pactus eſt homini, imagini ſuæ.*

2. Quia verò omnes homines peccauerunt, ideo etiam omnibus neceſſaria eſt Pœnitentia, præſertim adultis. Nam paruuli per *Baptiſmum* purgantur; & tamen ipſi priùs per miniſterium patrinorum etiam dici poſſunt pœnitentes, in quantum renuntiant Diabolo, & pompis ac operibus eius. Certè ab ipſo mundi exordio habemus exempla duplicis pœnitentiæ, *veræ* ſcilicet, & *falſæ* vel fictæ: veræ quidem & laudabilis, in *Adamo*, in Noëmo, qui Deum nomine totius Eccleſiæ placauit; in *Dauide*, in Petro, Magdalena, Zachæo, & aliis: fictæ & falſæ, *in Caïno*, in Chamo, in Antiocho, in Iuda, & aliis.

Vera pœnitentia rara eſt, teſte Ambroſio, qui ait *ſe plures vidiſſe, qui innocentiam ſeruauerint, quam qui veram & dignam Pœnitentiam egerint.* Et hæc ſatis de pœnitentiæ virtute. Hîc agendum de Pœnitentia, vt eſt Sacramentum à Chriſtó inſtitutum, vt ſit *ſecunda poſt naufragium tabula*, Hier. in Iſa. 3.

3. Itaque figuras huius Sacramenti habemus in Veteri Teſtamento. Eſt enim verus ille fons, ſeu *puteus Iacob*, in quo Chriſtus Samaritanam conuertit Ioa. 4. quia in eo cernuntur plures conuenientiæ cum hoc Sacramento.

Nam 1. Foditur à *Iacob*, Chriſti perfectâ figurâ.

2. Foditur in terra *aliena*; Pœnitentia enim nuſquam in cælo, ſed ſolùm in terra locum habet.

3. Foditur poſt corruptionem *Dinæ*, filiæ Iacob: id eſt creaturæ, filiæ Dei.

4. Coram duodecim tribubus Iſraël, quæ notant duodecim Apoſtolos: *Illic enim ſederunt ſedes in Iudicio.*

5. *Ieſus* fatigatus ſedens ſuper eum, Ioan. 4. aquas eius ſanctificat.

6. *Samaritana* ibi pœnitet, & Deum alloquitur: delictum agnoſcit & confitetur; & Samaritani quoque pœnitentiam agunt. *Confeſſio* quoque veterum

Iudæorum, de qua Leu. 26. Num. 9. Ioſ. 7. necnon præceptum, quod Leproſi habebant, conuenire Sacerdotes, quorum officium erat iudicare de lepra, & multa alia, figuræ erant huius Sacramenti. Huc quoque ſpectat illud Eccleſ. 48. *Qui vngis Reges ad pœnitentiam, & Prophetas facis ſucceſſores poſt te.* & Pſal. 121. *Illic ſederunt ſedes in iudicio.*

4. Chriſtus enim ſorum hoc conſcientiæ inſtituit, & dedit Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Presbyteris iudiciariam authoritatem remittendi peccata, iuxta illud Matth. 18. *Quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis; & quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis.* & Ioannis 20. *Accipite Spiritum-ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Vnde etiam neceſſitas, ſeu inſtitutio *Confeſſionis* patet, qua Sacerdos Iudex, ex ore proprio pœnitentis agnoſcens peccata, de his ferat ſuam ſententiam, ſiue remiſſionis ſiue retentionis. Cuius Confeſſionis vſum videmus Actor. 19. v. 18. *Multi credentium veniebant confitentes, & annuntiantes actus ſuos.* Epiſt. Iacob. 5. v. 16. *Confitemini alterutrum peccata veſtra.* Quæ etiam Confeſſio erat in vſu apud Iudæos in veteri Teſtamento; vt eſſet figura noſtræ pœnitentiæ, iuxta illud Num. 5. v. 7. *Confitebuntur peccata ſua.*

5. Eadem mens eſt Ss. Patrum, qui hanc Confeſſionem auricularem, etiam de peccatis occultis intelligendam aſſerunt. Vnde *Tertull.* cap. 10. de Pœnit. vehementer eos arguit, qui pudoris magis memores, quàm ſalutis, & publicationem ſui delicti metuentes, differunt confeſſionem, pereuntque cum erubeſcentia ſua. *Cyprianus* Ep. 10. loquitur de examinandis pœnitentium deſideriis: & *Sermone de lapſis*, aſſerit eos, qui non ſacrificauerunt idolis, ſed tamen de hoc cogitauerint, debere id Sacerdotibus exponere; quia Deus omnium mentes intue-

tur. *Aug.* l.b. 50. Homiliarum, homil. 49. *Nemo dicat: Occultè ago, nouit Deus, qui mihi ignoſcit. Ergo ſine cauſa dictum eſt: Quæcumque ſolueris; ergo ſine cauſa datæ ſunt claues Eccleſiæ*, &c. Cyrillus Hieroſol. Cathecheſi 1 *Confitearis peccata tua, & quæ interdiu, & quæ noctu perpetraſti.* adde Baſilium in regulis breuioribus. interr. 288. &c.

Plura vide apud Theologos.

6. Materia autem huius Sacramenti, ſunt peccata poſt Baptiſmum commiſſa, Sacerdoti aperta per Confeſſionem, cum contritione cordis, ſiue perfecta, ſiue imperfecta, & voluntate ſatisfaciendi diuinæ Iuſtitiæ. Vnde apparet, tres eſſe Pœnitentiæ partes, ſcilicet cordis contritionem, oris confeſſionem, ſatisfactionem operis.

Prima itaque Pœnitentiæ pars debet incipere à corde. Sicut enim per peccatum cor, ſeu voluntas hominis fuit auerſa à Deo; ideo etiam debet voluntariè ad ipſum reuerti. Et ſicut peccatum per voluptatem irrupit in cor, ſeu voluntatem: ideo neceſſe eſt, vt per cordis dolorem in fugam convertatur. Ac tandem, quia homo peccando, ſpreto Deo, adhæret creaturæ; ideo vt tollatur peccatum, neceſſe eſt, ſpretâ creaturâ, quam inordinatè amabat, vt adhæreat Deo per fidem, ſpem, & inchoatam ſaltem charitatem; quæ virtutes virtualiter continentur in contritione perfecta, vel imperfecta, quæ dicitur attritio.

7. Quia autem peccatum ſæpe à corde erumpit in verbum oris; provt enim ſentimus, ſic & loquimur: ideo ad Pœnitentiam neceſſaria eſt *oris confeſſio*, quæ eſt ſecunda pars Pœnitentiæ; per quam homo ſuum confitens reatum, reparat iniuriam illatam Deo per peccatum. 3. Adde, quod peccator ſe oppoſuit *Dei Verbo* incarnato, & mortuo pro Redemptione hominis, & peccati deſtructione; eiuſque ſanguinem,

Digitized by

ac redemptionem contempsit peccator: ac proinde hoc malum reparare debet loquendo, & per confessionem declarando sua delicta per verba oris sui.

Deinde, cum Pœnitentia sit forum internum iustitiæ; vt *Iudex* Sacerdos possit dignam ferre sententiam, peccator, qui & testis solus est huius fori, debet audiri & interrogari, ad cognitionem causæ iudicandæ. 4. Tandem, Pœnitentia simul est *medicina*, curans animæ vulnera; quæ ideo aperienda sunt, quia quod ignorat Medicina, non curat.

8. *Satisfactio* quoque operis, vt pars tertia Pœnitentiæ, necessaria est.

1. Quia sæpe peccatum à corde, non tantùm erumpit in os, sed etiam in opus externum.

2. Quia omne peccatum, licet internum, est simul affectio mala, simul cogitatio, seu verbum internum deprauatum, atque etiam actus internus illicitus. Vnde etiam omne peccatum opponitur Patri, Filio, & Spiritui-Sancto; cùm sit simul infirmitas, ignorantia, & malitia. Licet quædam peccata procedant specialiter ab infirmitate, alia ab ignorantia, & alia à malitia: vnde oritur communis diuisio peccatorum. Ergo debemus toti Trinitati satisfacere; per *cor*, quod Patrem denotat, primum vitæ principium; per *os*, quod exprimit Verbum; & per *opus* sanctum, quod Spiritum-Sanctum nobiscum operantem significat.

3. Quia per opus pœnale debemus satisfacere inordinatæ conuersioni ad creaturã, seu delectationi vanæ & iniustiæ in creatura contra diuinam voluntatem.

4. Per sanctum opus externum, reparamus scandalum peccato annexum.

5. Tandem, quia per absolutionem deletur quidem peccati macula; sed manet debitum satisfactionis pro pœna æterna, quam peccatum meretur, & quæ per reconciliationem cum Deo mutatur in tem-

poralem. Sicut exemplis Scripturæ ſanctæ in perſona Mariæ ſororis Moſis, Aaronis, ipſius Moſis, Dauidis, & aliorum, patet clariſſimè.

9. Forma verò Sacramenti Pœnitentiæ, poſita eſt in iis verbis, quibus Sacerdos declarat proprium Sacramenti effectum, nempè abſolutionem præſentem à peccatis præteritis, vel præſentem peccatorum remiſſionem; qualia ſunt v. g. *Ego te abſoluo à peccatis tuis.* Per hæc enim, vel ſimilia verba, profertur ſententia Sacerdotis Iudicis, Chriſti locum tenentis, eiuſque Vicarii, abſolutoria Rei pœnitentis, iuxta illud Io. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.*

Ex quo ſequitur, *Abſolutionem* verè irritam eſſe, ſi detur tantùm verbis impetratoriis, non autem imperatoriis & iudicialibus.

10. Concludamus cum Auguſtino. *Nec differamus Pœnitentiam agere, cum defecerit virtus noſtra: quia infirma eſt infirmorum pœnitentia, & morientium ſæpe mortua eſt. Si quis enim,* inquit hic Doctor illuſtris Gratiæ, *poſitus in extrema neceſſitate ſuæ ægritudinis, voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliabitur, & hinc vadit; fateor vobis, non illi negamus, quod petit, ſed non præſumimus, quod bene hinc exit: Si ſecurus hinc exit, ego neſcio. Pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem autem non. Non quidem dico, damnabitur, ſed nec dico, liberabitur. Vis ergo à dubio liberari? Tene certum, & dimitte incertum: age pœnitentiam, dum ſanus es: ſi ſic agis, dico tibi, quòd ſecurus es; quia pœnitentiam egiſti eo tempore, quo peccare potuiſti. Si vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes; peccata te dimiſerunt, non tu illa.*

CAPVT XXXII.

De ueritate Corqoris, & sanguinis Christi in Eucharistia.

1. CVm vita spiritalis corporali conformetur; sicut in vita corporali post generationem sequuntur necessariò augmentum & alimentum, per quæ homo in vita conseruetur & augeatur: ita & in spiritali, in qua per Baptismum regeneramur, & per Confirmationem robur nouum cum augmento gratiæ recipimus, necessarium est Eucharistiæ Sacramentum, quo quidem, inquit *Tertullianus*, lib. de Resurr. cap. 8. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur; vt anima de Deo saginetur.* Vnde etiam vocatur Sacramentum corporis & sanguinis Christi.

Verùm, quia multa tractanda forent de diuino hoc mysterio, quæ non patitur breuitas huius Manualis, ea remittimus ad Theologos, de tribus tantùm, quorum interest ad salutem certa cognitio & indubitata, circa illud acturi, contra Impios, & Hæreticos.

Primum est, veritas corporis & sanguinis Christi in *Eucharistia*, sub speciebus panis & vini.

Alterum, veritas sacrificii *Missæ*.

Tertium Catholica *Communio* huius sacramenti.

De primo nunc agendum est; breuiter ergo exponamus 1. Vetererem *Rabinorum* traditionem, fundatam in testimoniis figurarum & Prophetiarum veteris Testamenti. 2. Earum figurarum & Prophetiarum completionem per Christum.

2. Deus optimus maximus illud adorandum Mysterium ab ipso Mundi exordio præsignavit. 1. In *arbore vitæ*, quam posuit in medio paradisi. Nam, vt superiùs vidimus ex August. *In aliis arboribus erat*

Digitized by Google

alimentum, in hac ſacramentum.

2. In *ſacrificiis* Abel, Noë, Melchiſedech, Abraham & Iſaac, de quibus ſuperiùs. 3. In *agno Paſchali*, in *Manna*, & in panibus propoſitionis.

Ex quibus fit argumentum: *Omnia contingebant illis in figuris, & vmbris* 1. Cor. 10. v. 11. Cùm ergo illa omnia fuerint vmbræ, & figuræ Euchariſtiæ, vt ſcriptura & Patres notant; imo ipſe Chriſtus; hæc debet eſſe perfectior, & ſanctior, & eminentior figuris omnibus. Si autem panis Euchariſticus eſſet ſolùm panis, nec eſſet corpus & ſanguis Chriſti, eſſet vilior fructu arboris vitæ, Manna, ſeu pane Angelorum, & Agno Paſchali, qui erat viuens: quod abſurdum eſt.

3. Figuris addendæ ſunt Prophetiæ, quarum prima eſt Geneſ. 49. Iacob benedicens Iudam filium ſuum, ait: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat, qui mittendus eſt*, &c. *Lauabit in vino ſtolam ſuam.* ibid. v. 11. *& in ſanguine vuæ pallium ſuum.* Quæ verba ſic exponit Rabbi Cahana: *ligans ad vitem pullum ſuum, vel ſtolam.* Et oſtendunt quod *ſacrificium quod fiet ex vino, non ſolùm tranſmutabitur in ſubſtantiam ſanguinis Meſſiæ, ſed etiam in ſubſtantiam corporis eius.* Cui concordat Tertul. contra Marcionem: *ſtolam, & amictum carnem demonſtrans, & vinum ſanguinem*, inquit: *ita & nunc ſanguinem ſuum in vino conſecrauit, qui tunc vinum in ſanguine figurauit.* Origenes quoque hom. 17. in Gen. & Chryſoſtomus ſic explicant Leuit. 4. v. 7. *Panes ſemper in ea erunt*, & Num. 28. 2. *Oblationem meam, & panes offerte. Panis iſte*, inquit Rabbi Iudas, *panis facierum dicitur; quia, cùm panis ſacrificabitur, tranſmutabitur in ſubſtantiam corporis Meſſiæ* Cui concordat Hieron. in cap. 21. lib. 1. Reg. *Panes*, inquit, *propoſitionum, quaſi corpus Chriſti, de vxorum cubilibus conſurgentes edere non poterant.*

Item psal. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum, escam dedit timentibus se.* & Psal. 136. *Qui dat escam omni carni.* Ps. 33. v. 8. *Gustate & videte, quoniam suauis est Dominus,* Rabbini explicant de Eucharistiæ institutione. Rabbi Abraham: *Hæc,* inquit, *dicta sunt, quia panis, quem ipse daturus est Messias, caro eius erit.* & Rabbi Bardarsan, *Cum gustant,* inquit, *hunc panem, in carnem conuertitur, estque hæc memoria mirabilium Domini.* Prouerbiorum 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem, immolauit victimas, miscuit vinum, & posuit mensam.* Quam prophetiam de Eucharistia exponunt Cyprianus lib. 5. Ep. 3. & Chrisost. in Psalmum 22.

4. Quod autem de hoc mysterio figuræ præsignarunt, & prædixerunt Prophetæ, hoc etiam se facturum Christus promisit Ioannis 6. toto capite. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* &, *Panis, quem ego dabo, caro mea est.* & *nisi manducaueritis carnem filii hominis,* &c. Hocque compleuit Mat. 26. Mar. 14 Luc 22. *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Hoc est corpus meum,* &c. *Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic est enim sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Verba enim clarissima sunt, & simplicissima tam Græcè, quàm Latinè, ita vt nihil pressius, compressius, expressius dici queat. Non igitur solum in Eucharistia signum, & symbolum Christi, sed verum corpus, & verus sanguis sunt realiter, & substantialiter.

5. Hanc veritatem confirmat circumstantia temporis, qua Christus hæc protulit verba, scilicet, morti proximus, in vltimo suo testamento, postquam testatus est se non amplius vsurum figuris, & parabolis. Nam re vera Christus tunc valedicebat Apostolis, & præterea condebat suum testamentum,

iuxta illud Luc 22. & 1. Cor. 11. *Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Atqui ſolemus perſpicuis vti verbis, dum amicis valedicimus, & vltimam in noſtro teſtamento voluntatem ſignamus, ne lites oriantur ex ambiguitate verborum, præſertim cùm doctrina, & ſenſus adſunt cum præuiſione futurorum. Quæ adhuc ex dicendis confirmabuntur amplius.

Caput XXXIII.

Quod poſt conſecrationem non amplius manent ſubſtantia panis, & ſubſtantia vini; ſed per eam tians ſubſtantiantur in corpus, & ſadguinem Chriſti.

1. Hæc propoſitio definita eſt in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. cap. *firmiter.* in Florentino, *in decreto vnionis*; in Conſtantienſi, *ſeſſ.* 8. in Trid. *ſeſſ.* 13. *cap.* 4. *& can.* 2. in Romano ſub Gregorio VII.

Probatur autem 1. ex Sacris Scripturis. Chriſtus enim in nocte cœnæ accepit verum panem, & dando diſcipulis affirmauit, eſſe ſuum corpus.

Idem de Calice dicendum eſt, vt ex ſupradictis verbis conſtat, Mat 26. Marc 14. Luc 22. citatis capite 32. Idque ſine tropo, abſque figura. Nec potuit mentiri; quia eſt veritas æterna: neque voluit fallere; quia eſt bonitas infinita: nec impotens fuit ad efficiendum, quod voluit. Ergo verè illum panem tunc tranſmutauit in ſuum corpus, & illud vinum in ſuum ſanguinem. Non enim hoc, quod dedit eis, fuiſſet verum corpus Chriſti; ſi panis remanſiſſet, vel ſi panem præbuiſſet. Confirmatur ex D. Th. 3. p. q.

Digitized by Google

75, art. 2. in corp. Eò quòd pronomen demonſtratiuum, *hoc*, ſignificat totum, non partem totius v. g. licet materia prima ſit in lapide, tamen aliquis videns, & oſtendens lapidem, non bene diceret, hoc eſt materia prima. Vnde Chriſtus, ſi maneret panis, debebat dicere: *Hîc eſt corpus meum*; non verò, *Hoc eſt corpus meum.* Et ideo non forent verba conſecrationis vera, ſi panis adhuc remaneret.

2. Probatur authoritate SS. Patrum, imprimis Tertulliani l. 4. contra Marci. *Acceptum panem fecit Chriſtus corpus ſuum.* Cypriani Sermone de cœna Domini: *Panis hic non effigie, ſed naturâ mutatus, omnipotentiâ Dei factus eſt caro.* Cyrilli Hieroſolymitani Catecheſi 4. myſtag. *Qui mutauit aquam in vinum in Cana Galilea, dignus non erit, cui credamus, vinum in ſanguinem tranſmutaſſe? Sub ſpecie panis datur tibi corpus Chriſti, & ſub ſpecie vini datur tibi ſanguis: hoc ſciens, & pro certiſſimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti: & vinum, quod à nobis conſpicitur, non eſſe vinum, licet guſtus ita renuntiet; ſed eſſe Chriſti ſanguinem.*

3. Item Ambroſius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Panis*, inquit, *eſt ante verba Sacramentorum; ſed, vbi acceſſit conſecratio, de pane fit caro Chriſti* & lib. de initiandis cap 9. *Non eſt hoc, quod natura formauit ſed quod benedictio conſecrauit. Maior eſt vis benedictionis, quàm natura, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur: & qui potuit facere ex nihilo id, quod non erat, poteſt ea quæ ſunt, mutare in id, quod non erant.*

Addit deinde varia exempla conuerſionum ſupernaturalium; *v.* g. virgæ Moſis in ſerpentem, fluuialis aquæ Nili in ſanguinem, petræ in fontem aquarum, &c ad confirmationem huius diuinæ tranſmutationis.

4. D. quoque Chryſoſt. homil 83. in Mat *Non ſunt* inquit, *humanæ virtutis opera: nos miniſtrorum locum tenemus; qui verò ſanctificat & tranſmutat, ipſe eſt.* Damaſcenus lib 4. c. 4 *Panis & vinum conuertuntur in corpus, & ſanguinem Chriſti* Idem aſſerit Theophilactus in cap 26. Mat & in cap 14. Marci Diuus Auguſtinus, referente Gratiano, de Conſecratione diſt. 2 can. nos autem *Fideliter*, inquit, *fatemur, ante conſecrationem panem eſſe, & vinum, quod natura formauit; poſt conſecrationem verò, carnem Chriſti, & ſanguinem, quod benedictio conſecrauit* Qui locus deſumptus eſt ex lib Sententiarum Proſperi. Origen. lib 8. contra Celſum *Manducamus panes factos corpus Chriſti* Gregorius Nicænus oratione Catechiſtica, quæ vulgo inſcribitur Magna, cap 37. *Panem*, inquit, *ſanctificatum verbo Dei tranſmutari in corpus Chriſti* Hilarius lib 8. de Trinit. *Caro mea verè eſt eſca & ſanguis meus verè eſt potus: itaque de veritate carnis & ſanguinis, non eſt relictus ambigendi locus.*

Tandem Theophilactus in c. 26. Mat directè conuincit Hæreticos Caluiniſtas, his verbis: *Chriſtus non dixit, hæc eſt figura corporis mei; ſed, hoc eſt corpus meum* & in cap 6. Ioann. *Non dixit Chriſtus: Panis, quem ego dabo, figura eſt carnis meæ; ſed, caro mea.*

Concludamus ergo hæc teſtimonia Patrum per verba Chriſoſt. hom. 60 ad populum Antiochenum *Non ſolum ea quæ ante nos iacent, aſpiciamus; ſed verba eius teneamus. Nam verbis eius defraudari non poſſumus, ſenſus verò noſter ſæpiſſimè fallitur. Quia ergo Chriſtus dixit: hoc eſt corpus meum, nulla ambiguitate teneamur.*

CAP.

CAPVT XXXIV.

Confirmatio veritatis Eucharisticæ, per traditionem Apostolicam, & Missæ Sacrificium.

1. VT clariora fiant, quæ dicturi sumus in hoc cap. notandum est *1.* Eucharistiam esse simul Sacrificium, & Sacramentum; *Sacrificium* quidem incruentum, præsignatum in Sacrificio Melchisedechiano; *Sacramentum* verò, quatenus est visibile signum gratiæ inuisibilis, ad nostram sanctificationem à Christo institutum. Etenim species visibiles panis & vini, sunt visibile signum; corpus verò, & sanguis Christi, simulque gratia, quæ recipitur in communione sanctissimæ Eucharistitiæ, sunt res seu gratiæ inuisibiles; & spiritualis animæ nutritio, & amplior sanctificatio, est effectus formalis huius Sacramenti. De quo plura inferiùs, vbi de Communione.

2. Notandum, Eucharistiam siue in veteri, siue in Nouo Testamento, vocari *oblationem puram, oblationem voluntariam, diuinum mysterium, Sacrificium secundùm ordinem Melchisedech, & Missam, seu Liturgiam:* hæc enim sunt synonyma; quia habent eamdem significationem, vt statim videbimus. Et certissimum est, *oblationem voluntariam, seu spontaneam* de qua fit mentio Deuteronomii c. 16. v. 10. &c. esse perfectam figuram sacrificii Eucharistiæ; quia in ea offerebantur Domino simul caro, panis, vinum, & oleum, caro agnorum, panes primitiarum, vinum & oleum ad libationem & effusionem. Caro agnorum præsignabat corpus Christi, veri agni Paschalis; panis & vinum, materiam eius sacrificii, & Sacra-

menti; oleum effuſionem eius ſanguinis, & ſacrum eius nomen Ieſu Chriſti, de quo Cant. 1. *Oleum effuſum, nomen tuum*, vel ſecundùm aliam verſionem. *Sanguis exinanitus nomen tuum.*

3. Hæc autem oblatio, Deut. 16. v. 10. vocatur *Miſſa*: in Hebræo enim eſt *Miſſath nidbarath.* נברת מסת *oblatio ſpontanea*; quod verbum *Miſſath* ſignificat *oblationem, munus, ſufficientiam*: quæ optimè congruunt ſacrificio *Miſſæ*, quæ eſt vera oblatio, pluſquam ſufficiens ad Deum nobis conciliandum, & placandum; & munus digniſſimum, quod Deo offertur. Vnde habes nomen *Miſſah* in Scriptura ſacra: non enim eſt nouum hominum figmentum, vt calumniantur Hæretici.

4. Oblatio ſeu ſacrificium à Græcis vocatur λειτουργία, *liturgia* à munere publico ſacrorum miniſtrorum, à λειτὸν ἔργον; quod fatentur Robertus Stephanus in Theſauro linguæ Græcæ, Eraſmus in Acta Apoſtolorum, & alii. Itaque verè Apoſtoli Paulus & Barnabas, & alii Diſcipuli ſacrificabant Domino, iuxta cap. 13. Actorum v. 2. *Miniſtrantibus, ſeu ſacrificantibus illis Domino, & ieiunantibus*; λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ; id eſt, *cùm illi ſacrificarent Domino, & ieiunarent.* quodnam autem illud ſacrificium fuit, niſi oblatio Euchariſtiæ de qua idem Paulus 1. Cor. cap. 10. loquitur, ſecundùm Chriſoſtomum in hoc cap. *Calix*, inquit, *benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* &, *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & Dæmoniorum.* &, *Qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris.* & idem Apoſtolus 13. ad Hebræos. *Habemus altare, de quo edere nequeunt qui tabernaculo deſeruiunt.*

Ex quibus duo apparent euidenter. Primum, Apoſtolos ſacrificium Deo obtuliſſe verum, & ſuper pro-

prium altare. Alterum, sacrificium, quod obtulerunt Deo, non aliud esse, quàm illudmet, quod Christus instituit in nocte cœnæ, quando seipsum dedit, & obtulit Deo sub speciebus panis & vini, & corpus ac sanguinem eis porrexit ad communicandum.

5. In Ecclesia enim Catholica post Christi mortem esse debere aliquod Sacrificium propriè dictum, quo fideles diuinam maiestatem colerent, euidentissimè prædixit Malachias Propheta cap. 1. his verbis. *A Solis ortu usque ad occasum offertur nomini meo oblatio munda, & in omni loco sacrificatur mihi; quia magnum est nomen meum in gentibus.* Quod testimonium sancti Patres, Irenæus lib. 4. cap. 82. Iustinus Martyr contra Triphonem, Cyprianus lib. 2. aduersus Iudæos, cap. 16. August. lib. 18. de Ciuitate cap. 35. Chrisostomus in psal. 95. & alii explicant de sanctissimo *Missæ* sacrificio, à Christo vero sacerdote Melchisedechiano, instituto in nocte cœnæ. Quod est etiam illud *iuge sacrificium vsque ad consummationem saculi duraturum, secundùm prophetiam Danielis.* cap. 8. 11. & 12.

§. I.

Veritas Sacrificii Melchisedechiani à Christo oblati.

1. Hæc quidem veritas *Missæ* sacrificii confirmatur ex Psal. 109. v. 5. qui Psalmus totus est de Christo. Ibi ergo Pater alloquens Filium incarnandum: *Tu es*, inquit, *sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.* Quæ verba ipsemet D. Paulus ad Hebræos c. 7. interpretatur de vero & accurato sacrificio; ideoque disserit de conditionibus ad sacerdotium requisitis, de sacerdotis genealogia, de

oblatione, authoritate & benedictione: & addit, quod *Tranſlato ſacerdotio, neceſſarium eſt vt legis fiat quoque tranſlatio.* Melchiſedech autem obtulit panem & vinum in ſacrificium. Ergo etiam Chriſtus in oblatione ſui corporis & ſanguinis, ſub iiſdem ſymbolis agnitus eſt verus *ſacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Eſt quoque æternus Sacerdos, quia omnes ſacerdotes ſunt tantùm eius Vicarii: Nec obſtat, quòd *Melchiſedech* ſolum panem & vinum obtulit: quia erat tantùm vmbra & figura. Chriſtus verò obtulit corpus & ſanguinem, ſub panis & vini ſpeciebus: longè enim veritas præſtat figuræ.

2. Eadem fuit veterum *Rabbinorum* traditio, ſuperiùs allata, de futuro *Meſſiæ* ſacrificio. Præſertim notanda ſunt verba *Rabbi Simeonis* in apertione ſecretorum. *Hoc eſt*, inquit, *ſacrificium, quod poſtquam venerit Meſſias facient ſacerdotes coram Deo, ſacrificium iſtud ex pane & vino; quod cùm primùm Sacerdotes exercebunt, Angeli audientes illa ſacro-ſancto verba ex ore ſacerdotum, inuidebunt. Tunc Deus illud & omne ſacrificium in vnaquaque ara, in corpus Meſſiæ conuertetur virtute ingenti verborum, quæ ab ore ſacerdotum manabunt.* Hæc autem Hebræorum traditio etiam tranſiit ad Gentes; vnde tanti faciebant ſummum ſacerdotium *Melchiſedechianum* panis & vini in lege Naturæ, vt ſoli ſummi Pontifices apud Ægyptios, apud Perſas, apud Druidas, apud Romanos, apud Sinas, vt ſuperiùs vidimus, poſſent illud offerre; & quod mirandum eſt, fuit illud commune vtrique legi, Naturæ & Moſaïcæ. Sed in *Moſaïca* plures ceremoniæ eidem additæ, magis expreſſerunt diuinum hoc Chriſti ſacrificium, quod omnia vtriuſque legis ſacrificia in ſe continet, ſiue cruenta, ſiue incruenta: nam in eo ſpiritualiter vi verborum mactatur Chriſtus verus Dei agnus, ac eius corpus & ſanguis ſeparata adſunt myſticè ſub di-

Digitized by Google

uersa specie panis & vini; fitque vera memoria Passionis & mortis eius: licet per concomitantiam sit totus sub qualibet specie; nec tamen est vlla realis sanguinis effusio; ideoque moritur in hoc sacrificio mysticè, & realiter viuit. Estque hæc admiranda *memoria mirabilium Dei*, de qua regius Psaltes, Ps. 110. v. 14. *Quam fecit Dominus, cum escam divinam dedit timentibus se.*

3. Quæ omnia confirmantur à sanctis Patribus. Ita enim Cyprianus Ep. 63. exponit hunc locum, *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Qui ordo*, inquit, *venit & descendit de sacrificio illo; quòd Melchisedech fuit sacerdos Dei summi; quòd panem & vinum obtulit; quod Abraham benedixit. Quis enim magis Sacerdos, quàm Dominus noster, qui sacrificium obtulit Deo Patri, & obtulit hoc idem, quod Melchisedech obtulerat, id est panem & vinum, suum scilicet corpus, & sanguinem?* Idem sentiunt Ambrosius de Sacram. Hierony. Augustinus quoque multis in locis, & alii passim.

§. 2. *Institutio Missæ à Christo.*

1. Post Prophetias, figuras, & traditionem huius sacro-sancti Sacrificii, habemus eius institutionem à Christo, ex Mat. 26. & Luc 22. Vbi verè instituit, & celebrauit *Eucharistiam*, non solùm in ratione sacramenti, sed etiam proprii sacrificii; iussitque Apostolis eorumque successoribus, vt hoc ipsum facerent, id est, eamdem celebrandi, & consecrandi actionem repeterent. Luc 22. & 1. Corint. 11. *Hoc facite in meam commemorationem.* Tunc enim Christus obtulit Eucharistiam, tanquam verum sacrificium; vt satis indicant Scripturæ verba, quibus patet, quòd ipse pridiè Passionis suæ, declarat se tunc dare, & offerre corpus ac sanguinem suum pro-

nobis in remiſſionem peccatorum. Nec dixit ſolùm ſe daturum; ſed ſe dare in præſenti: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* Et participia Græcè ſunt præſentis temporis. Lucæ. 22. διδόμενον *quod datur.* 1. Cor. 11. κλώμενον *quod frangitur.* Sic etiam de ſanguine ſuo dixit, non ſolùm, *qui effundetur*, in futuro; ſed, *qui effunditur* nunc, vt patet Mat. 26. 14. Luc. 22. vbi participium ἐκχυνόμενον, manifeſtè eſt præſentis temporis, & in omnibus Græcis exemplaribus perpetuò retinetur.

2. Tandem, illa Euchariſtiæ conſecratio à Chriſto facta, omnes continet veri ſacrificii conditiones. Nam 1. eſt oblatio alicuius rei, & quidem pretioſiſſimæ, nimirum corporis, & ſanguinis eius 2. Oblatio illa fit ſoli Deo 3. Refertur per ſe directè ad cultum Dei, & ad teſtificandumi ſummum eius dominium. Vnde etiam, antequam illam conſecraret, iuxta Ioann. 13. teſtatur *omnia ſibi Patrem dediſſe in manus. Gratias* etiam *agit*, ſecundùm alios Euangeliſtas, *lauat pedes diſcipulorum*, ad maiorem diſpoſitionem; tum *oculos ſurſum tollit ad Patrem*, vt tradunt ſancti Doctores. Eam quoque refert ad Paſſionis ſuæ commemorationem: eam offert in remiſſionem peccatorum, vt ſimul ſit ſacrificium Propitiatorium, & Euchariſticum 4. Hæc actio eſt etiam externa, & ſenſibilis ratione materiæ, ſcilicet panis & vini, & aliarum ceremoniarum. 5. Eſt publica, ſeu imperata, & inſtituta per authoritatem publicam ipſius Chriſti, cui *data eſt omnis poteſtas in cœlo, & in terra*; qui etiam iuſſit eam fieri vſque ad finale iudicium. Eſt quoque actio per ſe ſanctiſſima, & Deo gratiſſima. 6. Eadem actio fit per legitimum Miniſtrum, ſcilicet per ſummum Pontificem *ſecundùm ordinem Melchiſedech*; & continuatur per eius *Miniſtros* ritè ordinatos iuxta eius præceptum. *Hoc facite*, Luc. 22.

Digitized by Google

7. Hæc actio includit aliquam realem mutationem non solùm panis & vini in corpus & sanguinem Christi; sed etiam in re oblatâ, vt pote in Christo, cuius scilicet humanitas realiter reproducitur hic & nunc, vbi antea non erat. Plura vide apud Theologos.

§. 3. Missam *celebratam ab Apostolis & eorum successoribus, testantur Scripturæ & Concilia.*

1. Veritas hæc sacrificii Missæ, confirmatur traditione Apostolica, vt jam vidimus: & D. Paulus apertis verbis testatur *1.* Cor cap. *11. se facere illud idem, quod Christus fecit in nocte cœnæ*, vbi de Eucharistia, & communione loquitur: & superiùs vidimus ex c. 13. Act. v. 2. Apostolos *sacrificasse Domino.* Habemus quoque *Missas, seu Liturgias* sanctorum Apostolorum Petri, Matthæi, vtriusque Iacobi, Marci, & aliorum, quæ cernuntur in Bibliotheca Patrum. D. Andræas, *Ego*, inquit, *omnipotenti Deo immaculatum Agnum quotidie sacrifico: qui cùm sit verè sacrificatus, & verè à populo carnes eius manducatæ, integer perseverat & viuus.* l. Passionis Andreæ.

2. Confirmatur idem indubitatâ Ecclesiæ authoritate; non solùm in Concil. Trid. sess. 22. sed etiam Nicæno 1. can. 14. vbi statuitur, Diaconos non habere potestatem offerendi sacrificii, sed solos sacerdotes: ideòque nec Diaconos debere porrigere Sacerdotibus corpus Christi, sed sacerdotes Diaconis. In Ephesino 1. tom. 1. cap. *16. Profitemur nos obire in Ecclesiis incruentem Dei cultum, & mysticas benedictiones, & sanctificari per Christi corpus & sanguinem.*

In Calchedonensi, actione 1. *Residentibus magnificentissimis Iudicibus, & Senatu ante cancellos altaris sanctissimi.*

Laodicenum can. 19. docet, *ſolis ſacratis licere ad altare accedere.* & can. 44. *Mulier non ingrediatur ad altare; non enim eſt altare, niſi propter ſacrificia.*

In Niceno II. act. 6. *Nemo vnquam Apoſtolorum, vel Sanctorum Patrum incruentum noſtrum ſacrificium, in memoriam Paſſionis Chriſti factum, vocauit imaginem corporis illius. Legas quoſcumque voles; numquam inuenies nec Dominum, nec Apoſtolos incruentum illud, quod à ſacerdote offertur, dixiſſe imaginem, ſed potius ipſum Chriſti corpus.*

In Lateranenſi, ſub Innocentio III. c. firmiter. *Chriſtus in Eccleſia eſt ſacerdos ſimul, & ſacrificium, neque hoc myſterium conficitur, niſi per ſacerdotes.* Quibus adde Florentinum, in *Decreto vnionis.* Toletanum 1. can. 5. Trullanam Synodum can. 28. & 32. Carthaginenſe IV. can. 84. Agathenſe can. 21. Arelatenſe can. 3. & alia.

§. 4. *Veritas ſacrificii* Miſſæ *ex Patribus.*

1. Tandem omnes Eccleſiæ Doctores *Miſſæ ſacrificium*, vt continens Chriſti corpus & ſanguinem ſub ſpeciebus panis & vini, agnoverunt, & celebrarunt ab Apoſtolorum temporibus ad noſtra vſque tempora; vt doctiſſimè probant Theologi, & præſertim Bellarminus in ſuis Controuerſiis, Galterius in ſua Chronologia, & alii. Et certè in primo ſæculo, Ignatius Epiſtolâ ad Romanos: *Panem*, inquit, *Dei volo, panem cæleſtem, panem vitæ, quæ eſt caro Ieſu Chriſti filii Dei viui; & potum volo ſanguinem eius.*

D. Dionyſius de Eccleſiaſtica Hierarchia, cap. 3. plures ceremonias *Miſſæ* ſacrificii, quibus adhuc vtimur, refert.

Clemens l. 6. Conſtit. Apoſt. *Pro ſacrificio*, inquit, *cruento, rationabile & incruentum, atque illud*

mysticum sacrificium corporis & sanguinis Domini, quod in symbolum mortis eius celebratur.

In secundo sæculo, Iustinus Martyr in 2. Apologia. *Postquam Prælatus Eucharistiam perfecit, & populus vniuersus, læta apprecatione comprobauit, qui apud nos vocantur Diaconi, dant vnicuique præsentium participare Eucharistizatum panem, & vinum, & aquam; atque ad absentes deferunt. Non enim, vt communem panem, atque communem potum, ista sumimus; sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Iesus Christus Saluator noster & carnem & sanguinem salutis nostræ causâ habuit; ita alimoniam per precationem verbi ab ipso profecti, Eucharistizatam, ex qua sanguis & caro nostra per mutationem aluntur, incarnati illius Iesu carnem & sanguinem esse edocti sumus.*

Irenæus lib. 5. cap. 1. *Quando mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & corporis Christi.*

Tertullianus lib 4. contra Marcionem c. 40. *Acceptum panem corpus suum, illum effecit, hoc est corpus meum, dicendo.* & lib. de orat. cap 14. *Ergo denotum Deo obsequium Eucharistia resoluit, an magis Deo obligat? nonne solemnior erit statio tua, si ad aram Dei steteris, accepto corpore Domini, & reseruato? Vtrumque saluum est, & participatio sacrificii, & executio officii.* Et ad Scapulam, cap 2. *Sacrificamus pro salute Imperatorum, sed Deo nostro*, &c.

In tertio & quarto sæculo, Clemens Alexandrinus l. 1. Stromatum, testatur cum Paulo 1. Cor 11. *eum esse reum corporis & sanguinis Christi, qui indignè sumpserit*; & agnoscit *Melchisedech, vt figuram huius sacrificii Eucharistici.*

Origenes contra Celsum lib 8. *Nos cum precibus & gratiarum actione oblatos panes edimus, corpus jam per precationem factos sanctum quoddam, & sanctificans*

utentes eo cum ſano propoſito Et hom. 23. in Num *Videtur mihi, quòd illius eſt ſolius offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinenti & perpetuæ ſe deuouerit caſtitati.*

Auguſtinus tractatu 27. in Ioannem *Accedat Spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad ſcientiam & prodeſt plurimùm. Nam ſi caro nihil prodeſſet, Verbum caro non fieret, vt habitaret in nobis.*

Cyprianus ſerm. de Cœna Domini *Perpes eſt hoc ſacrificium, & ſemper permanens holocauſtum: nulla panem hunc multitudo conſumit, nulla antiquitate veteraſcit.*

Concilium I. Nicænum, can 14 & 18 *Peruenit ad ſanctum Concilium, quòd in locis quibuſdam & ciuitatibus, Preſbiteris Sacramenta Diaconi porrigant: hoc neque regula, neque conſuetudo tradidit, vt hi qui offerendi ſacrificii non habent poteſtatem, his, qui offerunt corpus Chriſti, porrigant.*

Plura vide apud Galterium in opere Chronologico, apud Bellarminum, &c.

Caput XXXV.

De ſacra Communione *Corporis Chriſti.*

1 CVm Deus ſit principium & finis hominum, natura humana vix poteſt Dei abſentiam aliquatenus pati, quæ ſcilicet, antequam crearetur, *in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Ioan 1. ac proinde ad eius vnionem ingemiſcit & aſpirat Eſt enim hæc finis ſacrificiorum, & omnium Religionis myſteriorum; quod perfectè Chriſtus compleuit per diuinæ Euchariſtiæ inſtitutionem, ad quam omnium hominum vota in lege Naturæ & Moſaica tendebant Vnde hoc Euchariſticum conuiuium Dionyſ de Ec-

cleſiaſtica Hierarchia, vocat *conuiuium inſpectionis.*

Certè videmus quòd in vtraque lege *Communio ſacrificio* ſuperaddita eſt: vt ſicut per *ſacrificium* creatura ad Deum redit oblata ei; ſic per *communionem* eorum quæ erant ſacrificata, & Deo vnita, ipſe Deus quaſi ad creaturam deſcendat Et quidem de lege Moſaica certum eſt, non tantùm ſacerdotes ſed etiam laicos, ſeu populos communicari ſolitos de iis, quæ ſacrificata fuerant, & Deo oblata; vt conſtat ex libris Exodi, Numer. Leuitici & Deuteronomii, & ex D. Paulo 1. Cor 10. v. 18. *Nonne qui edunt hoſtias participes ſunt altaris?* De lege etiam Naturæ eundem Apoſtolum teſtem habemus eodem loco v. 20. *Quæ immolant*, inquit *Gentes, Dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri Dæmoniorum: non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum.* Et Arnobius lib 5. aduerſus Gentiles. *Sacras*, inquit, *facitis menſas Salinorum appoſitu, & ſimulacris Deorum.*

3. Quia verò non ſemper in lege Naturæ Gentes Idolis ſeruierunt, vt lib 2. fuit oſtenſum; tunc etiam Gentium ſacrificia & communio nequaquam fuere prophana, in ſtatu iſto innocentis legis naturæ. Neque enim ſancti Patriarchæ, *Noë, Sem, ſeu Melchiſedech & Abraham, Iſaac, Iacob*, & amici eius, fuerunt idololatræ, & tamen ij omnes, ſicut & Iudæi, *eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt.* vt aſſerit Apoſtolus loco citato. Eorum autem fiebat præſertim Communio primis his temporibus de ſacrificio panis & vini, quod obtulit *Melchiſedech*, ſeu *Sem* filius Noë, Sacerdos Altiſſimi, à patre edoctus & inauguratus. Cui ſucceſſit in ſummo ſacerdotio *Iſaac*, qui ætate prouectus, ſuum filium inaugurauit *Iacob*, poſt oblatum illud ſacrificium, & acceptam

communionem, iuxta illud Geneſis 27. *Deditque pulmentum, paneſque quos coxerat, obtulit ei etiam vinum.*

4. Quis enim non videt, benedictionem hanc, quam dedit ei, fuiſſe veram conſecrationem, & deputationem ad illud ſacrificium, quod ſolus primogenitus, & ſummus ſacerdos offerre poterat? Quæ ideo nec retractari, neque multiplicari poterat, iuxta illud: *Num pater vnicam habes benedictionem?* inquiebat Eſaü, verus naturalis primogenitus, ad Iſaac: cui reſpondit Iſaac: *Benedixi ei, & erit benedictus*, &c. *Dominum tuum illum conſtitui; & omnes fratres eius ſeruituti eius ſubiugaui; frumento, & vino* quæ ſunt vera ſacrificii magni, & ſanctæ Communionis materia *ſtabiliui eum: & tibi poſt hæc vltra, fili mi, quid faciam?* Vnde cum vrgeret *Eſaü* alteram benedictionem petens, nequaquàm *Iſaac* ſtabiliuit eum frumento & vino, quod potuiſſet facere, ſi prima benedictio fuiſſet ſolùm communis & prophana; ſed benedixit ei de pinguedine terræ, & rore cæli.

5. Clemens Alexandrinus lib 6. Stromat. teſtatur apud *Ægyptios* Summum Pontificem ſolitum in publica proceſſione deferre calicem vino plenum, dum alii ſacerdotes circum circa eum panes deferebant, ad hoc ſacrificium *Melchiſedechianum* celebrandum.

Idem aſſerit Tertullianus de *Perſis*; & ſuperiùs notauimus eundem apud omnes fere Gentes morem fuiſſe.

Bolducius, de *Oggio* Chriſtiano lib. 1. cap. 13. & 14. notat, *Oggium* hebraicè ſignificare *ſacrificium panis azymi*; à quo nomine verbum *Orgia* ſumpſit etymum.

Addit, *Cereris*, ſeu ſacrificii panis ſolemnia ab ipſo Adamo fuiſſe inſtituta: Sicut & *Bacchanalia*, non

Digitized by Google

quidem corrupta, vt fuerunt postea, ab ipso *Noë*, summo Sacrificatore panis & vini, qui ideo dictus fuit *Ogiges*: à quo filius eius *Sem*, qui & *Melchisedech*, sacrificium illud accepit, & multa alia huius sacrificii mysteria aperuit.

Tandem magnum esse ait illud sacrificium, & tam gratum Deo, vt meruerit ab eodem collaudari per Malachiam Prophetam cap. 3. his verbis. *Et placebit Domino sacrificium Iudæ & Ierusalem, sicut dies sæculi, & sicut anni antiqui* id est, sacrificium Iuda & Ierusalem, quando legem *Messiæ* suscipient, ita gratum & placitum erit Deo, sicut innocentia primorum Patriarcharum sacrificia, quæ sæculis & annis antiquis, id est, primis temporibus ei offerebant.

6. Porro; sicut in vtraque lege, Naturali & Mosaïca, omnia eorum sacrificia erant solùm vmbra & figura Christi sacrificii; sic etiam eorum Communio. Vnde eandem quidem escam, & eundem potum habebant, sed spiritualiter tantùm, nos verò etiam realiter, & corporaliter. Quia, vt probauimus, realiter & verè in nostra Communione recipimus Christum iam existentem, veram eius carnem manducamus, & verum eius sanguinem bibimus. Vnde indignè communicantes, grauiori pœnâ digni sunt, vt rei corporis & sanguinis Christi: vnde etiam iudicium sibi manducant & bibunt, non diiudicantes corpus Domini. *Sicut enim*, inquit Chrysost. hom. 5. super Matth. *corporalis cibus cùm ventrem inuenerit, aduersis humoribus occupatum, amplius ladit, magis nocet & nullum præstat auxilium: ita & iste spiritalis cibus, si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdet, non suâ natura, sed accipientis vitio.*

Væ ergo, inquit Remigius in glossa super Matth. *Væ per quem hominis filius tradetur, tradentibus Christum ad crucifigendum; sed væ cum maligna conscien-*

tia ſub Sacramento ſumentibus illum Etſi enim non tradunt Iudeis ad crucifigendum, tradunt tamen ipſum membris inimici ad ſumendum.

CAPVT XXXVI.

Euchariſtiæ *Sacramentum & Sacrificium confirmantur rationibus conuenientiæ.*

1. CVm ex natura ſua amor ſit ſui diffuſiuus & communicatiuus; quantò maior eſt & perfectior, tantò maior eſt eius communicatio. Vnde cùm Dei amor ſit infinitus, & ſit ipſe Deus, eſt etiam ſui ipſius infinitè communicatiuus. Hinc eſt quòd ad intra infinitè *Pater* æternus ſe communicauit *Filio* ſuo, & Pater & Filius infinitè ſe communicauerunt *Spiritui ſancto*; vt ſuperiùs de *Trinitate* diſſeruimus. Ad extra autem *Filius* Dei ſe communicauit naturæ humanæ infinitè per incarnationem; ac etiam *Pater*, quatenus dedit nobis Filium ſuum infinitum; nec non etiam *Spiritus Sanctus*, qui vnà cum Patre & Filio operatus eſt hoc admirandum opus; quia opera *Trinitatis* ad extra, ſunt indiuiſa. Se etiam incomprehenſibili & admirabili modo *Spiritus ſanctus* communicauit Eccleſiæ, in feſto *Pentecoſtes*.

2. Verùm, cùm his communicationibus non eſſet exhauſta Dei charitas omnipotens, & infinitè amans nos; quia Sapientia diuina nouum infinitæ communicationis modum adinuenit, per *Euchariſtiam*; vt ſinguli homines poſſent frui eodem bono, quo natura humana ſingularis Chriſti fruitur; & recipientes eundem Chriſtum, Deum & hominem, per manducationem in eum tranſmutarentur, & fierent non tantùm *Chriſtiferi*, vt ait Chryſoſtomus,

Digitized by Google

ſed *Chriſti* euaderent: Charitas infinita Dei voluit ſe hoc nouo & diuino modo communicare omnibus & ſingulis hominibus; & omnipotentia compleuit quod inuenit ſapientia, & quod bonitas voluit.

3. Et hoc eſt *Sacramentum* illud admirandum corporis & ſanguinis Chriſti, quod eſt Sacramentum vnitatis & Communionis, quo omnes homines Deo perfectè vniti, & Chriſto eorum capiti, etiam ipſi inuicem vniuntur. Sicque per illud totum Chriſti corpus myſticum perfectiſſimè vnitur & aſſimilatur: eius verò corpori naturali, cùm per ſpiritalem, tùm per realem manducationem, ac proinde per nutritionem, ſeu per eius verum corpus, cui incorporantur communicantes, ſicut alimentum manducanti: quia verò illa manducatio & nutritio, eſt amoris myſterium; amans autem nutritur de re amata, & in eam conuertitur: ideo etiam transformantur in Chriſtum, verè ipſum amantes, & digne communicantes, recipientes hoc viaticum, quo conſeruantur per Chriſtum in vita eius ſpiritali, ne deficiant in via, & ſuſtentantur, donec veniant ad æternam gloriam, cuius myſterium hoc eſt pignus, & ſemen. Hanc vnionem indicant panis confectus ex pluribus granis frumenti, & vinum expreſſum ex multis racemis, quæ ſunt materia huius Sacramenti.

4. Quod autem verba Chriſti in conſecratione faciant quod ſignificant, realiter & de facto, manifeſtum eſt. Tùm, quia alias veritas, quæ Chriſtus eſt fieret mendax; quod eſt impoſſibile. Tùm, quia *oportet, quod verba Creatoris aſcendant per vnum gradum* (vt probat Raymundus Sebundus titulo 286. Theologiæ naturalis) *ſuper verba creaturæ; & neceſſe eſt dare vnum gradum verbo Dei, magis ſuper verbum hominis: ſed verba creaturæ, nempe hominis, ſignificant ſemper aliquid. Ergo verba Dei magis de-*

bent habere vltra significationem, scilicet; quod faciant id, quod significant. Et confirmatur: quia verbum Dei est omnipotens, vtpote, quod primùm de nihilo cuncta creauit.

5. Itaque in isto *Sacramento*, vt vidimus, ipsæ res visibiles, scilicet panis & vinum, realiter per verbum Christi mutantur, & conuertuntur in corpus & sanguinem Christi. Et per hoc signatur etiam spiritalis transmutatio dignè communicantis, in Christum mirabiliter exaltati, & deificati per hanc communionem; quâ fit, vt omnes communicantes sint Deo perfectè vniti, ac sibi inuicem in Deo, sitque Deus iam *omnia in omnibus*: sicut in cælesti gloria, cuius typus, & quasi præludium est adoranda & amanda *Eucharistia.* Quia per eam fruimur in hac vita eodem obiecto nostræ futuræ beatitudinis; sed *velatâ nunc*, 1. Cor 13. *& tunc reuelata facie videbimus eum sicuti est* 1. Io. 3. v. 2.

6. Nec solùm autem diuina *Eucharistia* est Sacramentum vnionis; sed est etiam sacrificium memoriale passionis Christi. Quod, vt vidimus, nobis ipsum Christum seipsum immolantem pro nobis in cruce, præsentem realiter exhibet, & nobis passionis suæ meritum applicat; & ideo est simul sacrificium placatiuum & satisfactiuum, ac etiam Eucharisticum & vnitiuum. Et confirmatur ex eo, quòd præteritorum sola memoria restat, ac simul meritum. Atqui meritum non nobis proderit, nisi applicatum nobis, memoriam veram & realem facientibus Christi passionis, in qua omne nostrum meritum fundatur. Non autem ita realis esset memoria, nisi ipse Christus realiter nobis esset præsens, sicuti est in hoc sacrificio, quod realiter ipsum exprimit morientem. Vnde, vt diximus, ideo vi verborum consecrationis eius solum corpus ponitur sub specie panis, & solus sanguis sub specie vini; licet per concomitantiam

comitantiam vtrumque sit sub qualibet specie. Ideo dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.*

7. Concludamus ergo cum Chrysostomo, hom. 21. ad Populum Anthiochenum. *Ne igitur amplius ad mortalia maneamus hiantes; ne circa mensæ delicias, ne circa vestimentorum ornatum: habes enim maximum indumentum, habes mensam spiritalem, habes gloriam supernè; & omnia tibi Christus factus est & mensa, & vestimentum, & domus, & caput, & radix: quotquot enim baptizati estis in Christo, Christum induistis Ecce quomodo vestimentum tibi est. Vis discere quomodo & mensa tibi sit? Qui me comedit, inquit, viuet ille propter me. Quòd autem domus est tibi: Qui tomedit carnem meam in me manet, & ego in eo. Et quòd radix: Rursum*, inquit, *ego vitis, vos palmites.*

CAPVT XXXVII.

Responsio ad obiectiones Hæreticorum *contra realem præsentiam corporis & sanguinis Christi in* Eucharistia, *&* Transsubstantiationem.

1. SIcut sol recens in ortu, fugatis tenebris diem reducit; ita diuinum Christi Euangelium, dissipatis vmbris veterum figurarum, æternam mysteriorum veritatem nobis adduxit ipsa luce clariorem. Vnde miror, quòd hæreses tantùm valeant apud plerosque, qui tentant reuocare figurarum tempus, & velum legis veteris in morte Christi scissum restaurare.

2. Ii sunt *Caluinistæ*, quorum peior est conditio, quàm olim Iudæorum. Verùm cùm malum nullas habeat vires; ita nec hæreses, nisi in non valentes. Facilè ergo eorum tela retundemus, & quàm futiles sint eorum aduersùs Eucharisticam veritatem ob-

iectiones, demonſtrabimus Deo fauente.

Prima ſumitur ex cap. 26. Matthæi.

Pauperes ſemper habebitis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis. Vnde concludunt, Chriſtum non eſſe realiter in Sacramento.

Reſpondemus 1. falſam eſſe eorum conſequentiam. Cùm etiam ipſe Chriſtus promiſerit ſe manſurum nobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi.

Reſpondemus 2. Chriſtum ibi agere de præſentia viſibili, vt patet, non autem de inuiſibili & Euchariſtica.

Secunda obiectio Hæreticorum, aſſerentium omne corpus debere eſſe palpabile. Idcirco enim Chriſtus Luc. 24. iubet ſe tangi ab Apoſtolis. *Palpate, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.* Atqui in Euchariſtia non tangitur: ergo, &c.

Reſpondemus, omne corpus eſſe palpabile naturâ ſuâ: non tamen ſemper eſſe palpabile per miraculum. Hinc Chriſtus natus eſt de Virgine Maria, illæſo virginitatis ſigillo: & exiit de ſepulchro ſemper clauſo: & intrauit ad diſcipulos clauſis ianuis.

Tertia obiectio. Chriſtus ſedet à dextris Dei, donec veniat iudicare viuos & mortuos, vt teſtatur Scriptura multis in locis, Ergo non eſt in Euchariſtia.

Reſpondemus, conſequentiam eſſe falſam. Cùm vnum & idem corpus per diuinam potentiam poſſit eſſe in multis locis: & verè Chriſtus apparuit Paulo in via, nec tamen deſiit eſſe in cœlo. Act. 9.

Quarta obiectio. Scriptura vocat Euchariſtiam, panem: ergo non eſt corpus Chriſti.

Reſpondemus 1. non vocari ſimpliciter panem, ſed panem hunc, panem viuum, panem Angelorum. Secundò, eſt etiam panis verè, quia nutrit; & vide-

mus omnia alimenta vocari panem in Scripturis. Cum autem sit animæ refectio, panis est spiritualis. Tertiò, respectu specierum & accidentium potest vocari panis, vt etiam respectu materiæ consecrationis, idque in sensu diuiso; sicut scriptum est, cæci vident.

Quinta obiectio: Hoc facite in meam commemorationem, ait Christus Luc 22. Atqui memoria est rerum absentium. Ergo Christus non est realiter præsens in Eucharistia.

Respondemus, falsam esse consequentiam. Nam primò, Christus non ait, hoc est memoria, aut commemoratio mei, vel mea; sed, hoc facite in meam commemorationem. Secundò, per hæc verba, duo præcipit Christus. Primum, vt Apostoli faciant quod ipse fecit; scilicet consecrationem panis & vini, in corpus & sanguinem suum. Alterum, vt hoc faciant in eius commemorationem, scilicet in memoriam eius passionis. Vnde ait: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: Hic est sanguis, qui pro vobis, & pro multis effundetur.*

D. Paulus 1. Cor 11. *Quotiescumque manducabitis, &c. mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Nil autem vetat aliquid esse symbolum rei simul absentis, quoad modum; & circunstantias, & præsentis realiter v. g. Imperator victis in acie hostibus, deinceps in ludis publicis, potest præsens adesse: imo etiam personam propriam agere, & repræsentare reportatam victoriam. Hoc est quod facit Christus.

Sexta obiectio. Ioan. 6. *Verba quæ loquor, spiritus & vita sunt; caro non prodest quidquam.* Quæ verba Christus protulit de concedenda carne ad manducandum. Ergo non realiter dedit carnem suam in Eucharistia; sed tantùm figuratiuè.

Respondemus falsam esse consequentiam. Quia,

licèt Christi verba sint spiritus & vita, nec carnaliter sint sumenda, quasi voluerit nobis dare carnem suam palpabili & sensibili modo, sicut solent dari carnes animalium ad manducandum, vt intelligebant *Capharnaitæ*: non tamen hæc negant, quod antea promiserat, & denuo promisit. Si enim voluisset Christus tantùm figuratè sua verba explicari, & in Eucharistia nil dare præter figuram aut signum, aut memoriam sui corporis & sanguinis; non ita scandalizati essent *Capharnaitæ*, nec discipuli abiissent eô relictô, quia nil noui docuisset, aut promisisset; cum Manna, Agnus Paschalis, & Panes Propositionis fuerint signum, figura, & memoria Eucharistiæ. Consule Augustinum in Ps. 92. Deinde cum asserit carnem nil prodesse, non loquitur de sua carne; quia ipse promittit se eam daturum pro mundi vita, & verè corpus eius fuit cruci affixum pro salute nostra. Igitur vel intelligenda sunt verba de nostra carne corrupta, quâ videmus, olfacimus, & tangimus, & gustamus: etenim visus, gustus & tactus in Eucharistia falluntur; sed auditu solo tutò creditur, quod verè dedit nobis carnem suam ad manducandum realiter, sed modo spiritali, diuino, Eucharistico; sicut verè anima nostra est in corpore nostro, sed indiuisa, impassibilis, impalpabilis in se, & spiritali modo. Quod si vis intelligere hæc verba: *Caro non prodest* de carne Christi, id explicandum est de carne sola separata, scilicet ab anima, & à verbo Dei.

Septima obiectio, ex Tertulliano lib. 3. contra Marcionem, *Christum dedisse corporis sui figuram panis*: ergo Eucharistia est tantùm figura.

Respondemus conclusionem hanc malè desumi. Primò, quia non ait, Christum dedisse corporis figuram pani, vel panem; sed panis *in genitiuo* Et sensus est verborum Tertulliani, Christum dedisse fi-

guram panis, figuram corporis sui. Quia verè panis Eucharisticus, habet tantùm figuram panis, & ille panis de quo loquitur Ieremias cap. 11. *Mittamus lignum*, supple Crucis, *in panem eius*, id est, in corpus eius *Erat figura corporis Christi, quod dedit nobis ad manducandum.* Et hoc est quod intendit Tertullianus ad probandum aduersùs Marcionem, vetus Testamentum bonum fuisse; quia continet figuras, quas Christus in se compleuit. Secundò, nil impedit, quominus eadem res sit figura simul, & veritas; cùm Apostolus vocet Christum *verè filium* Dei, & *figuram* substantiæ eius. Et *Manna* asseruabatur in vrna aurea iussu diuino, in *memoriam Mannæ* ipsius. Quo sensu alter locus Tertull. sumendus est ex lib. 4. contra Marcionem, cap. 40. *Christus acceptum panem, & distributum discipulis, fecit corpus suum, dicendo, Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei.* Nam *figura corporis mei* debet iungi cum vocabulo, *hoc*: Et sensus est: id quod erat figura corporis mei, iam est corpus meum. Etenim similes orationis hiatus, seu hyperbata, apud Tertullianum frequenter reperiuntur.

Idem respondendum est ad obiectiones alias ex Augustino, &c. cùm Eucharistiam vocat, signum & figuram corporis Christi. Est enim vtrumque, signum & veritas, figura & figuratum, memoria & memoratum. Cùm enim sit Sacramentum, debet necessariò esse signum; & cùm sit passionis Christi expressio, debet esse memoria & figura Christi patientis in cruce, fundentis sanguinem suum pro nobis. Ac proinde concludimus, cum eodem Augustino lib. 2. contra aduersarium legis, c. 9. *Nos carnem & sanguinem Christi fideli corde & ore suscipere: quamuis horribilius videatur manducare carnem hominis, quàm occidere; & horribilius bibere humanum sanguinem, quàm fundere.*

Octaua obiectio. Quod intrat in os, non coinquinat hominem, ſed vadit in ſeceſſum. Matth. 15. Atqui indignum eſt dicere, vel cogitare, quòd corpus Chriſti vadat in ſeceſſum. Ergo non intrat in os.

Reſpondemus primò. Quod corpus Chriſti, ſtatim ac ſpecies ſunt conſumptæ in ſtomacho, deſinit eſſe ſub *jis*, ac proinde non vadit in ſeceſſum. Secundò, quòd Chriſtus Matthæi 4. non eſt dedignatus transferri à dæmone. Tertiò, ipſam diuinitatem, quæ eſt vbique, non coinquinari in locis fœtidis; ſicut nec radius ſolis, lutum attingens.

Nona obiectio Lutheranorum eſt. *Non bibam de hoc genimine vitis.* Luc 22. v. 18. Ergo ſaltem dicendum eſt, vinum manere ſimul cum ſanguine Chriſti.

Reſpondemus 1. ex ſancto hoc Euangeliſta, qui teſtatur 1. cap. Euangel. v. 3. ſe narraturum per ordinem omnia quæ Chriſtus geſſit; ipſum Chriſtum poſt cœnam bis calicem ſumpſiſſe, & poſt primam ſumptionem hæc verba protuliſſe. Quò fit vt hæc obiectionis verba potiùs confirment, nullum eſſe vinum in calice quem ebibit, aliàs feciſſet contra promiſſionem ſuam recentem. Secundò, Scripturam ſæpè ſolitam eſſe, vocare res ipſas eodem nomine, quo vocabantur ante mutationem factam: v. g. *Surdi audiunt, claudi ambulant.* Matth. 11. v. 5.

Decima obiectio eorumdem *Lutheranorum* D. Paulus 1. Cor 11. v. 16. vocat *Euchariſtiam panem*: ergo reſtat etiam panis poſt conſecrationem.

Reſpondimus iam ſuperiùs huic obiectioni, quæ quarta eſt *Caluiniſtarum.* Addimus 1. non ſimplicem panem vocari, ſed cum adiecto 2. Omnia quæ eduntur, vocari panem in Scriptura. Gen. 43. v. 25. &c. Tertiò, vocari panem, propter ſpecies. Quartò, vocari panem, ſicut antea vocabatur, vt dicitur: *Cæci vident.*

CAPVT XXXVIII.

Solutio obiectionum contra Missæ *Sacrificium.*

1. CVm ex Daniele cap. 8. *Antichristus* debeat *iuge sacrificium* auferre; verè *Hæretici* censendi sunt eius præcursores, qui fatentur, in fine modi *Cenæ* conficiendæ, se omnem conatum in destruendo *Missæ* sacrificio adhibuisse. Videamus, quibus armis, seu quibus rationibus id tentarint in vanum.

Prima obiectio eorum sumitur ex Epistola ad Hebræos, cap. 9. v. 25. *Neque vt sæpe offerat semetipsum,* & c. 10. v. 10. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Et v. 12. *Hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam.* Et v. 14. *Vna enim oblatione consummauit in æternum sanctificatos.* Ergo inquiunt, non ampliùs seipsum offert in *Missa.*

Respondemus Apostolum in his duobus capitibus loqui tantùm de sacrificio cruento, seu de sacrificio *Crucis*, & redemptionis, vt satis apparet legentibus; non autem de sacrificio *Melchisedechiano*, vt notat Chrisostomus hom. 17. in Epistolam ad Hebræos, dicens: *Quid ergo nos? nonne offerimus per singulos dies? Offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius, Et vna est hæc hostia, non multæ. Quomodo vna, & non multæ? & quia semel oblata est illa, oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium, exemplar est illius. Id-ipsum semper offerimus, nec vnum quidem hodie agnum, crastina alium sed semper id-ipsum. Proinde vnum est Sacrificium hoc. Alioquin hac ratione, quoniam in multis locis offertur, multi Christi sunt? Nequaquam, sed vnus vbique est*

Christus, & hic plenus existens, & illic plenus. Vnum corpus. Sicut enim qui vbique offertur, vnum corpus est, & non multa corpora: Ita etiam & vnum sacrificium.

Secunda obiectio sumitur ex Epistola ad Hebræos, cap. 9. v. 21. vbi dicitur: *Sine effusione sanguinis non fit remissio.* Ergo nullum est in cruentum sacrificium. *Respondemus* 1. Apostolum loqui de sacrificiis veteris legis; ideo addit, *secundum legem.* 2. Quòd etiam in sacrificio *Missæ*, vi verborum fit mysticè effusio sanguinis Christi. 3. Quod si ad litteram hoc esset verum, per Baptismum non fieret remissio peccatorum.

Tertia obiectio Hebræ. 7. v. 7. *Sine vlla contradictione, quod minus est àmeliore benedicitur.* Ergo sacerdotes non debent benedicere corpus Christi, sed tantùm panem Ergo Christus non est in cæna, seu in pane cui benedicimus; vel saltem erit simul cum pane, qui benedicitur.

Respondemus, sacerdotes esse tantùm Christi Vicarios, ipsum verò esse præcipuum sacerdotem, simul & hostiam, vt notant Ambrosius, & alii.

Quarta obiectio Eucharistia est Sacramentum, & comeditur ab hominibus. Ergo non potest esse sacrificium, quod Deo offertur.

Respondemus, falsam esse consequentiam: cum *Agnus Paschalis*, & sacrificium vetus Melchisadech, & alia multa fuerint simul sacrificia, & Sacramenta. Imo, vt superiùs probauimus, communio sequebatur sacrificium, de eodem quod Deo fuerat oblatum.

Quinta obiectio Christus instituens Eucharistiam, non dixit, *offerte*, sed *comedite & bibite.*

Respondemus, Christum vsum fuisse vocabulo æquipollente, nempe, *hoc facite in meam commemorationem*: supple, illud idem quod feci. Id est, celebrate Eucharistiam, quam nunc instituo, pro gra-

tiarum actione, in memoriam meæ mortis, quam pro vobis subiturus sum.

Sexta obiectio. Christus est sacerdos in æternum: ergo nullum habet successorem: ergo sacerdotes quos vocant, non sunt tales.

Respondemus, propriè sacerdotes esse tantum Christi vicarios & ministros, non autem Christi successores; ipsum verò esse præcipuum sacerdotem, nullum habentem successorem, in ea dignitate præcipua.

Septima obiectio. Infinitum est meritum sacrificii crucis: ergo vanum est aliud sacrificium.

Respondemus, falsam esse consequentiam: cum indigeamus alio, per quod simus verè memores illius tanti beneficii, & per quod illius beceficii fructus nobis applicetur: & illud est *Missæ sacrificium* quod est vera commemoratio *sacrificii Crucis.*]

CAPVT XXXIX.

De Communione *sub vtraque specie, in quo soluuntur obiectiones contra Communionem* Laïcorum *sub vna tantùm.*

1. QVamuis extet præceptum diuinum de consecranda vtraque specie panis & vini in *Missa*: & sacerdotes dum peragunt sacrificium, teneantur vtramque accipere, propter sacrificii completionem, & veram expressionem Christi passionis, & mortis, in qua verè fudit suum pro nobis sanguinem, tamen respectu Laïcorum nullum est tale præceptum, vt sub vtraque specie communicent. Etenim Christi præceptum, *Hoc facite, & bibite ex eo omnes,* solos spectat sacerdotes, qui verè Christum offerre

debent, & cum eo communicare eodem modo, quo ipse se obtulit Patri, & cum Apostolis communicauit, iuxta illud Lucæ 22. *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum; & dico vobis, non manducabo illud, donec illud impleatur in regno Dei; & non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.* Estque mens sanctorum Patrum, *Hieronymi* in cap. 26. Matth. & Epist. 150. quæstione 2. *Augustini* lib. 3. de consensu Euangelistarum, c. 1. *Chrysostomi* homil. 83. in Matth. *Euthymii* in Lucam. Et confirmatur ex eo quòd Christus hæc verba proferens, alloquebatur solos Apostolos ministros suos, quos etiam fecit sacerdotes per hæc verba, *Hoc facite.* nec in ista cæna vlli erant laïci, ad quos hoc præceptum extenderetur.

2. Ad cuius veritatis maiorem confirmationem, nota, quòd in Scripturis, vbi agitur de communione Laïcorum, nulla fit mentio calicis', præsertim Lucæ cap. 24. *Cognouerunt eum in fractione panis.* Act. 2. *Erant perseuerantes in oratione, & communicatione fractionis panis.* Et Act. 20. *Cùm conuenissemus ad frangendum panem.* Adde, quòd Christus variis in locis, agit de vna tantùm specie. *Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Et *Ego sum panis vitæ; si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*, &c. Diuus Paulus etiam sæpe vnius speciei mentionem facit: & 1. Cor. 11. disiunctiuè loquitur de vtraque specie. *Quì manducaverit, vel biberit indignè, reus erit*, &c.

3. Neque ob id Laïci minus communicant corpori & sanguini Christi, cùm ipse semel mortuus, non moriatur; atque ideo est in Sacramento impassibilis, & indiuisibilis ac totus sub vtraque specie: vnde quisquis accipit corpus Christi, accipit quoque simul eius sanguinem realiter, quantum ad rem, &

Digitized by Google

ſubſtantiam ſanguinis, licet non quoad modum externum potus, aut ſenſibilem vini ſpeciem.

4. Tandem, certum eſt ex Concilio Nicæno, & antiquis Patribus, Euchariſtiam ſeruari ſolitam in Eccleſia, ac etiam aſportari à laïcis ad ſuas ædes, vt tempore perſecutionis, morte inſtante Domini cum ſumerent viaticum. Conſule Tertullianum, lib. de Oratione, cap. vltimo. *Accepto*, inquit, *corpore Domini, & reſeruato.* Et lib. 2. ad vxorem cap. 5. Clement Alexandrinum lib. 1. Stromatum, cap. 1. & alios. Sed & dabatur Monachis, ſeu ſolitariis, vt ſecum deferrent in deſertum, teſte D. Baſilio epiſtola ad Cæſaream Patriciam. Et aliquando per annum ſeruabatur, teſte Ioanne Moſcho in Prato ſpiritali, cap. 79. Atqui ſpecies vini non poterant ſic deferri & ſeruari incorruptæ. Conſule *Gamachæum*, de Sacrificio Miſſæ cap. 13.

5. Ex his facilè eſt reſpondere ad obiectiones Hæreticorum:

Nam 1. ad loca Ioannis 6. quibus promittitur vita æterna communicantibus corpori & ſanguini Chriſti. *Reſpondemus* 1. etiam ſub una ſpecie eam fieri communionem, vt ſuperiùs diximus. *Reſpondemus* 2. etiam eamdem vitam æternam promiſſam communicanibus ſub ſola ſpecie panis, v. 50. 51. 56. 58.

2. Ad Matth. 26. *Bibite ex eo omnes* Reſpondemus Chriſtum alloqui ſolos Apoſtolos & Sacerdotes; cùm nullus adfuerit laicus cænæ Dominicæ. Sed & ipſi Hæretici concedunt ſolum panem in cæna iis, qui non poſſunt vino vti, in eorum diſciplina Eccleſiaſtica, cap. 12. art. 7. & 10. Ergo concludamus quòd Eccleſia, authoritate ſua potuit ſtatuere, & reuera ſtatuit in Conciliis, vt laici ſub ſola ſpecie panis communicarent. Primò, ad confutandos Hæreticos aſſerentes falsò, vtramque ſpeciem eſſe præ-

ceptam omnibus à Christo. Secundò, propter varia incommoda, & scandala contingere solita communicantibus, ex calicis sumptione. Tertiò, quia plerique vinum, nec sumere possunt, nec etiam eius odorem ferre. Quartò, quia difficile erat distribuere calicem populo, quin aliquid sæpe in vestes aut in terram stillaret. Quinto, quia aliqui laicorum, longiores pilos in barba habentes, nec secare volentes, sacris speciebus plerumque intingebantur vnde scandalum maximum sequebatur. Sextò, quia laici per calicis denegationem nullâ priuantur gratia: cùm sub sola specie panis communicent Christo, eiusque corpori & sanguini, vt probauimus. & *Qui manducat hunc panem viuet in æternum.*

Caput XI.

De Sacramento Extremæ-Vnctionis.

1. Sicut Confirmatio vngit athletas Christianos ad luctam & tentationes huius vitæ post baptismum, quem perficit, seu potius eius gratiam: ita *Vnctio-extrema* ægrotos, in vltimis lineis iam certantes, confirmat, & animat ad pugnam cum dæmonibus, cum principibus tenebrarum. *Etenim*, ut notat Bernardus, lib. de inter. domo, c. 38. *larvales istæ facies animam capiunt, quæ eam in exitu præstolantur. Ex omni parte eam terrent dæmones horribiles. Quis eam defendet à rugientibus præparatis ad esam? quis deducet per ignotam viam, nisi Christus Saluator & seruator hominum? qui ideo vltimum hoc remedium, & auxilium Extremæ-vnctionis reliquit in Ecclesia militante, vt ipsemet, qui per Baptismi Sacramentum fideles in sanguine suo expurgatos, in Ecclesiam introduxit, eosdem de hoc sæculo egredientes,*

Digitized by Google

& amplius hoc Sacramento Extremæ-Vnctionis purgatos, introducat in æternam requiem.

2. Habemus autem figuras & prophetias huius Sacramenti in veteri Testamento. Nam *Genua mea* (inquit Regius Psaltes Ps. 108. v. 24) *infirmata sunt à ieiunio* (seu ab ægritudine;) *& caro mea immutata est propter oleum* (quod est materia huius Sacramenti.) Et Psal. 4. *A fructu frumenti, vini & olei multiplicati sunt* supple, fideles. Zacharias quoque Propheta cap. 4. v. 2. vidit *candalabrum aureum totum* (quod est Christus) & *lampadem* eius, seu diuinitatem, super caput eius, & *septem lucernas* super illud, & *septem infusoria in lucernis* (quæ significant septem Sacramenta) & *duas oliuas* super illud, quæ oliuæ signant duo illa Sacramenta, Confirmationis, & Extremæ-Vnctionis, quorum materia est oleum. Et lib. 4. Regum, cap. 4. Quando ad orationem *Elizæi* multiplicato oleo, debita viduæ soluta sunt, significare voluit Spiritus sanctus remissionem peccatorum per oleum hoc sacrum. Ac tandem, fuit hoc figuratum in Rege Dauid, vt notat Albertus Magnus. *Qui tribus vicibus fuit vnctus. 1. In domo patris, 1. Reg. 16. v. 13. in signum futuri regni; quæ vnctio figurabat vnctionem in baptismo. 2. In Hebron, super Iudam 2. Reg. 2. v. 4. quæ figurabat Confirmationem; quia eius regnum fuit ei confirmatum 3. Rursum in Hebron, super Israël. Quæ vnctio figurabat Extremam hanc Christianorum Vnctionem.*

3. Huius Sacramenti à Christo instituti veritatem aperit nobis D. Iacobus in Epist. cap. 5. *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum: vngentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus; & si in peccatis fuerit remittentur ei*, &c.

Ex hoc enim Iacobi testimonio pater aperta veritas huius Sacramenti; alioquin, impertinenter, & cum

fallacia illud promitteret, nisi id à Christo didicisset. Et confirmatur ex eo, quòd hoc idem, quod nobis proponit agendum, naturam habet Sacramenti: est enim *signum visibile*, scilicet vnctio ægroti, & oratio sacerdotum; *inuisibilis gratiæ*, nempe remissionem peccatorum, salutis etiam & alleuiationis infirmi.

4. Hanc quoque veritatem confirmant Concilia *Trid.* sess. 6. de Sacram. in genere; & sess. de Extrema Vnctione. *Florentinum* decreto vnionis Armenorum: *Viennense* Clementina de priuilegiis, & excessibus Priuilegiatorum: *Vormaciense* sub Adriano II. ante annos 800. &c. Et Patres. Nam *Tertullianus* li. ad Scapulam, cap. 4. ait, Antonini Imperatoris patrem infirmum sanatum fuisse à Proculo per olei vnctionem. *Bernardus*, qui in vita sancti Malachiæ cap. 32. narrat eundem sanctum Episcopum mulierem à morte suscitasse; vt ei extremam conferret Vnctionem. Consulendi sunt etiam *Innocentius* I. Ep. 1. cap. 8. *Beda* in cap. 5. Iacobi; *S. August.* sermone 215. de tempore *S. Chrysostomus* lib. 3. de sacerdotio, cap. 6. *Cyrillus Alexand.* lib. 6. de adoratione in spiritu, *S. Anastasius Nicenus* quæstionibus in Scrip. sacram, cap. 23.

5. Materia huius Sacramenti, est oleum oliuarum ab Episcopo benedictum; forma verò sita est in verbis ab Ecclesia vsupari solitis, per modum deprecationis; iuxta præceptum diui Iacobi cap. 5. Minister est solus sacerdos: suscipientes, sunt soli baptisati, graui morbo laborantes, itaut de vita periclitari videantur. Effectus verò sunt 1. gratiæ iustificantis augmentum. 2. Nouum robur, & auxilium actuale, quo confirmatur ægrotus, & corroboratur aduersùs tentationes in morte occurentes. 3. Remissio venialium peccatorum, & animæ sanitas, seu sanctitas. 4. Dispositio ad ingressum æternæ beatitudinis.

Digitized by Google

5. Etiam corporis dispositio ad futuram resurrectionem.

CAPVT XLI.

De Sacramento Ordinis, & vnitate Ecclesiæ.

1. QVi negat Ordinem, stultus est, & mente confusa; etenim sanæ mentis compos ordinem ipsum & sensu, & intellectu percipiet, etiam in seipso, & in omnibus Dei creaturis. Ro. 13. *Quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt: & ipse omnia disposuit in pondere, numero & mensura.* Sap. 11. v. 21 Vnde sapientibus rerum ordo, ita perspicuus fuit, vt ex eo colligerent diuinam existentiam Numinis omnia rite disponentis, & ordinantis. Si ergo Deus statuit ordinem præclarum in naturalibus, & politicis; quem putas, statuit in sacris, & diuinis ministeriis, quæ sunt opera eius præcipua? Certè vbi pluralitas & multitudo, ibi necessariò ordo admittendus est; vel erit confusio: quam si præsertim in diuinis ministeriis admittas, argues defectum diuinæ potestatis, & prouidentiæ, quod esset impium.

2. Ergo fatendum est Ecclesiam militantem esse castrorum aciem bene ordinatam, *in qua Deus quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam verò Doctores.* Eph. 4. Et corpus Christi mysticum, cuius pulchritudo præcipuè in præclaro eius ordine sita est, dum quodlibet huius corporis membrum suo munere rite fungitur. Vnde hæc Ecclesia, quæ consistit in concordantia omnium fidelium, sed præcipuè iustorum, ad finem suum tendit per dulcissimam harmoniam Christum viam, veritatem & vitam, qui est sponsus eius.

3. Superiùs vidimus lib. 3. cùm de Hierarchia tra-

ctauimus, quomodo in lege Naturæ, & in Mosaïca fuit ordo inter sacros ministros, & distinctio inter eos & populum. Vnde tantùm hic agendum de ordine sacrorum Ministrorum Christianæ Religionis. Itaque certissimum est Christum summum sacerdotem Melchisedechianum, in sua Ecclesia ordinem statuisse eximium; ita vt ministeria sacra non omnibus passim, exercenda commiserit; sed iis tantùm, qui vocati sunt ab eo tanquam Aaron, iuxta illud 2. *Cor* 3. *Idoneos nos fecit Ministros noui Testamenti.* Et Eph. 4. *Quosdam dedit Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euangelistas, alios Pastores, & Doctores, in consummationem Sanctorum; vt non simus fluctuantes, neque circunferamur omni vento doctrinæ.* Et Rom. 12. *Sicut in vno corpore multa membra habemus; omnia autem membra non eumdem actum habent: ita multi vnum corpus sumus, habentes donationes secundùm gratiam, quæ data est nobis.*

Denique 1. ad Timoth. 3. Apostolus meminit Episcoporum & Diaconorum: & cap. 4. meminit impositionis manuum presbyterii.

4. Sunt ergo septem *Ordines* Ecclesiastici, passim omnibus Ministris sanctis communes: nimirum, quatuor vocati *Minores*; scilicet Ostiariorum, Lectorum Exorcistarum, Acolythorum; & tres *Maiores*; scilicet, Subdiaconorum, Diaconorum, & Presbyterorum. Quod patet ex Conciliis, *Carthaginensi* quarto, cui interfuit August. à Canone 2. vsque ad nonum *Tridentino* sess. 23. cap. 2. ex Epistola decretali S. Caii Papæ, & martyris, ante annos 1300. Et quidem de Ordine presbyterorum meminit D. Paulus 1. ad Timoth. cap. 4. *Noli*, inquit, *negligere gratiam, quæ data est tibi cum impositione manuum presbyterii* Et Act. 6. Diaconi septem electi sunt ab Apostolis.

Subdiaconorum meminit S. *Ignatius* discipulus S. Ioannis Euangelistæ, in Epistola ad Antiochenos; D. *Clemens*, & alii. Offi-

Officium autem *Presbyterorum* est offerre sacrificium, benedicere populum, administrare Sacramenta, præesse, & prædicare.

Officium *Diaconorum* est, ministrare Episcopo, vel Sacerdoti in eorum ministeriis; vnde dicuntur oculi Episcopi; & cathechizare, seu prædicare; sed sine cathedra.

Officium *Subdiaconorum* est ministrare Diaconis in tremendis mysteriis, & cethechizare, deferre sacra vasa, &c.

Acolythorum Officium est, accendere, & deferre cereos accensos in Missæ sacrificio, nec non incensum. Eorum fit mentio in locis notatis, ac etiam in Concilio *Aquisgranensi*, cap. 5. in Concilio *Romano* sub S. Syluestro, apud S. Cyprianum, Epist. 55: &c.

Exorcistarum officium est, nomen Domini inuocare super Energumenos. Eorum meminit idem Romanum Concilium, & Sancti Patres.

Lectorum officium est, publicè lectiones Scripturæ cantare, & psallere.

Ostiariorum tandem officium est, custodire claues, & ianuam templi, &c.

5. Quod autem Ordo sit Sacramentum, satis constat; quia est inuisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram sanctificationem institutum. Verùm his quæstionibus Theologicis non præsumimus libellum hunc grauidandum, sed ad Theologos libenter lectorem remittimus: vt breuiter adnotemus, per hoc Sacramentum, præter gratiam sanctificantem, dari etiam & committi certis personis à Deo ad id vocatis, & in sortem Domini per clericalem tonsuram electis, authoritatem spiritualem, & potestatem intellectualem, indelebilem, atque permanentem, dispensandi, & ministrandi Sacramenta, nomine & vice Iesu Christi, omnibus hominibus rite

diſpoſitis ad ea. Ex qua authoritate conſurgit Prælatura, Ordo, Superioritas & inferioritas, ſeu legitima ſubordinatio Inferiorum & Superiorum, ſiue inter Clerum, & populum, ſiue inter ipſos Eccleſiæ Miniſtros.

6. Verùm, quia Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti, eſt omnium maximum; ideo hæc poteſtas Primo & principaliter ordinatur ad illud conficiendum per adorandum Miſſæ ſacrificium: quod quidem officium eſt *Sacerdotum*, qui vltimum huius poteſtatis gradum obtinent, ad quem debent aſcendere per ſex gradus priorum Ordinum. Solemnitas enim, & dignitas illius adminiſtrationis & diſpenſationis, requirit tot officia, & poteſtates diſtinctas; ex *D. Th.* ſupp. q. 37. art. 1. in corp. & ideo Sacramentum Ordinis, continet ſeptem gradus ordinatos, qui omnes ordinantur directè ad maximum hoc Sacramentum. Vnde, quamuis ſint ſeptem Ordines, tamen ſunt omnes vnum Ordinis Sacramentum; quia ſex primi ad ſeptimum ordinantur; ſicut varii gradus animæ vegetantis & ſenſitiuæ, ordinantur ad tertium animæ rationalis in eodem homine.

Ex quo patet, *Sacerdotium* eſſe complementum omnium Ordinum; quia omnes per illud nobilitantur. Hinc Sacerdos ex ſuo officio, & dignitate characteris, licet malus, vt homo, eſt tamen coram Deo, per ſacrificium & Euchariſtiam nobiliſſimus, & per eum omnes homines reducuntur ad Deum, tanquam per Vicarium mediatorem Chriſti mediatoris, qui eſt primus & æternus Sacerdos.

7. Sicut autem poteſtas ſacerdotalis reſpicit principaliter Sacramentum *Euchariſtiæ*; ita etiam per conſequens, & ſecundariò reſpicit Sacramentum *Pœnitentiæ*, quo priùs debet accendentes ad ſacram menſam ſacerdos expurgare, ſeu abſoluere ab omni peccato, ſecundùm ſibi à Chriſto conceſſam clauium

Ecclesiæ, & absoluendi potestatem: neque vllum indignum admittere ad diuinum illud conuiuium, ne & ipse sacrilegii consors fiat. Idem dicendum de aliis Sacramentis, quorum simplex sacerdos est proprius Minister. *S. Thom.* supp. q 37. art. 4. ad 1.

8. Diximus superiùs, septem tantùm esse communes passim omnibus Ordines; quia debet necessariò addi octauus, qui non omnibus est communis; sed specialis quibusdam superioribus Christi Ministris, estque *Episcopatus*. Etenim cùm ordo sit Sacramentum, sicut & alia, eius administratio necessariò requirit exellentiam, & præeminentiam potestatis, supra potestatem sacerdotalem. Hanc vocamus Episcopalem, quam Christus contulit Apostolis: & sic per eam etiam dedit eis, & eorum successoribus potestatem conferendi Ordines; vt videmus in Actibus Apostolorum, & Epistolis D. Pauli ad Timotheum, & ad Titum, quos non solùm sacerdotes & presbyteros, sed etiam Episcopos ordinauit; & præcepit tanquam Episcopis, per omnes ciuitates presbyteros ordinare.

9. Quamuis autem Christus ordinauerit, & constituerit plures sacerdotes per seipsum, attamen debuit constituere vnum sacerdotem *Vicarium suum*, qui haberet præeminentiam, & excellentiam super alios. Aliàs, Christianorum societas, seu Ecclesia, non esset vna, sed esset diuisa, si à pluribus penderet à se inuicem independentibus. Et fuit conuenientissimum, imo necessarium, vt eidem concederet plenitudinem potestatis & iurisdictionis, ac superioritatem non tantùm in sacerdotes, sed etiam in Episcopos & Archiepiscopos, & Primates, & Patriarchas, vt firmior esset vnio in sua Ecclesia, & perfectior ordo. Quod etiam feciſſe beato Petro, certissimè constat, tùm ex Euangelio, tùm ex Actibus Apostolorum in quibus videmus Mat. 10 Christũ

ei promisisse, *se ædificaturum Ecclesiam suam super eũ, eique daturum claues regni cælorum.* Et Ioannis cap. 21. eidem verè & realiter commisit curam vniuersalis Ecclesiæ, dicens ter: *Pasce oues meas, pasce agnos meos, pasce oues meas.* Quia non tantùm ei curam commisit populorum; sed etiam Sacerdotum, & Episcoporum, qui matribus agnorum comparantur, quia spiritualiter generant filios Ecclesiæ. Vnde non mirum, si semper primus inter Apostolos nominetur *Petrus*; si Christus orat vt non deficiat fides eius, Luc 22. v. 32. si conuersus debeat *Petrus* confirmare fratres suos, Act. 15. v. 7. si præfuerit primo Apostolorum Concilio. Si Christus in eius nauiculam ascenderit. Luc 5. v. 6. Si tantam ceperit piscium multitudinem; ib. v. 6. Si primus septem millia hominum conuerterit post aduentum Spiritus sancti; Act. 3. & 4. Si conuersus D. Paulus statim eum inuiserit vt Ecclesiæ Principem; Gal. 1. v. 18. Si semper pro aliis, & præ aliis Apostolis, quasi generalis Legatus orauerit.

10. Concludamus ergo cum Cypriano de vnitate Ecclesiæ. *Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfidâ prænaricatione corrumpat. Episcopatus namque vnus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque vna est, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. Quomodo enim Solis multi radii, sed lumen vnum, & rami arboris multi, sed robur vnum tenaci radice fundatum: ita vnum caput est in Ecclesia, & origo vna & vna mater fœcunditatis successibus copiosa, cuius fœtu nascimur, cuius lacte nutrimur, cuius spiritu animamur. Adulterari non potest Christi sponsa: quia incorrupta, & pudica; vnam domum nouit, ac vnius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. Hæc nos Deo seruat, hæc filios regno, quos generauit, assignat.*

Digitized by Google

CAPVT XLII.

De Sacramento Matrimonii.

1. IN hoc elucet sanctitas & perfectio Christianæ Religionis, quod in ea nihil vile, nihil sit prophanum; ita vt etiam quod oculis carnis videtur vilius, & magis animalitatem redolens, qualis est actio *Matrimonii*, per eam eleuetur, & spiritale, imo quasi diuinum reddatur. Et in hoc apparet singularis Christi benignitas, quæ Matrimonium ad Sacramenti Euangelici dignitatem extulit: vt simul esset non solùm in subsidium naturæ humanæ, quam reparat in filiis, & in remedium efficacissimum carnalis concupiscentiæ in natura lapsa; sed etiam collatiuum gratiæ sanctificantis, & *Sacramentum magnum* Eph. 5. v. 32. nobis exprimens maxima nostræ Religionis mysteria, idque perfectissimè. Ex quo enim Christi meritum passionis abunde defluxit in hunc gratiæ fontem, inter Christianos, qui aquas Saluatoris hauriunt ex eo, coniunctio legitima maris & fœminæ, indiuiduam vitæ societatem retinens representat 1. adorandam vnitatem diuinæ Naturæ in personarum Trinitate. 2. Venerandam vnionem diuini Verbi cum natura humana per incarnationem. 3. Admirabilem Dei vnionem cum iustis, per gratiam sanctificantem. 4. Admirabilem Christi vnionem cum Ecclesia, per spiritale Matrimonium, & per ineffabilem & amantissimam *Eucharistiæ* communionem. 5. Æternam Dei vnionem cum beatis & sanctis, siue Angelis, siue hominibus in cœlo: & confert gratiam ex opere operato.

2. Noluit autem Deus creare homines omnes simul, sicut Angelos creauerat: sed solùm fecit pri-

mum hominem, & primam mulierem ex eius coſta formauit eductam. Et ordinauit, vt homines multiplicarentur per propagationem & generationem, ita vt vnus ab alio generaretur; vt maior vnitas, & perfectior amicitiæ ſocietas inter eos eſſet, vt videntes ſe omnes ab vno deſcendiſſe, omnes quaſi vnum hominem ſe reputarent. Et quia ſummum hominis bonum eſt, habere vnionem, & ſocietatem cum Deo, per quam recipit vitam animæ ſuæ ab eo, quæ ſocietas eſt occulta, quia ſpiritualis: fuit conueniens, eam exprimere per aliquod ſignum viſibile; vt homo ſemper in eo, tanquam in ſpeculo, videret bonum ſuum, & ad Dei amorem aſcenderet per gradum creaturæ, quam diligit ſibi gratis à Deo datam, amore dignam. Ac proinde recognoſceret in ipſo Deo magis amabili, maiora amoris ſui motiua eſſe: in eo enim ſunt modo eminentiori omnium creaturarum perfectiones.

3. Itaque Deus à principio fecit duas mirabiles coniunctiones in natura humana. *Prima* fuit, coniunctio animæ rationalis cum carne, ſeu corpore; quæ quidem poteſt vocari primum Matrimonium. *Altera*, Adami primi hominis cum Eua. Et ſicut caro, vtpote inferior animæ, debet ei eſſe ſubdita: ſic etiam mulier viro ſuo. Prima repræſentabat ſecundam, & ſecunda repræſentabat futurum admirabile Chriſti *Matrimonium cum Eccleſia* (prout teſtatur Apoſtolus) & alia myſteria, quæ notauimus. Eſtque tertia hæc coniunctio, ad quam neceſſariò duæ primæ referuntur, tanquam ad finem, & per quam perficiuntur. Nam in prima, caro aſcendit ad ſpiritum, eique naturaliter coniungitur, & ab eo perficitur. In ſecunda mulier aſcendit ad virum, cui voluntariè & liberè coniungitur, ab eoque perficitur: fitque in illa duplex coniunctio, ſcilicet vtriuſque animæ per amorem & voluntatem, & vtriuſque corporis; ita

vt non sint amplius duo, sed *vna caro*, vt loquitur Apostolus 1. Cor 6. v. 16. & Eph. 5. v. 13. Sed in tertia tota humana natura debet coniungi cum Deo; quia ad hoc ordinata est, vt ab eo compleatur, & perficiatur. Per duas has etiam primas coniunctiones, scilicet naturalem animæ cum carne, & liberam maris cum fœmina, signantur duæ coniunctiones Dei cum natura humana. Prima est Verbi diuini cum singulari natura, per *Incarnationem*; Eph. 5. v. 32. Altera; Dei cum hominibus iustis & sanctis, per amorem perfectum & liberum. Christus enim Deus & homo, sibi copulauit Ecclesiam, vt sponsam, cuius est caput & summus sacerdos, sicut vir est caput mulieris. Ib. v. 23.

4. *Matrimonium* autem, à matre potius, quàm à patre nomen habet 1. Quia præcipua eius onera respiciunt matrem, nempe gestatio, editio, & educatio liberorum 2. Quia non initur à muliere, teste *Augustino* lib. 19. contra Faustum, nisi vt fiat mater. 3. Quia per illud mulier nobilitatur & perficitur à viro. Vocatur etiam *Coniugium*, à communi duorum iugo, ad sustinenda eius onera, & indiuiduam vitæ societatem. Tandem vocatur *Nuptiæ*, à nubendo, seu nube, & velamine: quia in signum obedientiæ, pudoris & modestiæ, olim sponsæ velo, quasi nube obtegebantur, vt habemus exemplum in Rebeca Genes. 24.

5. Magnum sanè huius *Binarii*, & coniugii mysterium est, quod tam multa Religionis arcana complectitur, vt ratione significationis omnibus antecellat Sacramentis. Honorabile connubium duorum fidelium, iugum vnius spei, vnius voti, vnius disciplinæ, eiusdem diuinæ seruitutis; connubium, quod Ecclesia conciliat, quod oblatio confirmat, quod Angeli Deo renuntiant obsignatum, quod Deus ipse ratò habet; quo sublato, omnem

ſimul pietatem & virtutẽ omnem Dei cultum in hoc ſublunari mundo extingui, & interire neceſſe eſt. *Si enim nuptiæ non ſunt*, inquit Tertullianus, *non erit ſanctitas: imo non erit cælibatus, non erit virginitas ipſa. Nam gratia ſupponit naturam, vt eam perficiat: & priùs id quod animale; deinde id quod ſpiritale.*

6. *Propterea* ergo, *relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vnâ* Vbi autem vna caro, ibi & vnus ſpiritus per amorem. Vnde per hoc magnum Sacramentum conciliantur variæ, & longiùs diſputatæ quæſtiones, de primatu, & excellentia vnitatis, vel binarii. Neque enim *Platonis* ſententia de vnitate, opponitur ſententiæ *Heracliti* de binario: ſed tota pugna eſt in verbis, cùm alter vnitatem in numero, alter numerum in vnitate conſiderat. Non enim in Matrimonio ſolus eſt binarius, ſed ad vnitatem redactus; nec ſola vnitas, ſed genuina & indiſſolubilis duorum connexio. Vnum igitur in duobus, & duo in vno, diuiſa vnitas, indiuiſus binarius, diſcors concordia, diſcordia concors. Vnitas eſt in bonis & commodis; binarius in moleſtiis & ærumnis. Vnitas in mutuo coniugum obſequio, in remedio concupiſcentiæ, in receptione gratiæ, in myſteriorum expreſſione: binarius verò in negotiis & curis, in ſollicitudine & onere educandæ prolis, in parandis opibus, in vxoris faſtidio, in morbis, in obitu & orbitate filiorum. Hic enim roſæ ſunt mediis in ſpinis; & maritati tribulationem carnis habebunt huiuſmodi; ita vt ſæpè coniugia fiant coniurgia, & nonnulli tumulum, quam thalamum maluerint.

7. Ex quibus patet, ſpiritale virginum cum Deo Matrimonium corporali præſtare, & vtilius eſſe ac gratius ſæpiſſimè; vt quod eſt magis adorandæ ſocietati *Trinitatis* conforme. Nã etiam corporale Matrimonium ſi terram implet, virginitas implet cœlos:

Digitized by Google

& quamuis nuptiæ ſolatium habeant, non tamen victoriam, ſicut virginitas & cœlibatus. Imo neque habent ſolatium, niſi, vt binarius ad vnitatem, & omnia ad concordiam redigantur; Deo id mediante & adiuuante, & perficiente, qui eſt prima & infinita vnitas omnem ad ſe trahens, & ſibi concilians multitudinem.

Concludamus cum D. *Gregorio* in gloſſa ſuper illud Geneſ. 19. In monte ſaluum te fac. *Virginitas altus mons eſt ad quem Angelus hortatur. Sed qui videt ſe non poſſe aſcendere, maneat in Segor, id eſt, in legitimo matrimonio: quia melius eſt mediocri bono vti, quàm per abrupta libidinum præcipitari.*

CAPVT XLIII.

Epilogus de Sacramentis.

1. EX his, quæ breuiter dicta ſunt, videmus formam, & modum, in quibus *Ieſus Chriſtus*, Deus homo, tanquam verus Medicus & Salvator, dat gratiam & ſalutem, & omnia neceſſaria homini lapſo, per meritum ſuæ paſſionis, & proprium ſanguinem, quem ſpiritualiter manare fecit in hos ſeptem fontes myſticos, ſeu ſeptem Sacramenta viſibilia, quæ ſunt propria Chriſti inſtrumenta, quibus eius merita nobis prodeſſe poſſunt, & applicari per ſenſibilia ſigna & ſymbola, quibus ſummam & admirabilem virtutem contulit purificandi & ſanctificandi homines, & eos ſuo principio perfectiſſimè reuinciendi; vt tandem Deus ſit omnia in omnibus, & omnia in Deo, ſint vnum.

2. Neque te moueat ſignorum viſibilium tenuitas. Quia tantò magis artificis virtus apparet; quantò vilius eſt, & infirmius eius inſtrumentum. Omnia creata, ſiue magna, ſiue parua, ita ſubſunt diuinæ

omnipotentiæ; vt per quodlibet horum possit, quod libuerit agere. Ideo *quæ sunt stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes* 1. Cor. 1. v. 27. Adde quod communia illa signa, aquam, oleum, panem & vinum, quibus nil communius, elegit Deus: quæ tamen cum suo effectu spiritali, visibilem haberent congruitatem. Itaque in his plebeiis & vulgaribus signis, realiter & effectiuè diuina gratia residet; & hoc est *Maximum in Minimo* olim tandiu contestatum adagium.

3. Quamquam nec sola in Sacramento inest gratia; sed Deus ipse, speciali modo, & peculiari concursu vim omnem signis impertiens. D. Th. p. 3. q. 64. art. 15. Quia Ioan. 1. *Hic est qui baptizat*, siue Paulus minister fuerit, siue Apollo, aut etiam Iudas proditor. Ergo etiam hic, qui vngit, qui absoluit, & qui omnia in omnibus operatur: qui efficit, vt Sacramenta in malis Ministris sancta sint non minùs, quàm in iustis, sicut nec aqua minus irrigat per canales plumbeos, quàm argenteos; nec aliter sigillum ferreum imprimit caracterem, quàm aureum: & lux solis tam pura est per fenestras sordidas, quàm per argenteas, tam in luto, quàm crystallo.

4. Sacramenta illa numero pauciora, vtilitate potiora; olim innumera, nunc septenario comprehensa. Et certè septenarius variis plenus est mysteriis: Index libertatis & remissionis, Index septiformis gratiæ, ac donorum Spiritus sancti, Index fertilitatis, & abundantiæ, vniuersitatis, perfectionis, consummationis.

5. Quid verò dictis Sacramentis esse potuit ad subleuandam inopiam nostram vtilius & aptius? quid statui, & personis conuenientius? *Militia enim est vita hominis super terram.* Iob. 7. v. 1. & omnes hic in acie sumus. Ad hoc bellum gerendum Sacramenta instituta sunt. Nam per *Baptismum* conscribuntur

Christi milites; *Confirmatio* armat ad prælium; *Eucharistia* in castris alit; *Pœnitentia* sanat in conflictu vulneratos; *Extrema-Vnctio* erigit in supremo velut discrimine laborantes; *Ordo* ad Tribunos, Duces, & Imperatores spectat; *Matrimonium* succenturiat mortuis nouos, & tyrones veteranis: vt non deficiat Ecclesia vsque ad finale Iudicium, sed & ad Deum progrediatur velut *Castrorum acies ordinata*. Cant. 6. v. 3.

6. Item, cùm homo in iniquitatibus conceptus, filius iræ indigeat gratiâ diuinâ, vt ab exilio, in patriam, è terra in cælum, & à morte ad vitam reuocetur: id feliciſſimè Sacramenta perficiunt. D. Th. 3. p. q. 65. art. 1. *Baptismus* enim delet originalem culpam, primumque in cœlos pandit iter: *Confirmatio* gratiam baptismalem complet; *Eucharistia* fouet, & alit charitatem: *Pœnitentia* culpas eluit baptismum subsequentes: *Vnctio* omnes peccati tollit reliquias: *Ordo* confert Ministris Dei sanctitatem, quà ritè & dignè suis fungantur Officiis: *Matrimonium* carnis stimulos, & concupiscentiæ incendia restinguit.

7. Deinde, homo per Sacamrentorum gratiam emoritur vitiis, seipsum exuit, & fit noua creatura in Christo. ibid. D. Th. Nam Christianum *Baptismus* generat: *Confirmatio* ei dat incrementum: *Eucharistia* ipsum nutrit cælesti Angelorum pane: *Pœnitentia* medetur ægrotanti: *Vnctio* infirmum exhilarat & confortat: *Ordo* omnia exequitur: & *Matrimonium* suppeditat naturam, quam gratia perficiat: vel etiam generat quod gratia regeneret.

8. An non vides, diuinos Thesauros in vasis fictilibus, in vulgaribus signis, in aqua, in pane, vino & oleo, quorum fructu multiplicati sunt fideles vt tandem in pace in idipsum dormiant, & in Christo requiescant? in quibus signis aliud videtur, aliud

creditur, aliud patet, aliud latet. Videtur, quod non creditur, & creditur, quod non videtur: nam cernitur elementum, & creditur mysterium maximum in minimo, gratia in Sacramento. O symbolorum symbola! Verè à paruitate creaturæ non minùs licet conjicere immensitatem, & omnipotentiam authoris, quàm à magnitudine. Introeamus ergo diuinas salutis portas in confessione; *Hauriamus aquas in gaudio de fontibus Saluatoris* Isa. 12. v. 4. & caueamus à tantorum, tamque sublimium Sacramentorum prophanatione; ne medicina salutis, nobis sit mortis venenum.

Caput XLIV.

De Indulgentiis.

1. INdulgentia de qua loquimur, est condonatio, vel remissio pœnæ temporalis, aliàs debitæ & luendæ diuino iudicio, propter peccata actualia, iam antè quoad culpam sublata; quæ fit extra Sacramentum Pœnitentiæ, ex dispensatione thesauri Ecclesiastici, qui continet Christi & Sanctorum merita, per eum, qui legitimam ad id præstandum habet potestatem; qualis est summus Pontifex in tota Ecclesia, & Episcopus in sua diœcesi.

2. Quod autem post sublatam peccati culpam, supersint aliquæ temporales pœnæ subeundæ, patet exemplis primorum Parentum, Genes. 3. *In sudore vultus tui comedes panem; & multiplicabo ærumnas; in dolore paries filios.* Item Dauidis 2. Reg. c. 12. v. 23. *Transtulit Dominus peccatum tuum, veruntamen filius qui natus est, morietur.* Item Moysis, Aaron, & sororis eorum, Num. 14. & 20.

3. Itaque potestas & vsus Indulgentiarum, facile

probatur. Matth. 16. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cœlis.* Et Ioannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* 2. Cor. 2. *Cui aliquid donastis, & ego: nam ego quod donaui, si quid donaui, in Christi persona propter vos.* Huic enim incestuoso, iam propter eius pœnitentiam culpa ei condonata fuerat: vnde Apostolus addit; *ne fortè absorbeatur abundantiori tristitia.* Ita enim sentiunt Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus.

4. Eadem Ecclesiæ praxis circa Indulgentiarum collationem, constat ex generali Concilio *Viennensi*, vt refertur Clementinâ 2. de pœnitentiis & remissionibus; & ex *Lugdunensi* etiam generali, eodem tit. lib. 6. ex *Lateran.* gener. sub Innoc. III. cap. 62. ex *Trid.* sess. 26. decreto de Indulgentiis.

Denique ex antiquissimis Conciliis videmus obseruatam consuetudinem; vt Episcopi aliquando remitterent pœnas, & satisfactiones pœnitentibus. In Concilio *Carthaginensi IV.* cui interfuit D. August. Canone 75. in *Agathensi* can. 60. in *Arelatensi* 2. can. 10. *Henriquez* etiam tract. de Indulgent. cap. 3. num. 2. refert, Isidorum Hispalensem dedisse Indulgentiam 40. dierum.

5. Eadem est sententia sanctorum Patrum, quòd in gratiam martyrum adhuc viuentium, qui carceribus detinebantur, & ab Episcopis hanc veniam pro pœnitentibus postulabant, dabatur Indulgentia, vt patet ex *Cypriano* Ep. 11. & 22. & 54. & libro de lapsis. Item ex *Tertulliano* lib. ad Martyres, cap. 1. vbi hanc indulgentiam ipse pacem appellat; etiam lib. de pudicitia, cap. 22. *Laodiceno* Concilio, circa tempus Concilii *Nicæni*, can. 2. *Eutychianus* quoque in Epistola, quæ habetur in Concilio *Chalcedonensi*, act. 1. *Superuenit*, inquit, *salutaris dies passionis, & sacra nox, & Resurrectionis festiuitas, in qua*

plurimis peccatoribus à ſanctis Patribus noſtris damnationes ſoluuntur. Et D. Bernard. Ep. 322. *Suſcipe*, inquit, *ſignum Crucis, & omnium pariter, de quibus contrito corde confeſſionem feceris, indulgentiam obtinebis.* Et Petrus Bleſenſis tract. de peregrinatione Ieroſolymitana. *Priuilegio*, inquit, *S. Petri, & authoritate Eccleſiæ propoſuerat Dominus in hoc ſigno verbum reconciliationis; vt aſſumptio viæ Ieroſolymitanæ eſſet pœnitentia conſummata, & ſufficiens ſatisfactio de commiſſis.*

6. Verùm, vt omne dubium tollatur, & ſimul confirmetur antiquus vſus Indulgentiarum, attendenda ſunt verba D. *Cypriani* Ep. 14. vbi ait: *Pœnitentes, qui libellum à martyribus acceperint, eorum auxilio iuuari apud Dominum in delictis ſuis.* Non enim ſolùm dicit apud Eccleſiam, ſed apud Dominum. Et paulò poſt. *Cum pace, & martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remitti.* Sed & *Tertullianus* l. de pudicitia, iam factus hæreticus, inuehitur in Indulgentias, quæ dabantur in fauorem Martyrum, his verbis. *Sufficiat*, inquit, *Martyri, propria purgaſſe delicta: quis enim alienam mortem ſuâ morte ſoluit; niſi ſolus Dei filius?* Et mox. *Si tuipſe peccatores, quomodo oleum facula tua, mihi & tibi ſufficere poterit?* Ex quibus verbis cernitur conſuetudo, & vſus Indulgentiarum huius temporis.

7. Porro tantùm valent Indulgentiæ, quantum ſonant, ſi concurrant quatuor conditiones. 1. Authoritas concedentis, qualis eſt in ſummo Pontifice, &c. 2. Gratia & charitas in ſuſcipiente. 3. Cauſa ſufficiens, & legitima, propter quam concedatur. 4. Executio, & obedientia in his præſtandis, quæ iniuncta & imperata fuerint. *D. Thom.* ſuppl. qu. 25. art. 2.

Plura vide apud Theologos: hæc ſufficiant ad Hæreticorum confuſionem, & confirmationem Catho-

licorum, circa veritatem Indulgentiarum, quas apud Deum debemus fusis lachrymis postulare, simul Deo per fructuosa pœnitentiæ opera, prout vires suppetent, satisfacientes. Tunc enim faciliùs consequemur Indulgentiam, quæ est spiritualis eleemosyna ad satisfaciendum pro peccatis nostris; cùm libenter, quicquid virium habebimus, & gratiæ, impendemus illi satisfactioni diuinæ iustitiæ pro debitis propriis; & sic nullatenus nostræ pigritiæ Indulgentia fauebit.

CAPVT XLV.

De Purgatorio.

1. QVia vniuersæ viæ Domini, misericordia & veritas Ps. 24. v. 11. postquam egimus de Indulgentiis, quæ spectant ad misericordiam; debemus ingredi viam veritatis, seu iustitiæ eius (Iustus enim est in omnibus suis viis. Ps. 144. v. 17.) Quæ iustitia exercetur in Purgatorio, & in inferno, de quibus iam egimus lib. 1. cap. 24. &c. Itaque cum iam Purgatorium probauerimus ex veteri testamento, & traditione communi tam Iudæorum, quàm omnium gentium; sufficiet hic addere probationes ex nouo Testamento, & traditione SS. Patrum, aduersùs hæreticos, qui auditores suos faciunt infidelibus peiores, ex Irenæo cap. 9. libri 2. qui ait hæresim infidelitate esse deteriorem.

2. D. Paulus 1. Cor. cap. 3. apertè declarat veritatem Purgatorii ignis, cùm ait, *quòd vniuscuiusque opus, quale sit, ignis probabit, cùm aduenerit dies Domini.* Id est, *dies mortis, & iudicii particularis*; vnde addit. *Et si cuius opus manserit, quod superadificatur, mercedem accipiet: si cuius opus ar-*

ſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſaluus fiet, quaſi per ignem. Hunc enim textum de Purgatorio explicant Origenes hom. 12. in Ierem. D. Cyprianus Epiſt. 52. D. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum, D. Baſilius in cap. 4. Iſaiæ. D. Auguſt. in Pſ. 37. D. Ambroſ. concione 20. in Pſ. 118. D. Gregorius lib. 4, Dialog. cap. 39. Theophilaictus, Oecumenius, D. Thom. & alii in 1. Epiſt. ad Cor. c. 3.

3. D. Matthæus, vel potiùs ipſe Chriſtus Matth. 12. hanc veritatem docet, cùm ait, quòd *Qui dixerit verbum in Spiritum ſanctum; non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Ex hoc enim conſtat, aliqua peccata remitti in futuro ſæculo, ex lege oppoſitorum. Sed in inferno nulla eſt remiſſio nec in cælum aliquid coinquinatum intrat. Ergo in Purgatorio remittuntur quæ in futuro ſæculo remittuntur. Hinc D. Aug. lib. 22. de Ciuit. cap. 24. *Non veraciter*, inquit, *diceretur de quibuſdam, quòd non remittatur iis, neque in hoc ſæculo, neque in futuro; niſi eſſent quibus, etſi non iſto, tamen remitteretur in futuro.* Et c. 13. eiuſdem libri. *Temporarias pœnas alii in hac vita tantùm, alii poſt mortem, alii & nunc; & tunc ante nouiſſimum iudicium patiuntur.*

4. Addendum aliud Pauli teſtimonium Epiſt. ad Philipp. cap. 2. *In nomine Ieſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Chriſtus eſt in gloria Dei Patris.* Non enim hæc vox Infernorum poteſt intelligi de Lymbis; quia iam Patres hinc erant erepti: neque de damnatis, qui Chriſtum non laudant: ergo de animabus in Purgatorio detentis. Et illud 1. ad Cor. cap. 15. *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis ſi non eſt Reſurrectio mortuorum, vt quid baptizantur pro illis?* Etenim B. Ephrem in ſuo Teſtamento, Petrus Cluniacenſis, & alii explicant de Baptiſmo Pœnitentiæ & lachrymarum, quo nempe viui

pro

Digitized by Google

defunctis ieiunant, orant, & satisfaciunt ad redimenda illorum peccata. Et certè D. Cyprianus sermone de Cæna Domini, ait Christianos sese lachrymis baptizare.

5. Eadem veritas Purgatorii, & orationis praxis pro defunctis confirmatur ex Conciliis Trid. sess. 6. Can. 30. & 22. cap. 2. &c. Florentino sess. 1 & vltima; Lateranensi sub Innocentio III. c. 66. Synodo VI. Romanâ sub Symmacho, vbi dicitur, sacrilegium animas defunctorum fraudare orationibus. Braccarensi I. can. 34. & 35. vbi statuitur, non esse orandum pro his, qui seipsos interficiunt; neque pro Catechumenis, qui moriuntur sine Baptismo. Carthaginensi III. cui subscribit D. August. cap. 26. vbi statuitur: [Si defunctorum commendatio facienda fuerit pomeridiano tempore, tunc solis orationibus fieri debere; non autem per Sacramenta altaris, si Sacerdotes, qui celebrant, non sunt ieiuni: sacrificium enim Missæ à ieiunis esse peragendum.]

Citatur etiam Concilium Nicænum ex versione Arabica, can. 65. vbi Patres statuerunt: Nuntiandam esse mortem Episcoporum omnibus Ecclesiis, vt pro iis oratio fiat.

6. Eadem est sanctorum Patrum sententia de Purgatorio, & oratione pro defunctis. Etenim Tertullianus lib. de Monogamia, c. 10. [Vxor, inquit, pro anima eius orat, & refrigerium ei postulat, & in prima Resurrectione consortium; & offert annuis diebus dormitionis eius] Et libro de testimonio animæ, capite quarto.

D. Cyprianus Epist. 66. Antecessores nostri religiosè id considerantes, censuerunt; ne quis frater excedens nominaret Clericum ad tutelam; & qui hoc fecisset, non offerretur pro eo, neque sacrificium pro eius dormitione celebraretur.

D. Hilarius in Psal. 118. ad illa verba: Concupi-

uit anima mea [vocat Purgatorium, indefeſſum ignem, in quo grauia ſupplicia ſuſtinentur, quibus animæ à peccatis expiantur.]

D. Cyrillus Hieroſolymitanus Cathech. 5. [Orandum, inquit, in tremendis myſteriis pro defunctis: etenim ſacrificio illo incruento, multùm eos adiuuari conſtat.]

De recitatione nominum Fidelium in ſacrificio Miſſæ; vide D. Epiphanium hæreſi 75. D. Dionyſium Eccleſ. Hierar. cap. 7. D. Chryſoſtomum, Hom. 21. in Acta, qui ait, eleemoſynas faciendas eſſe pro defunctis, vt leuius ſit illis ſupplicium. Et hom. 69. ad pop. Antioch. [Non fruſtra, inquit, oblationes pro defunctis fiunt, non fruſtra preces, non fruſtra eleemoſynæ, non temere clamat Diaconus pro his, qui defunctis ſunt in Chriſto.

D. Epiphanius hæreſi 75. ex profeſſo diſputat contra Arrianos hæreticos, qui negabant orandum eſſe pro mortuis, eoſque refellit perpetua Eccleſiæ Traditione.

Vide inſuper Ambroſium orat. de vita & obitu Theodoſii, Auguſt. tract 84. in Ioannem, & lib. 9. Confeſſionum, cap. vltimo, &c.

7. Itaque videmus Purgatorii ignis veritatem in Scriptura ſacra, & conſtantiſſimâ Patrum, & Eccleſiæ traditione ita firmiter fundatam; vt mirum ſit, quâ fronte Hæretici eam audeant impugnare.

Credamus ergo, & timeamus iuſtam Dei vindictam: Heb. 10. v. 31. [Quia horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis] & iuſtiſſimè irati in altera vita. Quia tempus miſerationum non erit ampliùs; ſed iratum & ſatisfactionum. Vnde ſancti Patres aſſerunt, pœnas Purgatorii eſſe acerbiſſimas reſpectu pœnarum vitæ præſentis. Nam D. Auguſt. in
Pſ. 137. [Grauior, inquit, eſt ille ignis (Purgatorii ſupple) quàm quicquid homo pati poteſt in hac vita. &

serm. 41. de SS. *Maior est illa pœna, quàm hic sentire homines, vel excogitare possunt.*

Beda in Psal. 35. anteponit pœnam Purgatorii, omnibus Martyrum suppliciis.

D. Gregorius in 3. Psalmum pœnitentialem. *Hunc*, inquit, *transitorium ignem, omni tribulatione præsenti existimo intolerabiliorem.*

Et D. Aug. in cap. 31. ad Cor. *Omnia*, inquit, *tormenta huius vitæ multo sunt faciliora.*

D. Bernardus Serm in obitu sancti Humberti. *Post hanc vitam*, inquit, *in purgabilibus locis centupliciter redduntur, quæ hic neglecta fuerint, & vsque ad nouissimum quadrantem.*

Et D. Thomas 3. p. q. 46 art. 6. ad 3. asserit Purgatorii cruciatus maiores esse iis doloribus, quos Christus in sua Passione tolerauit.

Quis iam, his suppositis, tam imprudens, tamque sui oblitus, pœnitentiam in futurum reseruabit sæculum; in quo iudicium fiet sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam sibimet, neque aliis?

Procul ergo omnis torpor animi, faciamus nunc *fructus dignos pœnitentiæ*, Luc 3. v. 8. ne veniamns in tormenta hæc atrocissima; Et compatiamur iis, qui tam onerosam diuinæ iustitiæ manum sustinét, neque possunt sibi consulere, vt eam fugiant, donec soluerint vltimum quadrantem. Matth. 5. v. 26. Soluamus eorum debita misericorditer per orationes, oblationes, ieiunia, eleemosynas, & alia id genus pia, & satisfactoria opera; sicque prudenter ipsis, & nobis consulemus, vt eâdem mensurâ, quâ alios mensi fuerimus, remetiatur nobis.

Caput XLVI.

Soluuntur obiectiones contra Purgatorium.

1. VT nil desit huic opusculo necessarium, vel vtile ad Hæreticos confutandos & confundendos, soluendæ sunt obiectiones eorum contra Purgatorii veritatem.

Obiectio 1. sumitur ex cap. 25. Matth. *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam:* ergo nullus est locus medius, quem vocamus Purgatorium.

Respondemus hæc verba intelligenda esse de tempore iudicii vltimi, vt satis patet ex eorum lectione: at nunc sicut etiam in veteri testamento, plura sunt loca, in quibus scilicet 1. Henoch & Elias quiescunt, donec præcurrant vltimum Christi aduentum. 2. Animæ eorum, qui fuerunt suscitati, siue per Elizeum, siue per Christum, siue per Apostolos, detentæ fuerunt post mortem vsque ad reunionem earum cum corporibus. 3. Animæ infantium abortiuorum manent. Sed præcipuè 4. Medius quidam locus necessariò admittendus est, in quo animæ purgentur, & quædam peccata remittantur, iuxta testimonium Christi allatum superiùs.

2. *Obiectio* Latro pœnitens nusquam fuit in Purgatorio, cùm ei Christus dixerit, *hodie mecum eris in paradiso*, ergo nec alii in pœnitentia decedentes. Ergo vanum est Purgatorium.

Respondemus consequentiam non sequi de aliis: nam primò Scriptura vnius solùm facit mentionem. 2. Christum vt decebat liberalissimè condonasse amplissimam & plenissimam indulgentiam huic latroni, ipsum confitenti publicè in cruce, & ei compatienti.

3. *Obiectio*; per Christi sanguinem purgamur ab omni peccato. 1. Ioan. 1. v. 7. Ergo superfluum est Purgatorium.

Respondemus falsam esse consequentiam: quia sicut non est superfluus Baptismus, ita nec superfluum purgatorium: etenim sanguis Christi emundat quidem peccata nostra, sed per media ab eodem Christo destinata ad hoc, qualia sunt Sacramenta, & Purgatorium.

4. *Obiectio* est Apocal. 4. v. 13. *Beati qui in Domino moriuntur, vt requiescant à laboribus suis.* Ergo non torquentur in Purgatorio.

Respondemus hæc verba intelligi de Martyribus, & aliis qui non indigent purgatione; non autem de omnibus hominibus.

Concludamus cum Chrysostomo, Homil. 69. ad populum Antioch. *Si voluerimus mortuo leue facere supplicium, preces pro illo faciamus, demus eleemosynas*, &c.

CAPVT XLVII.

De cultu & inuocatione Sanctorum & Angelorum.

1. IAm vidimus in superioribus libris veterem traditionem de cultu & inuocatione Sanctorum, seu Angelorum, quos *Genios* vocabant, seu iustorum quos *Heroas* nominabant, tum apud Gentiles, cùm etiam apud Iudæos; quem ritum Christi Ecclesia religiosè seruauit, tum ab ipso Christo, cum à Spiritu sancto edocta, cùm etiam ratione dictante, quæ in hoc fidei concordat. Quidni enim honoremus eos, quos ipse Deus honorat vt amicos,

& Christi ministros, iuxta illud psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus?* Et Ioan. 12. v. 26. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Et Paulus Rom. 2. v. 10. vult sanctos & iustos honorari; nam inquit, *gloria, & honor omni operanti bonum.*

2. Intercessio & invocatio tum Angelorum, cum Sanctorum in vtroque fundantur testamento: nam *Loth. Gen* 19. reclamat Angelos, & orat eos, atque impetrat ab eis quod petebat. *Abraham quoque Gene.* 18. eosdem inuocat: sed & alii Patriarchæ & Prophetæ, vt ex multis patet testimoniis veteris testamenti. Et certè videmus inuocatos fuisse sanctos, *Abraham, Isaac & Iacob* sæpius in Scripturis, præsertim. Gen. 48. v. 16. *Angelus qui eripuit me de cunctis malis benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac*, &c.

3. Ipse Deus attestatur Ierem. 15. v. 1. hanc Sanctorum intercessionem. *Si*, inquit, *steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Et Apocal. 5. v. 8. *Habentes singuli cytharas, & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Et cap. 8. v. 3. *data sunt illi incensa multa vt daret de orationibus Sanctorum.* Et v. 4. *Et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum*, &c. sed & Beatus Petrus 2. Ep. c. 1. v. 15 promittit fidelibus se daturum operam post decessum suum, quem velocem asserit, *frequenter habere eos post obitum suum, vt horum memoriam faciat.*

4. Testatur quoque D. Lucas in Euang. cap. 16. v. 22. &c. *inuocatum fuisse Abraham à diuite Epolone*: & Iob excitatur ab Elipha Thesmanite ad inuocandos Sanctos in sua tribulatione Iob. 5. v. 1. *Voca ergo*, inquit, *si est qui tibi respondeat, & ad aliquem Sanctorum conuertere.* Et 2. Mach. cap. vltimo

v. 12. & 14. Ieremias, & Onias iam pridem defunctis, dicuntur orare pro Iudæis.

5. Omnes antiqui Patres non tantùm scriptis, sed iam exemplis suis nos docuerunt Sanctos colere, & inuocare: ita Nectarius, Ephrem, Nazianzenus, Nissenus, Ambrosius, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus & alii: & hæc inuocatio totius Ecclesiæ consensu approbata est, & quotidie huius fructum inde experimur, in recuperatione sanitatis, in obtentione donorum castitatis, intellectus inillustrationis, & aliorum beneficiorum. Et certè cùm pium sit Sanctos adhuc degentes in hac vita inuocare iuxta illud Col. 4. v. 2. *Orationibus instate orantes simul & pro nobis*; etiam pium & vtile erit Sanctos cum Christo regnantes inuocare.

6. Verùm aduersarii quædam opponunt, quibus facile est respondere. Nam *primò* gratis dicunt hanc inuocationem esse iniuriosam Deo, & Christo mediatori. Quibus *respondemus*, quod si ita esset, aliæ etiam orationes viuorum pro viuis essent magis iniuriosæ, cùm viuentes in carne non ita sint expurgati.

Obiiciunt 2. plures fore Mediatores. Respondemus vnicum esse verum Mediatorem & Salvatorem Christum, supple primarium, & mediatione redemptionis: plures verò semper fuisse mediatores minùs præcipuos, mediatione intercessionis: vnde Deut. 5. vocatur Moyses *mediator, medius & sequester*; & Iud. 3. Othoniel & *Aod* vocantur *saluatores*.

Tertio etiam gratis fingunt Sanctos in cœlo non audire nostras orationes, neque scire quid apud nos agitur, iuxta Eccles. 9. v. 5. *mortui nil nouerunt amplius*. Illud enim dicitur de damnatis peccatoribus, ut ex verbis sequentibus colligitur; iusti autem siue post mortem, siue etiam viuentes adhuc sæpe diuina id efficiente reuelatione, cognouerunt, & co-

gnoſcũt ſecreta cordium, & quæ ab iis longe fiebant, vt narrat Scriptura de Samuele, *1. Reg. 9. v.* 19. & *cap. 28. v.* 8. 14. 15. 18. 19. cognouit enim viuens quid erat in corde Saülis, & licet mortuus prædixit eidem mortem propriam, & filiorum, & cædem populi Iſraël per Philiſthæos. Et *lib. 4 Reg. c. 5. v.* 26. Elizæus ſciuit omnia, quæ à famulo Giezi abſente erant perpetrata, & *c.* 6. Omnia nouit ſecreta Regis Syriæ: & Daniel. *Dan. c. 2. v.* 26. ſciuit occultum ſomnium Nabuchodonoſoris, & interpretationem eius. Et *Act.* 5. B. Petrus ſciuit occultam fraudem Ananiæ & Saphiræ. Idem dicendum de omnibus Prophetis. Daniel etiam *cap.* 8. *v.* 18. & 19. narrat ſe audiuiſſe ſanctum colloquentem cum altero ſancto de duratione iugis ſacrificii. Et *lib.* 8. *Paral. c.* 21. *v.* 12. Ioram iccepit litteras ab Elia iam mortuo. Tandem ſi ex *Matth.* 19. & *1. Cor.* 6. Apoſtoli qui omnia pro Chriſto reliquerunt ad Chriſtum ſequendum, futuri ſunt Iudices mundi, neceſſe eſt vt cognoſcant quæ in eo fiant.

Caput XLVIII.

De cultu Reliquiarum Sanctarum.

1. NOn ſolum Sancti in propria perſona ſua honorandi ſunt, verùm etiam in Reliquiis, & Imaginibus ſuis, per quas, ſiue in veteri, ſiue in nouo Teſtamento Deus ipſe multa edidit miracula; & quoad Reliquias, Moyſes *Exod.* 13. *v.* 19. honorificè aſportauit ſecum Reliquias, ſeu oſſa ſancti Ioſephi, & veriſimiliter etiam aliorum Patriarcharum. Et in *Deuteron. cap. vlt. v.* 6. Deus ipſe per ſanctos Angelos iuſſit ſepeliri corpus Moyſis. Et 4. *Reg.* 2. *v.* 8. & 14. attactu pallii Eliæ diuiſæ ſunt aquæ Iordanis.

Et *cap.* 13. *v.* 21. tactu ossium Elizæi mortuus fuit suscitans ad vitam, & Isaias *cap.* 11. *v.* 10. prædixit sepulchrum Christi futurum glorioſum, & in nouo Testamento Hæmorrhoissa attactu fimbriæ Christi sanata est, *Matth.* 9. *v.* 20. & in *Actibus* 19. *v.* 12. sudariis, & semi-cinctiis Pauli, ægri curati sunt, & fugati dæmones, & *c.* 5. *v.* 16. contactu vmbræ Petri infirmi multi sanati sunt; quæ verò viliores Reliquiæ quàm vmbra? Si *autem*, inquit Augustinus Serm. 28. de Sanctis, *tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quantò magis nunc plenitudo virtutis? Meritò ergo per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium Petri vinculorum: quia si tam medicabilis fuit obumbratio viuentis, quantò magis catena vincientis?* Et nota quod *Luc.* 11. *v.* 47. non arguuntur Iudæi quod ornarent sepulchra Prophetarum, sed quod imitarentur tortores Prophetarum.

2. Hinc Sancti Patres tanto in honore habuerunt Sanctorum Reliquias, vt eas præferrent quibuscumque rebus pretiosissimis, eas debito cultu ornarent, & asseruarent colendas: vnde Ambros. serm. 77. *Cuncti*, inquit, *Martyres deuotissimè percolendi sunt; sed specialiter ij venerandi sunt à nobis, quorum Reliquias possidemus. Cum his nobis familiaritas est; semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur; nam ideo hoc à maioribus prouisum est, vt Sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat.* Hieronymus aduersus Vigilantium: *Dolet*, inquit, *Vigilantius Martyrum Reliquias precioso operiri velamine, & non vel pannis, vel cilicio colligari, vel proiici in sterquilinium, vt solus Vigilantius ebrius, & dormiens adoretur. Ergo sacrilegi sumus, quando Apostolorum Basilicas ingredimur? sacrilegus fuit Constantinus Imperator, qui sanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei transtulit Con-*

stantinopolim, apud quas Damones rugiunt? Omnes Episcopi, non solùm sacrilegi, sed & fatui iudicandi sunt? qui rem vilissimam & cineres dissolutos in serico, & vase aureo portaverunt. Augustinus quoque sermone 92. de diuersis: *Martyr*, inquit, *Stephanus Beatus, & primus post Apostolos ab Apostolis Diaconus ordinatus, ante Apostolos coronatus, illas terras passus illustrauit, has mortuus visitauit: sed mortuus non visitaret, nisi & mortuus viueret: exiguus puluis tantum populum congregauit: cinis latet, beneficia patent, &c.* Deinde tum hoc loco, tum libro 22. de ciuit. Dei cap 8. & alibi plura refert miracula per Reliquias eiusdem beati Stephani facta, quibus ipse præsens adfuit.

3. Gregorius Nazianzenus contra Iulianum, arguit ipsum de contemptu sanctarum Reliquiarum: *Quia*, inquit, *non tantùm animæ sanctorum Martyrum, sed etiam Reliquiæ eorum pellunt dæmones, & sanant ægrotos.* Idem asserunt Chrysost. *homil 26. in Epist 2. ad Cor.* Augustin. & alii. Ruffin. *l. 2. hist c. 33,* testatur Theodosium Imperatorem sacco opertum, & humi prostratum, solitum pernoctare cum sacerdotibus ante thecas Martyrum, & Apostolorum, vt se disponeret ad bellum contra Eugenium tyrannum. Theodoretus *lib. 8. de Martyribus*, testatur non tantùm apud Christianos, verùm etiam apud Gentiles, Sanctorum Reliquias esse in veneratione; quia sæpius eorum salutiferam energiam ad ægritudinum curationem, & alios diuinos fauores obtinendos experti fuerant. Plura vide apud Controuersistas.

4. Ne mireris autem, si Deus voluit sanctis Reliquiis talem honorem, ac tantam virtutem conferre; iustum est enim vt corpora Sanctorum etiam requiescant in pace & honore, quæ scilicet fuerunt 1. quasi templa & instrumenta sanctarum animarum ad omne opus bonum. 2. Iterum cum ipsis consortia

Digitized by Google

futura sunt æternæ beatitudinis. 3. Habent etiam Sanctorum animæ non solùm aptitudinem, & relationem ad sua corpora, ac proinde amotem naturalem, & rationalem; sed etiam in ipsis spectant, quasi diuinum semen futuræ resurrectionis, ac proinde futuræ cum ipsis coniunctionis.

Concludamus cum Tertulliano lib. de Resur. carnis. *Cum nulla omnino anima salutem possit adipisci, nisi dum est in carne crediderit, adeo caro salutis est cardo, de qua cum anima allegitur; caro enim abluitur, vt anima emaculetur, &c. Non possunt ergo separari in mercede, quas opera coniungit.*

CAPVT XLIX.

De cultu & veneratione sanctarum Imaginum.

1. SVperius vidimus & probauimus *lib.* 3. Cultum sanctarum Imaginum in duplici lege, Naturæ scilicet, & Mosaicæ: pauca hîc addemus ad confirmationem eiusdem venerationis in noua lege, & ad Hæreticorum confusionem. Verùm, quia Imagines possunt considerari tripliciter. Primò, materialiter, vt sunt aureæ vel argenteæ. Secundò, quatenus artificiosè factæ sunt. Tertiò quatenus Christum, vel Sanctos repræsentant. Duobus primis modis non sunt colendæ, sed tertio modo solum: nam tunc honor Imagini exhibitus redundat in prototypum seu in eum cuius est Imago, sicque eodem modo excolenda est Imago, quo eius typus.

2. *Hæc* itaque veneratio fuit in vsu in veteri Testamento, vt diximus, iuxta illud Psal 98. v. 5. *Adorate scabellum pedum eius.* Et ex *lib Exodi c.* 25. *v.* 18. Cherubinos arcæ, adorari debuisse, quoties arca

adorabatur, docet ſanctus Hieronymus Epiſt ad Marcellam. Et *Num.* 21. *v.* 8. Serpentem æneum cultum fuiſſe, ait ſanctus Auguſtinus *lib.* 3. *de Trinitate cap.* 10. Nec hunc confregiſſet Ezechias 4. *Regum cap.* 18. *v.* 4 niſi cultus illius in idololatriam tranſiſſet: nec vnquam inhibitum fuit à Deo facere vel habere Imagines ſiue in prophanis, ſiue in ſacris locis; nam in tabernaculo Moyſis, & in templo Salomonis, iuſſu Dei poſitæ ſunt Imagines Cherubim obumbrantium arcam, *Exodi* 25. *v.* 18. Item boum Imaginum & leonum fit mentio 3. *Regum* 6. *&* 7. & ſerpentis ænei *Num.* 21. ſed & *Theraphim*, ſeu *Reſtauratorum* & Sanctorum, ſeu iuſtorum ac Patriarcharum fit mentio *Oſeæ* 3. *v.* 14. de quibus vide quæ dicta ſunt *lib* 3. ſed & ipſe Deus artem ſculpendi infudit duobus viris *Bezeleel*, & *Ooliab* Exodi 33.

3. Hiſtoriæ ſanctæ teſtantur quod ipſe Chriſtus Imaginem faciei ſuæ impreſſit linteo *Veronicæ*, ex Stephano & Adriano ſummis Pontificibus, apud Yuonem 4. *p. decreti c.* 83. Item linteo *Abagari* Regis Edeſſæ, item linteamini ſepulchri: ſed & Hæmorrhoiſſa & Nicodemus, & ſanctus Lucas Imagines Chriſti confecerunt, multis exinde miraculis nobilitatas. Vide Nicephorum *lib.* 3. *Hiſto. cap.* 17. *&* 43. & *lib.* 6. *cap.* 16. Euſebium *lib.* 7. *hiſtoriæ cap.* 14. ſeptimam Synodum *act.* 4. &c. Concilium Nicęnum *I. act.* 7. Hiſtoriam tripartitam *lib.* 6. *cap.* 41. Cyrillum *lib.* 6. *contra Iulianum:* Auguſtinum *lib.* 1. *de conſenſu Euangeliſtarum c.* 10. & alios ſanctos Patres qui veritatem hanc aſtruunt. De cultu ſanctarum Imaginum vnum afferam Tertul. teſtimonium pro confirmatione veteris cultus Crucis dominicę, & eius ſigni *lib. de corona militis c.* 3. *ad omnem progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, & calceatum, ad lauacra, ad*

mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quácumque nos conuersatio exercet, frontem crucis signo tuto terimus, &c. Et in Apologetico cap. 16. docet *Christianos antiquitùs appellatos fuisse Crucis Religiosos:* & *lib de pudicitia cap.* 7. expressam facit mentionem Imaginis Iesu Christi in Pastoris forma, suis humeris ouem perditam reuehentis, quæ sacris calicibus appingi olim consueuerat. Nec-non *ad vxorem lib* 2 *cap.* 4. meminit moris antiqui reptandi in carcerem ad osculanda vincula Martyrum: & *l. iam citato de corona militis cap* 4. mentionem facit annuæ celebrationis oblationum, hoc est, sacrificii, in die Martyrii eorum, natalitiorum nomine expressi. *Oblationes*, inquit, *pro defunctis, pro natalitiis annua die facimus, imo & festorum ipsorum, hoc est Calendarii festorum eorum.* Vide Pamelium in eum locum, & sanctum Hieronymum in illud Epistolæ Pauli ad Galatas 4. v. 10. *dies obseruatis*, & Theod. cap. 13. num. 177.

4. Omnes autem *Hæreticorum* obiectiones ad vnam reducuntur ex Deut. 5. *non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.* Ad quam *respondemus* 1. præceptum illud non intelligi de quibuscumque Imaginibus, cùm ipse Deus Exodi 35. & 38. iusserit sculpi & confici imagines Cherubim, &c. & iusserit Ps. 98. adorari scabellum pedum suorum, scilicet arcam cum Cherubis, vt explicat Augustinus. Neque potest negari quin piæ Imagines plurimùm prosint ad excitandam deuotionem. Vnde Gregorius magnus Epist 9. l. 9. ait *Picturam esse idiotis, id quod est Scriptura eruditis*; & certè obiectum mouet potentiam. *Respondemus* 2. quod vetuit Deus fieri Imagines vt adorentur more Gentili tanquam Dii, vt explicant Tertul. *lib. contra Marcionem cap.* 22. & Cyprianus *lib* 3. *ad Quirinum cap.* 59. & confirmatur ex sequentibus verbis, *non adorabis ea, ne-*

que coles, ſupple tanquam Deos cultu latriæ, vt oſtendit ratio quam affert: *Ego enim ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos præter me.* Hinc apparet pius vſus ſanctarum Imaginum, pro cuius diffinitione tot martyres fuderent ſanguinem, & tot Deus edidit miracula, vt videre eſt in hiſtoria D. Ioannis Damaſceni, & in ſeptima Synodo.

Caput L.

De Eccleſia, quæ eſt vna, viſibilis & infallibilis, ita vt errare, aut deficere non poſſit.

1. Ecclesia ſumit Etymum à verbo Græco, ἐκκαλέω, quod ſignificat euoco: vnde Eccleſia eſt euocatio ſeu cœtus vocatorum, quia nemo ad populum Dei poteſt ſe adiungere, niſi diuina vocatione præuentus, iuxta illud Rom. 8. v. 30. *quos vocauit, hos & iuſtificauit*: & act. 2. v. 39. *quoſcunque aduocauerit Dominus Deus noſter.* Quo fit vt Apoſtolus ſæpiſſimè fideles *vocatos* appellet: licet autem per Eccleſiam poſſit quoque intelligi locus in quo fideles congregantur, in hoc tamen capite de illa tantùm ſermonem faciemus prout eſt cœtus fidelium, ſicque poteſt tripliciter conſiderari Eccleſia militans, de qua eſt quæſtio. Primò quidem vt traducenda per Chriſti gratiam in patriam cæleſtem & triumphantem; & ſic conſiderata, continet omnes prædeſtinatos. Secundò, vt Sponſa Chriſto vnita in præſenti tempore per fidem, ſpem & charitatem, ſine macula & ruga, & ſic continet omnes iuſtos. Tertiò propriè vt eſt Congregatio omnium fidelium eiuſdem fidei profeſſione, & eorumdem Sacramentorum participatione colligata,

Digitized by

ſub regimine legitimorum paſtorum, ac præcipuè vnius Chriſti in terris vicarii Romani Pontificis: & ſic continet omnes prorſus verè fideles, ſiue iuſtos, ſiue peccatores, qui in eadem communi vnione viuunt ſub iiſdem Sacris Chriſtianæ Religionis legibus. Ex quo duo ſequuntur. 1. Omnes Infideles, quales ſunt Iudæi, Mahumetani, & hæretici, qui fidem diuinam non habent; omnes Catechumenis & excommunicatis, qui priuantur Sacramentorum vſu & omnes Schiſmaticis qui nolunt ſubdi legitimo Paſtori, & Chriſti vicario, extorres eſſe ab Eccleſia. 2. Eccleſiam militantem, non ſolos prædeſtinatos, ſed etiam reprobos plures, nec ſolos iuſtos, ſed etiam impios, (modo ſint fideles & capaces Sacramentorum,) ac ſubditos Eccleſiaſticæ hierarchiæ continere: quod Chriſtus innuit, *ſuam comparans Eccleſiam, reti bonos maloſque piſces congreganti*; & *agro, in quo zizania ſimul cum bono ſemine reperta ſunt*, & *vbi promittit ſuos ſe miſſurum Angelos ad tollenda ſcandala de regno ſuo.*

2. Tria autem falſa dogmata de Eccleſia proferunt Hæretici noſtri temporis, cum dicunt. 1. eam eſſe inuiſibilem, ſolique Deo cognitam. 2. Illam interdum ita errare in fide & moribus, vt penitus deficiat. 3. Non eſſe vnam, ſed diuiſam, itaut nullus ſit in ea ordo, vel vlla ſubordinatio. Verùm facile fuerit eos erroris arguere, & conuincere tribus in his falſis dogmatibus. Nam Eccleſiam viſibilem eſſe demonſtrat ſcriptura: Numerorum 20. v. 14. *cur eduxiſtis Eccleſiam Domini in ſolitudinem?* 3. Reg. 8, *conuertit faciem ſuam Rex, & benedixit Eccleſiæ* Matth. 16. v. 18. *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:* Matth. 18. v. 17. *Dic Eccleſiæ: ſi autem Eccleſiam non audierit*, &c. Actor. 20. v. 28. *attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei:* quo

namque pacto audire possunt, sine prædicante, quemadmodum testatur Apostolus? *Qua via regere possunt, quam nosse negant Ecclesiam Dei?* Rursus actor. 15. v. 3. *illi ergò deducti ab Ecclesia pertransibant Phœnicem, & cum veniissent Ierosolymam, susceptisunt ab Ecclesia.* Hinc Augustinus exponens hæc verba Psal. 18. *in sole posuit tabernaculum suum*, id est, *in manifesto tabernaculum eius, caro eius tabernaculum eius, Ecclesia eius in sole reposita est: non est in nocte: sed in die, sed quare illi non agnoscunt?*

Tract. 2. in Epist. Ioan.

Item, Isaiæ 2. Dan. 2. & Micheæ 4. comparatur eadem Ecclesia monti magno & conspicuo, qui nullo modo potest latere, vt exponunt Hieronymus, & Augustinus, qui de eadem intelligendum censent Christum vbi ait Matth. 5. v. 14. *non potest ciuitas abscondi supra montem posita*; cui etiam concordant parabolæ Euangelicæ, de area, de reti, de Ouili, de conuiuio, &c. Ostendunt enim veram Ecclesiam quæ *est Regnum cœlorum*, esse visibilem; quod ratione euidenti confirmari potest. Ecclesia enim est societas & cœtus hominum fidelium: atqui homo est visibilis, & corpus simul & anima suos debent cultus Deo tanquam Creatori & saluatori omnium. Adde quod, Sacramenta Ecclesiæ sunt visibilia signa, & ea omnia quæ fiunt in Ecclesia &, quæ præcepit Christus etiam visibilia sunt: verbi gratia opera misericordiæ, paupertas, obedientia, auditio verbi Dei, &c. Vnde rectè argumentatur Augustinus. *In nullum autem nomen Religionis seu verum seu falsum coagulari homines possunt nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio colligentur*: quorum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum, & ideo contempta sacrilegos facit, impie quippe contemnitur, sine *qua non potest perfici pietas.* Et alibi. *Quid amplius dicturus sum, quam cæcos, qui tam magnum montem non vident?*

lib. 19. contra Faust. cap. 11.

qui

qui contra lucernam in candelabro positam, oculos claudunt.

3. Certissimum est etiam Ecclesiam vniuersalem absolutè non posse errare, nec in rebus absolutè necessariis, nec in aliis, quæ credenda, vel facienda nobis proponit: etenim 1. ex D. Paulo, *Ecclesia Dei est columna, & firmamentum veritatis.* 2. Gubernatur à Christo tanquam capite, & sponso suo, & à Spiritu sancto tanquam ab anima, iuxta illud Ephesiorum, *Ipsum dedit Caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et, *vnum corpus, & vnus spiritus.* Et, *vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ:* Si ergo erraret Ecclesia, error eius in Christum & Spiritum sanctum refunderetur, quod tamen aduersatur promissioni Christi Domini, qui est veritas, nec non Spiritui eius, qui est *spiritus veritatis, qui docet omnem veritatem.* Obligantur Christiani à Christo sub pœna anathematis, audire Ecclesiam, eique credere. At iniquum foret sub tam graui pœna obligari ad assentiendum rebus incertis, & interdum falsis; vndè optimè Augustinus, *insolentissimæ* dicit *insaniæ esse, disputare contra id quod vniuersa sentit aut frequentat Ecclesia.*

1. Tim. cap. 3. v. 15. Ephes. 1. 4. & 15. 3. Ioan. 16. v. 13. Mat. 18. v. 17. Epist. 118.

4. Iam verò quod hæc Ecclesia vniuersalis non possit deficere, æquè liquidò constat ex Scripturis, & verbis Christi, qui ait: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eam:* quin etiam Psalmo 47. *Deus fundauit eam in æternum.* Denique Christus Dominus eam repromisit perpetuitatem Ecclesiæ, cum dixit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi;* & cum dixit Petro, *rogaui pro te vt non deficiat fides tua.* Confirmatur autem hæc veritas ex D. Paulo Ephesior. 4. v. 11. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophe-*

Matt. 16. v. 18. Ps. 47. v. 9. Matt. 28. v. 20. Luc. 22. v. 31.

tas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum & menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Docet enim Apoſtolus hæc miniſteria manſura in Eccleſia, ad continuam ædificationem corporis Chriſti, vſque ad diem iudicij. Adde quod Eccleſia eſt *Chriſti regnum, quod* iuxta Danielem *in æternum non diſſipabitur:* Hinc Luc. 2. v. 32. *& Regni eius non erit finis.* Vnde Bernardus: *Ita eſt,* inquit, *ex tunc, & deinceps non deficit genus Chriſtianum, nec fides de terra, nec Charitas de Eccleſia. Venerunt flumina, flauerunt venti, & impegerunt in eam, & non cecidit, eo quod fundata eſſet ſupra Petram: petra autem eſt Chriſtus. Itaque nec verboſitate Philoſophorum, nec cauillationibus hæreticorum, nec gladiis perſecutorum potuit iſta, aut poterit aliquando ſeparari à Charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Quæ quidem intelligenda ſunt de vera Chriſti Eccleſia viſibili, quæ ſcilicet prædicta continet miniſteria ſacra: quæ inconcuſſa & immobilis omnes excepit ſuſtinuitque tyrannorum hæreticorumve inſanienti rabie frendentium perſecutiones & contumelias; & quidem felici adeo exitu, vt ſanguis martyrum, ſemen fuerit Chriſtianorum, beneque poſt Chriſtum ſperare nos docuerit, quod portæ inferi nunquam præualere debeant aduerſus eam.

Daniel. cap. 2. v. 44. Serm. 79. in Cantica.

5. Tandem quidquid obganniant hæretici, Eccleſia quæ ex Cypriano comparatur Chriſti tunicæ inconſutili, vna eſt, nec ſcindi poteſt, nec diuidi; vna eſt enim columba, amica, ſponſa, & regina: quia eſt vna nauis Petri; vnum ouile ſub vno paſtore; vnum corpus Chriſti ſub vno capite; vnum regnum eiuſdem Chriſti, quod nunquam deſolabitur, quia eſt in diuiſum in ſe, quod clarè Chriſtus aſſerit, dicens:

fiet vnum ouile, & vnus Pastor: & Apostolus, *vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*: Dicitur autem vna, propter vnionem & consensum eorum qui in Ecclesia sunt: omnes enim vnam eandemque fidem profitentur; & qui ab hac vnitate recedunt, sectarij & hæretici debent appellari. Vnde idem Apostolus sæpe hortatur nos ad eam conseruandam. *Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis faciunt, & declinate ab illis*: Et *obsecro autem, vos fratres, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata*. Sed & Christus hanc Ecclesiæ vnitatem obnixè postulauit à Patre dicens, *non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint.*

Ioan. 10. v. 16. Ephes. 4. v. 5. Rom. 16. v. 17. 1. Cor. 1. 10. Ioan. 17. 20. 21.

Caput LI.

De Notis veræ Ecclesiæ, in qua salutem æternam consequi possumus.

1. *Sola igitur Catholica Ecclesia est*, inquit Lactantius, *quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis; hoc est domicilium fidei; hoc templum Dei, quo si quis non intrauerit, vel à quo si quis exierit, à spe vitæ, ac salutis æternæ alienus est.* Vnde etiam Cyprianus. *Cum Deo manere non possunt, qui esse in Ecclesia Dei vnanimes noluerunt: ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiecti bestiis animas suas ponant, non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ: occidi talis potest, coronari non potest.* Hinc vides, quantum interest veram à falsa Ecclesia dignoscere, cum in sola vera, veram fidem, veram peccatorum remissionem, veram spem salutis esse omnes consi-

Lib. 4. Instit. cap. vlt. De simplicitate Prælatorũ.

teantur. Itaque ad benignam Dei prouidentiam ſpectat, veritatis ſuæ Characteres proprios ſuæ communicare Eccleſiæ, & imaginem, aut ſignum ſingulare ſuæ ſponſæ apponere, ne falſa pro vera ſupponatur moneta, & Lia pro Rachel deſponſetur. Quod quidem peregit Dominus benigniſſimè plures ei dotes attexendo, quæ ſunt quindecim veluti notæ, quibus ſuam Eccleſiam ſpecialiter inſigniuit, & à quauis alia ſpuria & ſuppoſititia diſcernendam curauit.

2. Prima igitur, Nota veræ Eccleſiæ, eſt *vniuerſalitas*, quæ Catholicum nomen tanquam proprium ei aſſeruit ac vendicauit, nam vt ait Chryſoſtomus de ſectariis & hæreticis loquens, *Illi habent quoſdam à quibus appellantur, prout enim hæreſiarchæ nomen, ita & ſecta vocatur; nobis autem nullus vir nomen dedit, ſed fides ipſa:* & Pacianus, *Chriſtianus*, inquit, *mihi nomen eſt; Catholicus verò cognomen; illud me nuncupat, iſtud oſtendit.*

Homil. 33. in act. Ap.

Epiſt. ad Sympronianum. Lib. 2. c. 1. & 9.

3. Secunda Nota eſt, eius *antiquitas*, quia vt ſuperiùs adnotauimus, vera Eccleſia ortum habuit in cœlo, progreſſum in terra; adumbrata fuit in Lege naturæ, præfigurata in Lege Moſaïca, perfecta fuit à Chriſto. Hanc amplexati ſunt Angeli; hanc Patriarchæ & Prophetæ, & Apoſtoli & Martyres, & iuſti omnes quotquot fuere à creatione mundi ad noſtra vſque tempora compoſuerunt, vt probauimus ex Auguſtino. Hinc cum Tertulliano poſſumus dicere, infidelibus & hæreticis, *Qui eſtis? quando & vnde veniſtis? quid in meo agitis non mei? Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum: euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem.* Noſtræ autem Eccleſiæ antiquitas, eadem eſt quæ veræ fidei in veritate æterna fundatæ, cum vnica & vera fides vnam & veram Eccleſiam faciat.

Lib. de præſcript. hæret. cap. 37. Cap. 32.

4. Tertia Nota, *Duratio* diuturna, nec vnquam in-

terrupta:Ecclesia enim dicitur Catholica, non solum quia semper fuit, sed etiam semper erit, cum sit illud regnum æternum quod non dissipabitur; regnum inquam fidei,& veritatis æternæ;etenim *rerum commenta delet dies, & naturæ iudicia confirmat*, vt ait Cicero: & Psalmista, *veritas Domini manet in æternum*: Et errores ac sectæ falsæ ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens: vnde Augustinus, *non vos*, inquit, *terreant, fratres, quidam fluuij qui dicuntur torrentes, decurrit aqua ad tempus, perstrepit, mox cessabit, diu stare non possunt: multæ hæreses iam emortuæ sunt, cucurrerunt in riuis suis quantum potuerunt, decurrerunt, siccati sunt riui, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerunt.*

Dan. 9.

In Psal. 57.

5. Quarta Nota, est *amplitudo*, siue multitudo & varietas credentium: nam Ecclesia Catholica non solum amplectitur omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnes nationes, & omnia hominum genera, iuxta illud: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ; & dominabitur à mari vsque ad mare.*

Psal. 2. & 71.

6. Quinta Nota est *successio* eiusdem fidei & Pastorum, quam ostendimus superiùs in Lege naturæ ab Adamo vsque ad Moïsem per Seth, Mathusalam, Henochum, Noëmum, Sem seu Melchisedech, Abrahamum, Isaacium, Iacobum, Iosephum, & Iobum: Et in Lege Mosaïca potest videri apud Iosephum Historiographum per summos Pontifices ab Aarone vsque ad Caïpham: Et in Lege Euangelica eandem possumus videre successionem Episcoporum, præsertimque Romanorum Pontificum, à Beato Petro vsque ad Clementem decimum nostrum in tota historia Ecclesiastica. Quod non possunt ostendere infideles hæretici, vt optime notauit Tertullianus: *edant*, inquit, *origines Ecclesiarum suarum; euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per*

Lib. de præscript. cap. 23.

ſucceſſionem ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris habuerit authorem, & anteceſſorem: hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt, ſicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum à Ioanne collocatum refert: ſicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: proinde vtique & cæteræ exhibent quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſtolici ſeminis traduces habeant. Confingant tale aliquid hæretici.

7. Sexta Nota. Eſt conſpiratio in Doctrina fidei morumque veræ Religionis cum Eccleſia, quæ fuit ſub Lege Moſaïca; ſiue etiam quæ ab Apoſtolis, viriſque Apoſtolicis, nec non à ſanctis Patribus ad nos vſque viguit incolumis. Conſule quæ in tribus libris prioribus iam diximus.

8. Septima Nota. Eſt vnio membrorum in ſe, & cum Capite: Eccleſia enim vnum Chriſti corpus conficit. Vide quæ diximus lib. 2. cap. 7. de vnitate veræ Religionis, & Eccleſiæ.

9. Octaua Nota, eſt vitæ ſanctitas. De qua Conſule caput 2. 3. & 4. huius libri quarti.

10. Nona Nota, eſt efficacia doctrinæ ſacræ. De qua ſuperius cap. 5. huius libri.

11. Decima Nota, eſt ſanctitas vitæ authorum, ſiue Patrum noſtræ Religionis. De qua iam egimus cap. 4. & 6.

12. Vndecima Nota, eſt gloria miraculorum. De qua ſuperius cap. 7.

13. Duodecima Nota, eſt Lumen propheticum. De qua cap. 8.

14. Decima-tertia Nota, eſt aduerſariorum Confeſſio; tanta enim eſt vis veritatis, vt etiam aduerſarios cogat interdum fidele ſibi teſtimonium perhibere, iuxta id Scripturæ: *Non enim Deus noſter vt Dij eorum; & inimici noſtri ſunt iudices*: Nuſquam

Deut. 32.

autem Catholici laudarunt, aut approbarunt Doctrinam Ethnicorum, aut hæreticorum, quia sciunt vnam tantum esse veram Religionem; & omnes errare qui Doctrinam Catholicam non sequuntur: At non sic de nostra loquuntur, aut sentiunt Pagani, Iudæi, Turcæ, hæretici; habemus enim testimonia approbationis, Plinij secundi, Vespasiani, Antonini Pij, Marci Aurelij, Iosephi, & Philonis Iudæi, ipsius Mahumetis in Alcorano, Totilæ, ac etiamhæreticorum nostri temporis, qui fatentur Catholicos probos posse saluari in nostra Ecclesia.

15. Decima-quarta Nota, est infœlix exitus, seu finis eorum qui Ecclesiam oppugnarunt. Et si namque Deus hæreticis ac persecutoribus vtatur aliquando, vt fideles suos iis quibus scatent nævis mendisque repurget; nihilominus tamen virgas & flagella tandem aliquando proijcit in ignem. *Laudate ergo gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum.* Vide cap. 4. & 22. libri primi.

16. Decima-quinta Nota, est fœlicitas temporalis diuinitus collata iis, qui Ecclesiam defenderunt; vt videre est in Abrahamo, Mose, Iosue, Dauide, Ezechia, Iosia, Constantino magno, Theodosio, Heraclio, & aliis non leuioris notæ ac nominis hominibus.

CAPVT LII.

De Traditionibus.

1. PEr Traditionem intelligitur doctrina non scripta, quæ ab vno communicatur alteri: de qua Irenæus, *euenit*, inquit, *neque scripturis, neque traditioni consentire eos*: & Tertullianus, *si Legem postules, scripturam nullam inuenies, Traditio tibi* Lib. 3. cap. 2. Lib. de

Digitized by Google

corona militis. cap. 4. Lib. 2. epiſt. 3.

prætenditur auctrix. Cyprianus : *Admonitos autem nos ſcias, vt in calice Dòmini offerendo Dominica traditio ſeruetur, vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur :* Eſt autem triplex Traditio, ſcilicet Diuina, quæ à Deo, vel à Chriſto docente tradita eſt ſanctis Patriarchis, Prophetis, aut Apoſtolis : Apoſtolica, quæ ab Apoſtolis inſtituta eſt; & Eccleſiaſtica, quæ eſt conſuetudo quædam perantiqua, habens vim Legis Eccleſiaſticæ.

2. De Traditionibus autem tria ſunt obſeruanda, & demonſtranda. Primum, Scripturas ſine Traditionibus nec fuiſſe ſimpliciter neceſſarias, nec ſufficientes, ſiue ad fidem aſtruendam, ſiue ad mores componendos. Vt probat Bellarminus lib. 4. de verbo Dei non ſcripto. cap. 4. Alterum, plures reperiri Traditiones Apoſtolicas, non ſolùm de moribus, ſed etiam de fide. Tertium, quomodò poſſumus veras à falſis, certas à dubiis traditiones diſpeſcere ?

3. Primum, nempe neceſſitas Traditionum facilè inſinuari poteſt. Nam 1. ab Adam vſque ad Moïſen Eccleſia Dei ſub Lege naturali ſubſtitit ſine Scripturis, ſaltem authenticis, quæ ad nos deuenerint; & ideo per ſolas Traditiones, quas ſancti Patriarchæ a Deo acceperunt, vt probauimus libro ſecundo, idque ad duo annorum millia, in quibus vera Religio potuit conſeruari, & vere conſeruata eſt ſine Scriptura : Deinde à Moïſe vſque ad Chriſtum, eadem Eccleſia inter gentes, & vera Religio legis naturalis ſeruata eſt in multis Regnis, & Prouinciis; præſertim apud Sinas, & alios populos, qui vnius veri Dei cultum conſeruarunt : Teſtatur enim Martinius in Sinenſi Hiſtoria, Idololatriam nuſquam in toto Sinenſi Regno locum habuiſſe ante Chriſti ortum, vt iam libro ſecundo oſtendimus : atqui nullam habuerunt ij populi Scripturæ noſtræ certam

Digitized by Google

notitiam, per duo sequentia annorum millia, qui fluxere à Moïse ad Christum; sicque Ecclesia seruata est sine Scriptura per traditiones solas directa per quatuor annorum millia. Adde quod, à Christi ortu vsque ad tempus in quo nouum Testamentum fuit conscriptum, multi effluxerint anni, in quibus Ecclesia Christiana per traditiones à Christo acceptas fuit directa: sed etiam in Lege Mosaïca plures è Libris sanctis perierunt: vndè Esdras reparauit Scripturam; ac proinde ante hoc tempus per traditiones Ecclesia Dei regebatur. 2. Multa procul-dubio in Scripturis non continentur, quæ tamen erant necessaria ad salutem in veteri Lege: verbi gratia, Remedium quo fœminæ ab originali culpa purgabantur; vel etiam masculi decedentes ante octauum diem, in quo debebant circumcidi. 3. Sola traditio nobis declarat, quinam sint Libri sacri, & Canonici. 4. Eadem Traditio nobis exponit sensum Scripturarum, in quibus plura sunt difficiliora intellectu: imo videntur sibi contradicentia. 5. Sola Traditio etiam in nouo Testamento nos edocet plura quæ sunt credenda, quæ tamen in Scriptura clarè non continentur: Verbi gratia, B. Mariam, Virginem permansisse etiam post partum; Pascha celebrandum esse Dominico die; Baptismum paruulorum ratum esse, &c.

4. Quod ad secundum attinet, nimirum plures esse Traditiones Apostolicas etiam necessarias, nec in Scriptura contentas, eadem Scriptura, ac simul Concilia & Patres ostendunt. Nam 1. Christus ipse illud testatus est, cum ait; *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo:* & confirmat illud Ioannes per hæc verba: *Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt Libros.* Idem testatur, Lucas vbi asserit Christum Ioan. 16. Ioan. cap. vlt. Act. 1.

reſſuſcitatum, *per dies quadraginta ſuis apparuiſſe Apoſtolis, & cum ijs locutum fuiſſe de Regno Dei*, &c.

1. Cor. 11. Item Diuus Paulus eaſdem innuit Traditiones, cum ait: *Laudo vos quod per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis*, &c. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Addens,

2. Theſ. 2. *cætera cum venero, diſponam*: Et alibi, *itaque, fratres, tenete Traditiones quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram*: & alibi, *formam*

2. ad Tim. 1. v 13. *habe ſanorum verborum quæ à me audiſti: & quæ à me audiſti per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Tandem ipſe

Ib. c. 2. v. 2. Ioannes in Epiſtolis ſecunda & tertia, ait:: *Multa habens ſcribere vobis, nolui per chartam, & atramentum.* 2. Concilium primum Nycænum non ſolum ex ſcriptura ſacra, ſed etiam ex doctrina non ſcripta damnauit hæreſim Arrianam, & conſubſtantialitatem Filij decreuit; & Concilium ſecundum Nycœnum anathemate perculit eos qui non recipiunt Traditiones Eccleſiæ. 3. Tandem omnes Patres Eccleſiæ aſſentiuntur veritati Traditionum Apoſtolicarum, quorum teſtimonia potes legere apud Bellarminum lib. 4. de verbo Dei non ſcripto, capite ſeptimo. Vnius Tertulliani teſtimonium hic afferam;

Tertul. lib. de corona militis. cap. 3. *etiam*, inquit, *in Traditionis obtentu, exigenda eſt, inquis, authoritas ſcripta; ergo quæramus an & Traditio non ſcripta non debeat recipi? Planè negabimus recipiendam, ſi nulla exempla præiudicent aliarum obſeruationum, quas ſine vllius ſcripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, exinde conſuetudinis patrocinia vindicamus.* Deinde enumeratis Ceremoniis Baptiſmi, ſigni Crucis, ſacrificij anniuerſarij pro defunctis, & aliis, ſubdit: *Harum & ſimilium Diſciplinarum ſi Leges expoſtules Scripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix.*

5. Quod ad Tertium spectat, possumus veras, ac germanas Apostolorum traditiones cognoscere quinque rationibus seu Regulis. Quarum prima est, Quando vniuersa Ecclesia aliquid tanquam fidei dogma amplectitur, quod tamen explicitè & distinctè non est conscriptum in diuinis Litteris; necesse est ex Apostolorum traditione id haberi; quia Ecclesia, *quæ est columna veritatis, ædificata supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*, errare non potest. 2. Quando eadem Ecclesia Catholica aliquid seruat non explicitè contentum in Scriptura sacra, quod nemo potuit constituere nisi Deus, certum est id à Christo & Apostolis traditum esse, quale est paruulorum Baptisma, &c. 3. Cum aliquid non scriptum obseruatum fuit in vniuersa Ecclesia omnibus retrò temporibus, meritò creditur ab Apostolis institutum, quale est Ieiunium quadragesimale. 4. Quando omnes Patres Ecclesiæ communi consensu docent aliquid ex Apostolica traditione dimanare, qualis est Imaginum cultus, & ritus qui seruantur in baptismo, &c. 5. Id sine dubio credendum est ex Apostolica Traditione deriuatum, quod pro tali habetur in illis Ecclesiis, in quibus est integra, & continuata successio ab Apostolis: vtasserunt, Irenæus lib. 3. cap. 3. & Tertullianus de præscript.

CAPVT LIII.

De Officio diuino, & sacris Ceremoniis.

1. *Officium*, ex Hieronymo, est quasi efficium; vnicuique enim conuenit suum efficere officium: ex Isidoro verò, est actus congruus & proprius cuiusque personæ, secundum mores ciuitatis, vel institutæ professionis: *diuinum* autem dicitur, quia est proprius actus eorum, qui Deo dicati sunt. Lib. de officiis.

Digitized by Google

Quia ergo iuſtum eſt, prout ratio & fides docent nos, omnes Creaturas rationales, Angelos ſcilicet & homines ſuum Creatorem debere laudare, benedicere, & orare; laudare inquam, eius eminentiſſimas prefectiones: benedicere & gratias agere ob accepta eius beneficia: & orare ſeu deprecari pro accipiendis ab eo nouis auxiliis & gratiis: Ideò ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio in Lege naturæ, *Officium diuinum*, quod continet Dei laudes, & gratiarum actiones, & orationes, perſolutum fuit ab ipſo Adamo, quem plurium Pſalmorum, præcipuè nonageſimiprimi, & ſecundi, & centeſimi trigeſimi-octaui authorem aſſerit *Rabbi Kimi*: à Seth eius filio, & præſertim ab Enos, de quo Scriptura refert, quod *ipſe cœperit inuocare nomen Domini*, id eſt, nouo cultu, & nouis additis ceremoniis: à quibus alij ſancti Patriarchæ, Prophetæ, ſacerdotes, Leuitæ, & Cantores Hebræorum, & ab iis ſancti Apoſtoli acceperunt vſum cantandi, & pſallendi diuinum Officium in Eccleſia; iuxta illud Dauidis. *Confitebor tibi in Eccleſia magna, in populo graui laudabo te: Pſalmum dicam tibi in gentibus. Laudate eum in ſono tubæ, laudate eum in pſalterio & Cythara: in chordis & organo, in Cymbalis iubilationis:* vnde etiam Muſica ortum habuit in Eccleſia in diuinis Officiis. *Nec immeritò*, inquit Triſmegiſtus, *in hominum cœtum Muſarum chorus eſt à ſumma Diuinitate demiſſus; ſcilicet ne terrenus mundus videretur incultior, ſi modulorum dulcedine caruiſſet; ſed potius vt modulatis hominum cantilenis concelebraretur laudibus, qui ſolus omnia, vt Pater eſt omnium, atque ita cœleſtibus laudibus nec in terris harmoniæ ſuauitas defuiſſet.*

In Pſal. 91.

Pſ. 34. 56. & 150.

In Aſcl. cap. 5.

2. Itaque Apoſtoli à Iudæis acceperunt horas deprecandi, ſeu diuini Officij: Nam hora tertia erant ſimul orantes in Pentecoſte: hora ſexta Petrus ora-

Act. 2.

Act. 10.

bat: ad horam nonam Petrus & Ioannes ascende- Act. 3.
runt in templum: media nocte orabant Paulus & Si- Act. 16.
las; & ideò easdem horas præscripserunt fidelibus ex
Clemente Romano. Gelasius autem primus, & Græ- Lib. 8.
gorius primus, & septimus, dicuntur authores for- constit.
mulæ Officij diuini, qua nunc Ecclesia vtitur; ad- cap. 40.
dentes Primam, & Completorium, vt Christiani
imitentur Regium Psaltem, qui *septies in die laudem* Ps. 118.
dicebat Deo, & sequantur numerum petitionum
septem orationis Dominicæ, vt possint resistere
septem spiritibus nequioribus, qui quotidianis nos
lacessunt tentationibus, valeantque simul obtinere
à Deo septem dona Spiritus sancti, quibus inter
agendum ita dirigantur, vt piis semper riteque mu-
neribus defungantur.

3. Vnica autem nobis est controuersia, cum Hæ-
reticis nostri temporis, de diuinis Officiis, circa
vsum linguæ; aiunt enim *nos esse irrisores Dei, &* In Ca-
hypocritas, eo quod in diuinis vtamur lingua Latina, tech.
& non vernacula. Verùm gratis & impudentissimè Dom.
hoc effingunt, quandoquidem titulus causæ Christi 35.
passionis eius cruci affixus, scriptus erat Hebraïcè,
Græcè, & Latinè; licet propria lingua vernacula
huius temporis esset Syriaca in tota Palæstina. Vndè
factum est, vt iis tribus linguis, tanquam sanctifi-
catis per Dominicam Crucem, semper Ecclesia Ca-
tholica vsa fuerit, vt sancti Patres & Concilia testan-
tur. Verum circa hanc controuersiam plura potes
notare. 1. Non esse de fide, sed de sacra politia Ec-
clesiæ, stabilita, & decreta in Concilio Tridentino,
& aliis. 2. In veteri Lege, Iudæos semper vera lin-
gua Hebraïca vsos fuisse in diuinis Officiis, & non
vernacula. 3. Græcos semper linguâ Græcâ; Orien-
tales lingua Hebraïca; Occidentales autem lingua
Latina vsos fuisse in diuinis publicis Officiis. 4. Hanc
linguam Latinam communissimam esse in Occiden-

Digitized by Google

te ; ita vt etiam in noſtra Gallia, Procuratores, Aduocati, & Iudices, ſeu Senatores, & Notarij ; ea vterentur in foro, ſeu in Actibus publicis. 5. Linguas vernaculas multis mutationibus verborum eſſe obnoxias ; ac proindè minus aptas eſſe ad conſtantiam, & auguſtam majeſtatem Eccleſiæ, quæ diuinam immutabilitatem imitari debet. Adde quod in eadem Prouincia, & in eodem Regno, multiplex occurrat linguarum, & idiomatum varietas.

4. Quod ad Ceremonias ſacras, verbi gratia, ritus genuflexionum, vnctionum, ſtationum, proceſſionum, &c. quibus vtitur Eccleſia in adminiſtratione Sacramentorum, in tremendis Myſteriis, & in Officiis diuinis ; potes illarum facile vſum antiquiſſimum deprehendere & obſeruare, tum in ſacris Codicibus, tum in Conciliis, & Patribus primorum naſcentis Eccleſiæ ſæculorum, atque potiſſimum in Dionyſio Areopagita, Iuſtino Philoſopho, Tertulliano, Cypriano, Origene, Chryſoſtomo, Baſilio Magno, Hieronymo, Ambroſio, Auguſtino, Gregorio primo, &c.

Caput LIV.

De Cœlibatu ſacrorum Miniſtrorum.

Lib. 1. de abſtin.

1. *CVm ſit nobis*, inquit Porphyrius, *cum Deo, qui ſolus ſuper omnia, & vltra incorpoream naturam eminet, conuerſandum ; debemus omnimoda animi caſtitate illi accedere, vixque eius ſenſum facere corporeum, ſi probè & ſanctè viuamus : quantò enim omnium Pater ſimplicior, purior, & ſibi ſufficientior, quaſi longè à materiæ contagione ſejunctus ; tantò etiam qui ad illum accedit, omnimodè purus & caſtus eſſe debet, incipiens à corpore, & in ſingulas interioris homi-*

nis partes desineus, quibus omninus præsentibus cuique pro suo modulo, & naturæ conditione castitatem distribuet: Et ex Clemente Alexandrino Plato in Philebo ait, *non esse iis vnquam mortaliter viuendum, qui Deo sanctificantur; neque enim fas est* Apostolo teste, *membra Christi facere membra meretricis.* Lib. 2. pædag. cap. 9.

2. Vides ergo quæ sit mens veterum circa puritatem corporis, & animæ illorum, qui ad Deum accedunt per sacrificia, etiam in ipsa Lege naturæ; cum constet sacerdotes *Isidis* & *Oziridis* in Ægypto; *Apollinis*, *Saturni*, *Vestæ*, *Dianæ*, & *Iunonis* in Græcia; sacerdotes Persarum, & Brachmanes in India, nec-non *Druidas* in Gallia, & Germania, continuam castitatem religiosissimè seruasse; vt probat Rapinius: sed & in Lege Mosaïca, in qua omnes anhelabant ad honorem affinitatis seu paternitatis futuræ *Messiæ*, prohibitum erat sub pœna mortis, sacerdotibus sacra tangere, aut ad altare Domini accedere, nisi post continentiam seruatam, saltem per plures dies. Vnde *Oza* subitanea morte percussus interiit, eo quod Arcam tetigisset corpore polluto: nam ratio ipsa naturalis dictat ministerium purissimum à continentibus esse peragendum. Tom. 2. Christianismi nascentis. tract. 3. cap. 3. Exod. 12. 19. & 28.

3. Hinc authoritate & traditione Apostolica factum est, vt in noua Lege cœlibatus fuerit annexus sacris Ordinibus, itaut sacri Ministri Ecclesiæ Catholicæ post ordinationem, nec ducere vxores possint, nec vxoribus anteà ductis liceat eis vti positiuo iure, illoque antiquissimo, & æquissimo, iuxta id B. Pauli: *oportet esse Episcopum hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem.* Et confirmatur testimoniis Conciliorum, & sanctorum Patrum. Nam Concilium Ancyranum; *Diaconos*, inquit, *qui in ipsa ordinatione non protestantur se velle vxorem habere, non posse post ordinationem eam ducere.* Conc. Neocæs. *Presbyter*, inquit, *si vxorem* Ad Tit. cap. 1. Can. 10. Can. 1.

Digitized by Google

Can. 3. *duxerit, ordine ſuo moueatur.* Concilium primum Nicænum interdicit *Epiſcopo, preſbytero, & Diacono, ne domi mulierem vllam habeant, præter matrem,* Can. 6. *ſororem, amitam.* Synodus Trullana prohibet, *ne Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, aut Subdiaconi poſt ordinationem ſuam, vxorem ducant:* Et Can. 48. præcipit, *vt Epiſcopus non cohabitet vxori.* Concilium Can. 2. Carthaginenſe ſecundum, *Omnibus placet*, inquit, *vt Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus ſe abſtineant; vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* Concilium Can. 8. Romanum ſub Syluestro primo, prohibet *ſubdiaconis, ne vxores vllo modo ducere audeant.* In Con-Can. 2. cilio Aurelianenſi ſecundo, cauetur, *ne vllus coniugatus ad ſacerdotium aſſumatur, niſi continentiam* Can. 1. *ab vxore promiſerit*; Et in Concilio Turonenſi pri-& 2. mo, & ſecundo; in Agathenſi, & tertio Aurelia-Can. 20. nenſi decretum fuit, *vt nullus Clericorum à ſubdia-*Can. 2. *conatu & ſupra, propriæ, ſi fortè iam habeat, miſceatur vxori.* Adde Concilium Elibertinum in Hiſpa-Can. 33. nia, cuius hæc ſunt verba: *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconis, & Subdiaconis* Cap. 6. *generare filios:* quod etiam confirmauit Concilium Cap. 9 Aquiſgranenſe, & Vormacienſe.

4. Eadem veritas confirmatur authoritate ſanctorum Patrum, ſiue Græcorum, ſiue Latinorum: Nam Hom. Origenes; *certum eſt*, inquit, *quia impeditur ſacri-*23. in l. *ficium indeſinens iis qui coniugalibus neceſſitatibus ſer-*Nnum. *uiunt*, &c. Euſebius, *verumtamen*, inquit, *eos qui* Lib. 1. *ſacrati ſunt, atque in Dei miniſterio, cultuque occu-*demon-*pati, continere deinceps ſe ipſos à commercio vxoris*ſtrat. Euang. *decet.*

cap. 9. Epiphanius, *ſanctum*, inquit, *ſacerdotium ex vir-*Contra *ginibus vt plurimum, aut ex ſolitariis; aut ſi bi ad mi-*hæreſes. *niſterium non ſufficerent, de his qui ſe à propriis vxo-*

ribus

vibus continent, & si quis ab initio continens viduus fuerit, habere potest locum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, hypodiaconi.

Chrysostomus dixit, *vnius vxoris virum, non ea ratione, vt id nunc in Ecclesia obseruetur; oportet enim omni prorsus castitate sacerdotem ornatum esse.* Homil. 2. de patientia Iob.

Gregorius Nycenus, *Quomodo Dei sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipsum vt munus offerres, vnctus es? Quomodo hæc ipsa Deo offeres, qui Legi non obtemperas prohibenti ne sacra impurus faciat? Ac si Deum tibi apparere expetis, quid causæ est cur Moysen non audias, qui populo edicit, vt à nuptiis purus sit, quo Dei aspectum comprehendat?* Lib. de Virginitate cap. vlt. Vide etiam Cyrillum Catechesi 12.

Ex Latinis verò Cyprianus, siue alius sit author libri de singularitate Clericorum, affirmat *sibi à Domino reuelatum, non debere clericos domi suæ habere mulieres*; id quod etiam in toto libro probat. Et Æcumenium in cap. 3. 1. ad Timot.

Ambrosius. *Inoffensum*, inquit, *exhibendum, & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali, sacri ministerij gratiam recepistis.* Lib. 1. de offic. cap. vlt.

D. Hieronymus. *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ? quid Ægypti & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?* L. contra Vigilantium.

D. Augustinus. *Solemus*, inquit, *eis proponere continentiam clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam rapiuntur inuiti; eamque susceptam, vsque ad debitum finem Domino adiuuante perducunt.* Lib. 21 de adulterinis coniugiis cap. 20.

B. Gregorius dicit *eos errare, qui propter verbum Pauli, vnusquisque vxorem suam habeat, putant licere Ecclesiasticis vxores habere.* Lib. 6. in lib. Regum cap. 1.

Caput LV.

De antiquitate, & ſanctitate ſocietatum Religioſarum.

Lib. de velandis virginibus cap. 3.

1. Ecclesia iuſtè de Hæreticis poteſt conqueri his Tertulliani verbis. *O ſacrilega manus! quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt? quid pejus aliquis perſecutor feciſſet, ſi hoc à virgine electum cognouiſſet? Denudaſti puellam à capite, & tota iam imago ſibi non eſt: alia eſt facta Exurge igitur veritas, & quaſi de patientia erumpe.* Illi quippe non ſolum ſacrum habitum detraxerunt à fidelibus Deo dicatis, ſed omnem pium Religioſorum cœtum verbis, ſcriptis, minis, & omni genere perſecutionis atrociſſimæ, procul eliminare tentarunt: quin etiam in publica fidei ſuæ Confeſſione profeſſi ſunt, vota Religioſa ex officina Dæmonis erupiſſe. Verùm qua fronte, qua temeritate; imò qua ignorantia & impietate hanc blaſphemiam in Spiritum ſanctum effutierint, ex infra dicendis conjicere poteris.

In Pſal. 132.

2. Antiquitatem & ſanctitatem ſocietatum Religioſarum ſufficienter aperit D. Auguſtinus in Pſalmos: *Breuis*, inquit, *Pſalmus, ſed valdè notus & nominatus. Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum; tam dulcis eſt quam dulcis eſt, charitas, qua facit fratres habitare in vnum. Verumtamen conſideremus vtrum de omnibus Chriſtianis dictum ſit, quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum; nec ad omnes pertineat iſta benedictio, ſed ad quoſdam, à quibus tamen deſcendat ad cæteros iſta ſuauis melodia tam in Cantico, quam in intellectu, etiam monaſteria peperit. Ad hunc ſonum excitati*

sunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt; de illo pariete Circunciſionis prius nata eſt iſta benedictio. Num enim omnes Iudæi perierunt? & vnde Apoſtoli, filij Prophetarum, filij excuſſorum? ſicut iam ſcientibus loquimur. Vnde illi quingenti, qui Dominum poſt Reſurrectionem viderunt, quos commemorat Apoſtolus Paulus? Vnde illi centum viginti, qui ſimul erant in vno loco poſt reſurrectionem Domini, & Aſcenſionem in Cœlum, quibus in vno loco conſtitutis ſuperuenit Spiritus ſanctus die Pentecoſtes miſſus de cœlo; ſic miſſus, ſicut promiſſus? Omnes inde erant. Ipſi primò habitauerunt in vnum, qui omnia quæ habebant vendiderunt, rerumque ſuarum pretia ad pedes Apoſtolorum poſuerunt, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur; & diſtribuebatur vnicuique ſicut cuique opus erat, & nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia. Et quid eſt, in vnum? & erat illis, inquit, anima vna, & cor vnum in Deum. Ergo ipſi prius audierunt, Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum: primi audierunt, ſed non ſoli audierunt. Non enim vſque ad illos tantum iſta dilectio, & vnitas fratrum venit; venit enim ad poſteros iſta charitatis exultatio, & votum Deo Ex his verbis vides, Auguſtinum agnoſcere & probare per Scripturam, Antiquitatem, & ſanctitatem Societatum Religioſarum, earumque fœlicem progreſſum ad ſua vſque tempora: antiquitatem, inquam, in veteri Lege, in filiis Prophetarum; & in noua, in Apoſtolis, & eorum filiis ſpiritualibus: ſanctitatem verò, in earum Congregatione, & vnione per charitatem & Spiritum ſanctum, qui ſanctos & iuſtos habitare facit vnanimes in domo Domini: ſed & meminit voti ſancti eos in hac ſancta vnione confirmantis.

3. Dicamus ergo, vitam Religioſam adeo eſſe antiquam, vt quædam eius adumbratio viſa fuerit in Lege naturæ etiam ante diluuium: maior eius ex-

preſſio in Lege Moſaïca ; perfectio verò in Lege noua ſeu Euangelica tempore Apoſtolorum : habemus enim in Lege naturæ Enos, patrem & fundatorem *Enoſceorum*, ſeu *Eſſenorum*, de quo dicitur, Gen. 4. *iſte cœpit inuocare nomen Domini* ; Intellige per peculiarem aliquem cultum ſublimiorem, quam eſſet communis vulgi Religio : neque enim credendum eſt Adamum, Abelem, & Sethum nuſquam Deum inuocaſſe, & tamen *Enos* dicitur primus cœpiſſe inuocare nomen Domini ; quod explicant Valdenſis, Genebrardus, Bolduçius, Rapinus, & alij poſt plures Rabinos, de ſublimiori, & perfectiori norma vitæ, & nouis ritibus Religionis quos inſtituit : vnde etiam ob vitæ eius ſanctitatem. Dei nomine fuit illuſtratus : ſicut & pater eius Seth, teſte Clemente Alexandrino Lib. 9. contra Iulianum ; & pater vocatus eſt *filiorum Dei*, ad diſtinctionem *filiorum & filiarum hominum* : quibus adde vota *Nazaræorum*, qui ſe ipſos Domino conſecrabant : *ad quorum exemplum* inquit Origines, *etiam in Eccleſia quidam ſe ipſos totos diuino cultui deuouerunt.* Habemus etiam in eodem veteri teſtamento Eliam, & Eliſæum, ac filios Prophetarum, qui ſine vxoribus & diuitiis, in communi ſocietate vixerunt Deo dicati, iuxta Hieronymum : *Filij*, inquit, *Prophetarum quos Monachos in veteri teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas prope fluenta Iordanis : & turbis vrbium derelictis, polenta & herbis agreſtibus victitabant.* Habemus etiam apud Ieremiam inſignem commendationem *Rechabitarum*, quibus pater ſeu Auus *Rechab* præceperat vt domos non ædificarent, agros non ſeminarent, vineas non plantarent, vinum nunquam biberent, & vitam duriſſimam quaſi extra mundum agerent; quod fideliter obſeruarunt, & ideo inter Monachos veteris Teſtamenti reputati ſunt ab eodem Hieronymo, & aliis. Denique *Ioannem Baptiſtam*, Mona-

L. 3. de Doctr. fidei.

Num. 6.

Homil. 11. in Leuit.

Inepiſt. ad Ruſticum.

Cap. 35.

Inepiſt. ad Paulinum.

chorum & Eremitarum principem fuisse asserunt sancti Patres, Nazianzenus, Chrysostomus, Hieronymus, & alij. Oratione in Basilium Homil. in Marcum. Epist. ad Eustochiū.

4. Quod autem spectat ad nouum Testamentum, certissimum & clarissimum est Christum Dominum anno circiter trigesimo ætatis, prima fundamenta iecisse Religiosarum societatum, cum vocatis ad se Apostolis, vnà cum eis vitam communem degit, vtens communi domo, communi mensa, communi œconomo, &c. Et sanè conueniens fuit, vt Iesus Christus in sua familia vitæ Religiosæ exemplum daret, in se-ipso prius complens, quod ab aliis voluit impleri; *cœpit* enim *primum facere, tum docere.* Quis enim inficias ibit, ipsum in instanti conceptionis se Patri æterno obtulisse, & dedicasse; atque omnem sanctitatem, & perfectionem amplexatum fuisse? Imo & secundùm Prophetam Regium, quæcumque vota per totam vitam reddidit Deo in conspectu timentium eum, ea emisisse pie credi potest: neque hoc eius sacræ, & augustæ Majestati, nec Scripturæ sacræ repugnat, sicut nec rationi: nam Votum nihil aliud est, quàm firma voluntas alicuius boni, in constantiæ non subdita; estque semper de meliori bono, vt aiunt: Atqui Iesus Christus licet voto non indiguerit ad firmandam voluntatem, hanc tamen firmissimam voluntatem habuit in primo instanti Conceptionis, vitam cœlibem & purissimam, item paupertimam, imò & obedientem, ducere, vt verè talem duxit: *cum* enim *diues esset, egenus factus est propter nos, vt nos sua inopia ditaret:* tanto etiam flagrauit virginitatis amore, vt de Virgine matre nasci voluerit, ipseque Virgo matrem suam Virginem, Virgini Ioanni commendauerit: & tandem factus obediens vsque ad mortem crucis, se ipsum immolauit Patri pro peccatis nostris. Psal. 21.

5. Æquè certum est ex Euangelio, sanctos Aposto-

los cum Chriſto vitam cœlibem, pauperem & obedientem duxiſſe, cum perfecta renuntiatione omnium bonorum temporalium, iuxta illud B. Petri dictum: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Imò ſancti Patres, præſertim Auguſtinus & alij, teſtantur eos vitam illam communem cum abdicatione rerum temporalium, ac cætera ſubſtantialia Religionis vouiſſe: hæc ſunt verba D. Auguſtini. *Dixerant enim potentes illi: Ecce nos reliquimus omnia & ſecuti ſumus te. Hoc votum potentiſſimi vouerant: ſed vnde hoc eis, niſi ab illo de quo hic continuò dictum eſt, dans votum vouenti? alioquin ex illis eſſent vouentibus, quorum infirmatus eſt arcus.* Hunc ſecutus eſt D. Thomas ſcribens, Apoſtolos vouiſſe ſubſtantialia, ſiue pertinentia ad ſtatum perfectionis, quando relictis omnibus ſecuti ſunt Chriſtum. Eadem mens eſt Paludani, Dominici Soto, Alphonſi à Caſtro contra hæreſes in verbo, votum: & Ioannis Gerſon Cancellarij Pariſienſis, qui vocat Apoſtolos, *Canonicos Regulares ſub Abbate Chriſto.*

Lib. 17. de ciuitate Dei cap. 4.

2. 2. qu. 88. art. 4. ad 3.

In 4. diſt. 38. l. 7. de iuſtitia & iure. Alphabeto 22. littera N.

6. Non ſolum autem Apoſtoli, verum etiam ſacerdotes, & cæteri Clerici ptimitiuæ Eccleſiæ, vitam communem & Regularem, cum votorum emiſſione duxerunt; quod poteſt probari: primò ex Epiſtola Decretali Vrbani primi ad omnes Chriſti fideles, cuius hæc ſunt verba. *Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter omnes Chriſtianos viguit, & adhuc gratiâ Dei viget maximè inter eos qui in ſortem Domini ſunt electi, id eſt Clericos,* &c. tum addit, *Quicumque veſtrum communem vitam ſuſceptam habet, & vouit ſe nihil proprium habere, videat ne pollicitationem ſuam irritam faciat: ſed hoc quod Domino eſt pollicitus fideliter cuſtodiat, ne damnationem, ſed præmium ſibi acquirat; quoniam ſatius eſt non vouere, quam votum, prout melius poteſt, non perficere: grauius enim puniuntur, qui votum fecerunt.*

Floruit an. 222. In primo tomo Cõciliorum.

Digitized by Google

aut fidem perceperunt, & votum non perfecerunt, aut in malis vitam finierunt; quam illi, qui vitam sine voto finierunt, &c. Secundò, confirmatur testimonio Philonis Iudæi, qui ex Eusebio Cæsariensi, & Beato Hieronymo, in libro de viris illustribus, vitam communem, cœlibem, & religiosam primorum Christianorum, præsertim Clericorum, quos *Essenos* vocat, sub sancto Marco Euangelista, & primo Patriarcha Alexandrino, describit, eorum habitacula vocans *monasteria*: quibus adde D. Augustinum in sermonibus de communi vita Clericorum: Prosperum Regiensem lib. 2. de vita contemplatiua: sanctum Gregorium primum in responsionibus ad quæstiones Augustini Anglorum Apostoli: Petrum Damianum, in epistola ad Canonicos Fanenses: D. Thomam loco citato, & alibi, qui eandem veritatem asserunt de vita communi & Regulari primorum Ecclesiæ Clericorum, vt optimè probat Gabriel Pennotus lib. 2. historiæ tripartitæ cap. 5 &c. Lib. de contempt. l. 2. hist. Eccles.

7. Tandem, historia Ecclesiastica testatur omnes ferè sanctos Patres Ecclesiæ, vitam Monasticam, vel Regularem duxisse, siue antequam ad Episcopatum promouerentur; siue etiam post eorum ordinationem; præsertim sanctos Eusebium Vercellensem, Gregorium Nozianzenum, Basilium, Augustinum, Gregorium magnum, Hilarium Episc. Pictauiensem, Martinum Turonensem: vnde olim *monasteria erant seminaria Episcoporum, & sacerdotum.*

CAPVT LVI.

De Votis Euangelicis, & præsertim de Voto Continentiæ, & Virginitatis.

1. QVod vota sancta, sint à Deo approbata, & ab Ecclesia semper in honore habita, & recepta, patet ex sacra Scriptura tam veteris quam noui Testamenti. Nam Iacob *votum vouit Domino*: sicut etiam Israël *voto se obligauit Domino*, & posteà vicit Regem Azad. Iepte pugnaturus contra filios Amon, *votum vouit Domino*, &c. Anna similiter *vouit Domino Samuëlem nondum conceptum*, & alij permulti in veteri Testamento. Et D. Paulus in nouo, *voto se Domino astrinxit; & plures alij votum Domino vouerunt*; vt & omnes Nazaræi. Hinc Deus per Moysem ait populo: *cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere*, &c. Et: *homo qui votum fecerit, & sponderit animam suam Deo, sub æstimatione dabit pretium. Mulier si quippiam vouerit, & se constrinxerit iuramento*, &c. *opere complebit. Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Ruina est homini deuotare sanctos, & post vota retractare.* Et Isaias, de Christianis prædicens ex mente Hieronymi & Cyrilli: *colent*, inquit, *eum in hostiis & muneribus: & vota vouent Domino, & soluent*, & D. Paulus de viduis loquens ait: *Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*: in quæ verba Augustinus, *quid est*, inquit, *primam fidem irritam fecerunt? vouerunt, & non reddiderunt.*

Genes. 28. Num. 2. Iudic. 11. 1. Reg. 15. Act. 18. Deut. 23. Num. 30. Prou. 29. Isai. 19. 21. 1. ad Tim. cap. 5. In Psal. 75.

2. Vt autem singulariter aliquid dicam de tribus votis Regularibus, & Monasticis, sancti Patres citati à Bellarmino l. 2. de Monachis c. 20. agnouerunt votum *Paupertatis* in Christi verbis: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*; Et: *si vis per-*

Mat. 5.

fectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo; & *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis præmij? Hæc sunt verba*, inquit Bernardus, *quæ contemptum mundi in vniuerso mundo, & voluntariam persuasere paupertatem: hæc sunt quæ monachis claustra replent; deserta Anachoritis.* Iidem Patres, præsertim Augustinus sermone primo de communi vita Clericorum; Ambrosius in Caput sextum Lucæ; Chrysostomus Homilia duodecima in Acta Apostolorum: Hieronymus epistola ad Demetriadem, & alij, asserunt Ananiam & Saphiram à Deo morte subitanea punitos, tanquam sacrilegos, & voti paupertatis infractores, quia defraudarunt aliquid de pretio agri venditi.

Math. 19.

Act. 4.

3. Votum etiam *Obedientiæ* agnoscunt in his Christi verbis: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; hæc est enim perfecta sui abnegatio. Vnde Hieronymus; *prima apud eos confœderatio est, obedire maioribus.* Gregorius, *cum quis*, inquit, *suum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, sacrificium est; cum verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est.* Ioannes Cassianus *obedientiæ voti & professionis* nominatim meminit; sicut & Augustinus locis citatis, & in Psalmum septuagesimum secundum.

Math. 16.

Epist. ad Eustochiū.

Hom. 20. in Ezech.

Lib. 4. de institutis Renuntiantiū.

4. Tandem sancti Patres agnoscunt votum *Virginitatis, & castitatis*, in Euangelio, & Actis, & Epistolis Canonicis: Et primò in his verbis Beatæ Virginis, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Id est*, inquit Gregorius Nissenus in oratione de Natiuitate Domini: *quoniam Deo dicatam & consecratam carnem, veluti sanctum quoddam Donarium, intactam seruari oportebat: Propterea, etiam si Angelus sis*, inquit, *ac de cœlo veneris; etiam si*

Luc. 1.

ſupra hominem ſit id quod apparet, attamen vt virum cognoſcam fieri non poteſt: quis mater ero abſque viro: Ioſephum enim ſponſum quidem noui, virum autem non cognoſco. Secundò, in eo quod Chriſtus ait *eſſe Eunuchos, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum Cœlorum: quinam autem*, inquit Epiphanius, *hi fuerint qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum, quam generoſi Apoſtoli, ac monaſticam vitam degentes, & deinceps, Virgines?* (Et infra) *poſt ipſos verò, quot millia in mundo ſolitariam vitam agentes, & à monaſteriis & virgineis conuentibus huius certaminis gloriam abſtulerunt?* Tertiò, in verbis ſupradictis D. Pauli, *primam fidem irritam fecerunt.* Quartò, Concilia hanc veritatem confirmant, nam Concilium Ancyranum ſic habet: *quotquot virginitatem pollicitam preuaricati ſunt profeſſione contempta, inter digamos habeantur.* Idem eſt iudicium Eccleſiæ Affricanæ, in Concilio tertio Carthaginenſi; & in quarto, capite vltimo: Idem eſt iudicium Eccleſiæ Hiſpanicæ in Concilio quartò Toletano. Idem iudicium Eccleſiæ Gallicanæ, in ſecundo Concilio Turonenſi: Et Germanicæ, in Concilio Moguntino, tempore Imperatoris Arnulphi, &c.

Math. 19. Hæreſi 58. Valeſioiũ. 1. ad Tim. cap. 5. Can. 18. Cap. 3. Cap. 15. Cap. 16. Cap. vlt.

§ Quibus adde ſanctos Patres, ſcilicet Ignatium epiſtola ad Tarſenſes, & ad Antiochenſes; *Virgines*, inquit, *agnoſcant cui ſe conſecrauerunt.* Martialem, qui Epiſtola ad Tholoſanos dicit *ſe Valeriæ virgini perſuaſiſſe, vt virginitatem ſuam Deo voueret:* vnde etiam D. Dionyſius libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, deſcribit ritum quo initiabantur Monachi, & ait *eos publicè promittere ſe renuntiare vitæ diuiſibili*, quam explicat Apoſtolus, cum partim de Deo, partim de vxore cogitat. Et Tertullianus libro citato: *nupſiſti*, inquit, *Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam, illi ſponſaſti maturitatem tuam* (addens) *quid faciet ipſum continentiæ votum?* Et Hilarius, *Deo*, inquit;

Cap. 8. Cap. 6. 1. Cor. 7. De vel. virg. In Pſal. 864.

vouenda ſunt contemptus Corporis, caſtitatis cuſtodia, ieiunij tolerantia. Euſebius, *Caſtitatem*, inquit; *Virginalemque modeſtiam amplexatæ quædam, corpus, & animam conſecrauerunt Deo:* (& infrà loquens de Conſtantino) *virgineum*, inquit, *chorum tantum non adorabat, iſtic habitare Deum, cui ſe puellæ deuouerant, arbitrabatur.* Cyprianus, *Chriſtus*, inquit, *Dominus & Iudex noſter, cum Virginem ſuam ſibi dicatam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam, iacere cum altero cernat, quàm indignatur, & iraſcitur, & quas pœnas incœſtis eiuſmodi coniunctionibus comminatur? quæ hoc crimen admiſit, non mariti, ſed Chriſti adultera eſt.* S. Athanaſius in libro de Verbi humanitate, teſtatur etiam pueros Virginitatem profiteri ſolitos ſuo tempore. Sanctus Baſilius libro de Virginitate: *Cum* inquit, *virginitatem Domino profeſſa ſint, carnali poſtmodum voluptate malè blanda delinitæ, ac deuictæ, ſtupri ſcelus honeſto coniugij nomine obtegere cupiunt, & horrendo ſacrilegio Chriſti ſponſæ adulter efficitur.* Sanctus Ambroſius libro tertio de Virginibus: *Initiatas*, inquit, *ſacris myſteriis, & conſecratas integritati puellas nubere prohibet. Vtinam potuiſſem reuocare nupturas; vtinam potuiſſem flammeum nuptiale, pio integritatis velamine mutare; an indignum videtur, vt ſacratæ Virgines à ſacroſanctis altaribus non abducantur ad nuptias? & quibus licet ſponſum eligere, non licet Deum præferre.* Hæc autem inter mille & amplius, tum Scripturæ ſanctæ, tum Conciliorum & Patrum teſtimonia ſufficiunt.

Lib. 4. de vita Conſt.

Lib. 1. epiſt. 11. ad Pomponiū.

6. Ex quibus vides, quâ impudentia, & ignorantia ſimul Hæretici publicè profiteantur *articulo 24. eorum fidei Confeſſionis*, Vota Monaſtica, & Matrimonij prohibitionem (intellige his qui continentiam vel Virginitatem vouerunt, & Deo ſe conſecrarunt) procedere ex officina ſathanæ: Neque enim Eccleſia Romana aliis prohibet nuptias, imo

potius eis ſanctitatem impertit per ſacramentum matrimonij, quod denegant ipſi: ac proinde hunc articulum, & omnes alios contrarios fidei Catholicæ & Romanæ, verè conflatos in ipſa Dæmonis officina, certiſſimum eſt quia *ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, & inobedientiæ ſeu Belial eſt princeps mundi huius, quem Chriſtus virgo, pauper, & obediens vſque ad mortem vicit in cruce: Eſt etiam ſatanas ſpiritus immundus, & ille *Leuiathan*, de quo Iob teſtatur, quod *fortitudo eius eſt in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius; & dormit ſub vmbra in ſecreto thalami, in locis humentibus*. Abſit autem à ſponſa Chriſti, quæ eſt vera Eccleſia, tale præconium; quia ſemper agnouit quod *pudicitia eſt flos morum, honor corporum, decor ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis, & præiudicium omnis bonæ mentis*: Et cum Cypriano, quod eadem puritas eſt *flos Eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum, atque incorrumptum. Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini: Illuſtrior portio gregis Chriſti.*

Iob. 31. & 40.

Tertul. lib. de pudic. cap. 1. Cypr. lib. de diſcipl. & habitu virg.

Caput LVII.

De Abſtinentia Ciborum, & Ieiuniis.

Ioel. 2. 12. & 15. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in Ieiunio, & in fletu, & in planctu. Canite tuba in Sion, ſanctificate Ieiunium, vocate cœtum. &c.*

1. NOn mirum ſi à Ciborum abſtinentia, & à Ieiuniis tantum abhorreant hæretici, cum ſint homines carnales, ſe ipſos amantes, & filij Belial,

Digitized by Google

id est sine iugo legis diuinæ & Ecclesiasticæ, quæ pœnitentiam, abstinentiam, & Ieiunia fidelibus præscribunt tanquam media conuenientissima ad diuinam iustitiam complacandam, ad diuinam conciliandam misericordiam, ad euitanda peccata, & ad comparandas virtutes. *Quid enim potest efficacius esse Ieiunio*, inquit Sanctus Leo, *cuius obseruantia appropinquamus Deo, & resistentes Diabolo vitia blanda superamus? Semper enim virtuti cibus Ieiunium fuit. De abstinentia denique prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia: & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innouatur.* Serm. 1. decimi mensis.

2. In Scripturis autem Ieunij quatuor quasi genera pronuntur, scilicet 1. Ieiunium spirituale, quod est abstinentia à vitiis, de quo Isaiæ 58. *Non-ne hoc est magis Ieiunium, quod elegi? dissolue colligationes impietatis*, &c. 2. Ieiunium morale, quod est temperantia cibi & potus, de quo Hieronymus contra Iouinianum. 3. Ieiunium naturale, quod est abstinentia ab omni prorsus cibo, & potu, quacumque ratione sumpto. 4. Ieiunium Ecclesiasticum, quod est abstinentia cibi secundum Ecclesiæ regulam assumpta; *Vt prosit nunc voluntate non sumere*, inquit Sanctus Leo, *quod ab initio contra vetitum nocuit vsurpasse; vt sicut illic concupiscentia vulneri, ita hic abstinentia sit saluti.* Tria verò sunt quæ requiruntur ad Ieiunium secundum Regulam Ecclesiasticam. Primum, vt Ieiunans semel tantum in die sumat cibum. Secundum, vt vna illa refectio sit cœna, non prandium. Tertium, vt seruet ciborum delectum, & præsertim à carnibus abstineat. Lib. 2. Serm. 8. de Ieiunio.

3. Quoad primum & secundum, possunt facilè probari ex Scriptura, Patribus, & perpetua consuetudine fidelium. Nam in veteri Testamento cum de Ieiuniis agitur, fit mentio horæ vespertinæ. Iu-

Idem habetur. 2. Reg. cap. 1. & 3. &c.

dicum 20. *Ieiunauerunt illa die vſque ad veſperam.* Porro Chriſtiani veteres non ita ſuperſtitiosè Ieiunia obſeruarunt vt Iudæi, qui cibum ſumere non audebant ante ſtellarum ortum, ſicut & Montaniſtæ: ea tamen non ſoluebant niſi hora nona ab ortu ſolis; vel etiam hora veſpertina in quadrageſima, teſte ſancto Hieronymo. Eſtque mens ſanctorum Patrum quos citat Bellarminus: *Poſt communionem*, inquit Athanaſius, *hora nona comede panem tuum, gratias agens Deo ſuper menſam tuam.* Et Baſilius oratione prima loquens de Ieiunio quadrageſimæ: *Expecta*, inquit, *veſperam vt cibum capias.* Et Bernardus ſermone 30. de Quadrageſima: *Hactenus*, inquit, *vſque ad nonam ieiunauimus ſoli; nunc vſque ad veſperam ieiunabunt nobiſcum vniuerſi Reges & Principes, Clerus & populus*, &c.

Lib. contra Iouinianũ. Bellar. lib. 2. c. 2. de bonis operibus. Lib. de virginitate.

4. Quoad Tertium, certum eſt abſtinentiam à certis cibis eſſe præſcriptam à Deo in Scriptutis, & obſeruatam, imò præceptam ab Apoſtolis, & ab Eccleſia. Nam 1. Deus præcepit primis parentibus, ne ederent de ligno ſcientiæ boni & mali. 2. Prohibuit populo Iudaïco adipem, ſanguinem, carnes ſuillas, &c. Nazaræis, vinum & omnia immunda prohibita ſunt. Daniel & tres eius ſocij abſtinebant à vino & à carnibus, ſicut etiam filij Prophetarum; & ipſe Ioannes Baptiſta, filij Rechab, &c. Et Apoſtoli in Concilio habito Ieroſolymis, præceperunt vt fideles abſtinerent *ab Idolothitis, à ſanguine & ſuffocatis.* Ac tandem ex Euſebio & Hieronymo poſt Philonem, primi Chriſtiani Eccleſiæ Alexandrinæ abſtinebant à vino & carnibus, & ieiunabant vſque ad veſperam.

Gen. 2. 17. Leu t. 3. 17. & c. 11. 4. Num. 6. v. 3. Iud. 13. &c. Ier 35. Dan. 1. Marc. 1. Luc. 1. Act. 15. 28. Lib. 2. hiſt. cap. 17.

5. Ex quibus patet, Ieiunium generatim ſumptum, fundatum eſſe in diuino præcepto, iuxta prædicta Ioëlis verba, & illa verba Chriſti: *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum*, &c. Et ſpecialiter in Lege

Mat. 6.

Ecclesiastica, & Apostolica traditione, scilicet quoad tempus & modum Ieiunij. Quis verò neget Ecclesiam posse fideles obligare in conscientia ad certa quædam Ieiunia, & ad ciborum delectum, cum in veteri & nouo Testamento extent exempla huius sacræ legis? Ieremiæ cap. 35. de Rechabitis. Hester 9. in constitutione Mardochæi. Zachariæ cap. 8. vbi fit mentio quatuor Ieiuniorum. Actorum cap. 15. & alibi. Sed & ipse Christus iubet nos *audire Ecclesiam*, eique obedire, nisi velimus ab ea excommunicari, sicut Ethnici & publicani.

6. Confirmatur hæc veritas ex Conciliis & Patribus. Nam Canon 68. Apostolorum præcipit *Clericum deponi, & Laïcum excommunicari, si Quadragesimam non ieiunet.* In Concilio Gangrensi, Canone 19. Anathemate percutiuntur, *qui sine magna necessitate Ieiunia indicta dissoluunt.* In Concilio Laodiceno, capite 50. præcipitur *vt in Quadragesima esculis aridis omnes vtantur.* Concilium Toletanum VIII. cap. 9. ita seuerè præceptum Ieiunij Quadragesimalis obseruandum esse præscribit, *vt qui secus fecerint, tanquam rei Dominicæ Resurrectionis, sacra communione pruentur in pascha, & per integrum annum à carnibus abstinere cogantur.*

Concilium Bracarense secundum Canone 9. *Mandat sacerdotibus, vt suo tempore Ieiunium quadragesimæ prædicent populis, & accuratè obseruari præcipiant.*

7. Eadem est mens veterum Patrum, qui confirmant præceptum Ieiunij. Vnde Tertullianus: *bene*, inquit, *quod & Episcopi vniuersæ plebi mandare Ieiunia assolent.* In lib. de Ieiunio.

Sanctus Epiphanius testatur Ieiunia quædam ab ipsis Apostolis esse mandata. Hæresi 75. aduersus Aërium.

Sanctus Basilius. *Omnes*, inquit, *æqualiter & præceptum* (intellige Quadragesimæ) *audiunt, & cum* Oratione 2. de Ieiunio.

Can. 3. *duxerit, ordine ſuo moueatur.* Concilium primum Nicænum interdicit *Epiſcopo, preſbytero, & Diacono, ne domi mulierem vllam habeant, prater matrem,* Can. 6. *ſororem, amitam.* Synodus Trullana prohibet, *ne Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, aut Subdiaconi poſt ordinationem ſuam, vxorem ducant:* Et Can. 48. præcipit, *vt Epiſcopus non cohabitet vxori.* Concilium Can. 2. Carthaginenſe ſecundum, *Omnibus placet,* inquit, *vt Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, vel qui ſacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus ſe abſtineant; vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* Concilium Can. 8. Romanum ſub Sylueſtro primo, prohibet *ſubdiaconis, ne vxores vllo modo ducere audeant.* In Con- Can. 2. cilio Aurelianenſi ſecundo, cauetur, *ne vllus coniugatus ad ſacerdotium aſſumatur, niſi continentiam* Can. 1. & 2. *ab vxore promiſerit;* Et in Concilio Turonenſi primo, & ſecundo; in Agathenſi, & tertio Aurelia- Can. 20. nenſi decretum fuit, *vt nullus Clericorum à ſubdia-* Can. 2. *conatu & ſupra, propriæ, ſi fortè iam habeat, miſceatur vxori.* Adde Concilium Elibertinum in Hiſpa- Can. 33. nia, cuius hæc ſunt verba: *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Preſbyteris, Diaconis, & Subdiaconis* Cap. 6. *generare filios:* quod etiam confirmauit Concilium Cap. 9 Aquiſgranenſe, & Vormacienſe.

4. Eadem veritas confirmatur authoritate ſanctorum Patrum, ſiue Græcorum, ſiue Latinorum: Nam Hom. Origenes; *certum eſt,* inquit, *quia impeditur ſacri-* 23. in l. Nnum. *ficium indeſinens iis qui coniugalibus neceſſitatibus ſeruiunt,* &c. Euſebius, *verumtamen,* inquit, *eos qui* Lib. 1. demon- *ſacrati ſunt, atque in Dei miniſterio, cultuque occu-* ſtrat. *pati, continere deinceps ſe ipſos à commercio vxoris* Euang. *decet.* cap. 9. Epiphanius, *ſanctum,* inquit, *ſacerdotium ex vir-* Contra hæreſes, *ginibus vt plurimum, aut ex ſolitariis; aut ſi hi ad miniſterium non ſufficerent, de his qui ſe à propriis vxo-*

ribus

ribus continent, & si quis ab initio continens viduus fuerit, habere potest locum Episcopi, Presbyteri, Diaconi, hypodiaconi.

Chrysostomus dixit, *vnius vxoris virum, non ea ratione, vt id nunc in Ecclesia obseruetur; oportet enim omni prorsus castitate sacerdotem ornatum esse.* Homil. 2. de patientia Iob.

Gregorius Nycenus, *Quomodo Dei sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipsum vt munus offerres, vnctus es? Quomodo hæc ipsa Deo offeres, qui Legi non obtemperas prohibenti ne sacra impurus faciat? Ac si Deum tibi apparere expetis, quid causæ est cur Moysen non audias, qui populo edicit, vt à nuptiis purus sit, quo Dei aspectum comprehendat?* Lib. de Virginitate cap. vlt. Vide etiam Cyrillum Catechesi 12.

Ex Latinis verò Cyprianus, siue alius sit author libri de singularitate Clericorum, affirmat *sibi à Domino reuelatum, non debere clericos domi suæ habere mulieres*; id quod etiam in toto libro probat. Et Æcumenium in cap. 3. 1. ad Timot.

Ambrosius. *Inoffensum*, inquit, *exhibendum, & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipso consortio coniugali, sacri ministerij gratiam recepistis.* Lib. 1. de offic. cap. vlt.

D. Hieronymus. *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesia? quid Ægypti & sedis Apostolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desistunt?* L. contra Vigilantium.

D. Augustinus. *Solemus*, inquit, *eis proponere continentiam clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam rapiuntur inuiti; eamque susceptam, vsque ad debitum finem Domino adiuuante perducunt.* Lib. 21 de adulterinis coniugiis cap. 20.

B. Gregorius dicit *eos errare, qui propter verbum Pauli, vnusquisque vxorem suam habeat, putant licere Ecclesiasticis vxores habere.* Lib. 6. in lib. Regum cap. 1.

Caput LV.

De antiquitate, & ſanctitate ſocietatum Religioſarum.

Lib. de velandis virginibus cap. 3.

1. Ecclesia iuſtè de Hæreticis poteſt conqueri his Tertulliani verbis. *O ſacrilega manus! quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt? quid pejus aliquis perſecutor feciſſet, ſi hoc à virgine electum cognouiſſet? Denudaſti puellam à capite, & tota iam imago ſibi non eſt: alia eſt facta Exurge igitur veritas, & quaſi de patientia erumpe.* Illi quippe non ſolum ſacrum habitum detraxerunt à fidelibus Deo dicatis, ſed omnem pium Religioſorum cœtum verbis, ſcriptis, minis, & omni genere perſecutionis atrociſſimæ, procul eliminare tentarunt: quin etiam in publica fidei ſuæ Confeſſione profeſſi ſunt, vota Religioſa ex officina Dæmonis erupiſſe. Verùm qua fronte, qua temeritate; imò qua ignorantia & impietate hanc blaſphemiam in Spiritum ſanctum effutierint, ex infra dicendis conjicere poteris.

In Pſal. 132.

2. Antiquitatem & ſanctitatem ſocietatum Religioſarum ſufficienter aperit D. Auguſtinus in Pſalmos: *Breuis*, inquit, *Pſalmus, ſed valdè notus & nominatus. Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum; tam dulcis eſt quam dulcis eſt, charitas, qua facit fratres habitare in vnum. Verumtamen conſideremus vtrum de omnibus Chriſtianis dictum ſit, quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum; nec ad omnes pertineat iſta benedictio, ſed ad quoſdam, à quibus tamen deſcendat ad cæteros iſta ſuauis melodia tam in Cantico, quam in intellectu, etiam monaſteria peperit. Ad hunc ſonum excitati*

sunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt; de illo pariete Circunciſionis prius nata eſt iſta benedictio. Num enim omnes Iudæi perierunt? & vnde Apoſtoli, filij Prophetarum, filij excuſſorum? ſicut iam ſcientibus loquimur. Vnde illi quingenti, qui Dominum poſt Reſurrectionem viderunt, quos commemorat Apoſtolus Paulus? Vnde illi centum viginti, qui ſimul erant in vno loco poſt reſurrectionem Domini, & Aſcenſionem in Cœlum, quibus in vno loco conſtitutis ſuperuenit Spiritus ſanctus die Pentecoſtes miſſus de cœlo; ſic miſſus, ſicut promiſſus? Omnes inde erant. Ipſi primò habitauerunt in vnum, qui omnia quæ habebant vendiderunt, rerumque ſuarum pretia ad pedes Apoſtolorum poſuerunt, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur; & diſtribuebatur vnicuique ſicut cuique opus erat; & nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia. Et quid eſt, in vnum? & erat illis, inquit, anima vna, & cor vnum in Deum. Ergo ipſi prius audierunt, Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum: primi audierunt, ſed non ſoli audierunt. Non enim vſque ad illos tantum iſta dilectio, & vnitas fratrum venit; venit enim ad poſteros iſta charitatis exultatio, & votum Deo Ex his verbis vides, Auguſtinum agnoſcere & probare per Scripturam, Antiquitatem, & ſanctitatem Societatum Religioſarum, earumque fœlicem progreſſum ad ſua vſque tempora: antiquitatem, inquam, in veteri Lege, in filiis Prophetarum; & in noua, in Apoſtolis, & eorum filiis ſpiritualibus: ſanctitatem verò, in earum Congregatione, & vnione per charitatem & Spiritum ſanctum, qui ſanctos & iuſtos habitare facit vnanimes in domo Domini: ſed & meminit voti ſancti eos in hac ſancta vnione confirmantis.

3. Dicamus ergo, vitam Religioſam adeo eſſe antiquam, vt quædam eius adumbratio viſa fuerit in Lege naturæ etiam ante diluuium: maior eius ex-

preſſio in Lege Moſaïca ; perfectio verò in Lege noua ſeu Euangelica tempore Apoſtolorum : habemus enim in Lege naturæ Enos, patrem & fundatorem *Enoſceorum*, ſeu *Eſſenorum*, de quo dicitur, Gen. 4. *iſte cœpit inuocare nomen Domini* ; Intellige per peculiarem aliquem cultum ſublimiorem, quam eſſet communis vulgi Religio : neque enim credendum eſt Adamum, Abelem, & Sethum nuſquam Deum inuocaſſe, & tamen *Enos* dicitur primus cœpiſſe inL. 3. de uocare nomen Domini ; quod explicant Valdenſis, Doctr. fidei. Genebrardus, Bolducius, Rapinus, & alij poſt plures Rabinos, de ſublimiori, & perfectiori norma vitæ, & nouis ritibus Religionis quos inſtituit : vnde etiam ob vitæ eius ſanctitatem, Dei nomine fuit illuſtratus : ſicut & pater eius Seth, teſte Clemente Alexandrino Lib. 9. contra Iulianum ; & pater vocatus eſt *filiorum Dei*, ad diſtinctionem *filiorum & filia*Num. 6. *rum hominum* : quibus adde vota *Nazaræorum*, qui ſe ipſos Domino conſecrabant : *ad quorum exemplum* Homil. 11. in Leuit. inquit Origines, *etiam in Eccleſia quidam ſe ipſos totos diuino cultui deuouerunt.* Habemus etiam in eodem veteri teſtamento Eliam, & Eliſæum, ac filios Prophetarum, qui ſine vxoribus & diuitiis, in communi ſocietate vixerunt Deo dicati, iuxta Hieronymum : Inepiſt. ad Ruſticum. *Filij*, inquit, *Prophetarum quos Monachos in veteri teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas prope fluenta Iordanis : & turbis vrbium derelictis, po*Cap. 35. *lenta & herbis agreſtibus victitabant.* Habemus etiam apud Ieremiam inſignem commendationem *Rechabitarum*, quibus pater ſeu Auus *Rechab* præceperat vt domos non ædificarent, agros non ſeminarent, vineas non plantarent, vinum nunquam biberent, & vitam duriſſimam quaſi extra mundum agerent; quod fideliter obſeruarunt, & ideo inter Monachos veteris Teſtamenti reputati ſunt ab eodem Hieronymo, & aliis. Denique *Ioannem Baptiſtam*, Monæ-

Inepiſt. ad Paulinum.

Digitized by Google

chorum & Eremitarum principem fuisse asserunt sancti Patres, Nazianzenus, Chrysostomus, Hieronymus, & alij. Oratione in Basilium Homil. in Marcum.

4. Quod autem spectat ad nouum Testamentum, certissimum & clarissimum est Christum Dominum anno circiter trigesimo ætatis, prima fundamenta iecisse Religiosarum societatum, cum vocatis ad se Apostolis, vnà cum eis vitam communem degit, vtens communi domo, communi mensa, communi œconomo, &c. Et sanè conueniens fuit, vt Iesus Christus in sua familia vitæ Religiosæ exemplum daret, in se-ipso prius complens, quod ab aliis voluit impleri; *cœpit* enim *primum facere, tum docere.* Quis enim inficias ibit, ipsum in instanti conceptionis se Patri æterno obtulisse, & dedicasse; atque omnem sanctitatem, & perfectionem amplexatum fuisse? Imo & secundùm Prophetam Regium, quæcumque vota per totam vitam reddidit Deo in conspectu timentium eum, ea emisisse pie credi potest: neque hoc eius sacræ, & augustæ Majestati, nec Scripturæ sacræ repugnat, sicut nec rationi: nam Votum nihil aliud est, quàm firma voluntas alicuius boni, in constantiæ non subdita; estque semper de meliori bono, vt aiunt: Atqui Iesus Christus licet voto non indiguerit ad firmandam voluntatem, hanc tamen firmissimam voluntatem habuit in primo instanti Conceptionis, vitam cœlibem & purissimam, item paupertimam, imò & obedientem, ducere, vt verè talem duxit: *cum* enim *diues esset, egenus factus est propter nos, vt nos sua inopia ditaret:* tanto etiam flagrauit virginitatis amore, vt de Virgine matre nasci voluerit, ipseque Virgo matrem suam Virginem, Virgini Ioanni commendauerit: & tandem factus obediens vsque ad mortem crucis, se ipsum immolauit Patri pro peccatis nostris. Epist. ad Eustochiū. Psal. 21.

5. Æquè certum est ex Euangelio, sanctos Aposto-

los cum Christo vitam cœlibem, pauperem & obedientem duxisse, cum perfecta renuntiatione omnium bonorum temporalium, iuxta illud B. Petri dictum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Imò sancti Patres, præsertim Augustinus & alij, testantur eos vitam illam communem cum abdicatione rerum temporalium, ac cætera substantialia Religionis vouisse: hæc sunt verba D. Augustini. *Dixerant enim potentes illi: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Hoc votum potentissimi vouerant: sed vnde hoc eis, nisi ab illo de quo hic continuò dictum est, dans votum vouenti? alioquin ex illis essent vouentibus, quorum infirmatus est arcus.* Hunc secutus est D. Thomas scribens, Apostolos vouisse substantialia, siue pertinentia ad statum perfectionis, quando relictis omnibus secuti sunt Christum. Eadem mens est Paludani, Dominici Soto, Alphonsi à Castro contra hæreses in verbo, votum: & Ioannis Gerson Cancellarij Parisiensis, qui vocat Apostolos, *Canonicos Regulares sub Abbate Christo.*

lib. 17. de ciuitate Dei cap. 4.

2. 2. qu. 88. art. 4. ad 3.

In 4. dist. 38. l. 7. de iustitia & iure. Alphabeto 24. littera N.

6. Non solum autem Apostoli, verum etiam sacerdotes, & cæteri Clerici primitiuæ Ecclesiæ, vitam communem & Regularem, cum votorum emissione duxerunt; quod potest probari: primò ex Epistola Decretali Vrbani primi ad omnes Christi fideles, cuius hæc sunt verba. *Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter omnes Christianos viguit, & adhuc gratiâ Dei viget maximè inter eos qui in sortem Domini sunt electi, id est Clericos,* &c. tum addit, *Quicumque vestrum communem vitam susceptam habet, & vouit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat: sed hoc quod Domino est pollicitus fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat; quoniam satius est non vouere, quam votum, prout melius potest, non perficere: grauius enim puniuntur, qui votum fecerunt.*

Floruit an. 222. In primo tomo Cõciliorum.

Digitized by Google

aut fidem perceperunt, & votum non perfecerunt, aut in malis vitam finierunt; quam illi, qui vitam sine voto finierunt, &c. Secundò, confirmatur testimonio Philonis Iudæi, qui ex Eusebio Cæsariensi, & Beato Hieronymo, in libro de viris illustribus, vitam communem, cœlibem, & religiosam primorum Christianorum, præsertim Clericorum, quos *Essenos* vocat, sub sancto Marco Euangelista, & primo Patriarcha Alexandrino, describit, eorum habitacula vocans *monasteria*: quibus adde D. Augustinum in sermonibus de communi vita Clericorum: Prosperum Regiensem lib. 2. de vita contemplatiua: sanctum Gregorium primum in responsionibus ad quæstiones Augustini Anglorum Apostoli: Petrum Damianum, in epistola ad Canonicos Fanenses: D. Thomam loco citato, & alibi, qui eandem veritatem asserunt de vita communi & Regulari primorum Ecclesiæ Clericorum, vt optimè probat Gabriel Pennotus lib. 2. historiæ tripartitæ cap. 5 &c.

Lib. de contempt. l. 2. hist. Eccles.

7. Tandem, historia Ecclesiastica testatur omnes ferè sanctos Patres Ecclesiæ, vitam Monasticam, vel Regularem duxisse, siue antequam ad Episcopatum promouerentur; siue etiam post eorum ordinationem; præsertim sanctos Eusebium Vercellensem, Gregorium Nozianzenum, Basilium, Augustinum, Gregorium magnum, Hilarium Episc. Pictauiensem, Martinum Turonensem: vnde olim *monasteria erant seminaria Episcoporum, & sacerdotum.*

CAPVT LVI.

De Votis Euangelicis, & præsertim de Voto Continentiæ, & Virginitatis.

1. QVod vota sancta, sint à Deo approbata, & ab Ecclesia semper in honore habita, & recepta, patet ex sacra Scriptura tam veteris quam noui Testamenti. Nam Iacob *votum vouit Domino*: sicut etiam Israël *voto se obligauit Domino*, & posteà vicit Regem Azad. Iepte pugnaturus contra filios Amon, *votum vouit Domino*, &c. Anna similiter *vouit Domino Samuëlem nondum conceptum*, & alij permulti in veteri Testamento. Et D. Paulus in nouo, *voto se Domino astrinxit; & plures alij votum Domino vouerunt*; vt & omnes Nazaræi. Hinc Deus per Moysem ait populo: *cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere*, &c. Et: *homo qui votum fecerit, & sponderit animam suam Deo, sub æstimatione dabit pretium. Mulier si quippiam vouerit, & se constrinxerit iuramento*, &c. *opere complebit. Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Ruina est homini deuotare sanctos, & post vota retractare.* Et Isaias, de Christianis prædicens ex mente Hieronymi & Cyrilli: *colent*, inquit, *eum in hostiis & muneribus: & vota vouent Domino, & soluent*, & D. Paulus de viduis loquens ait: *Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*: in quæ verba Augustinus, *quid est*, inquit, *primam fidem irritam fecerunt? vouerunt, & non reddiderunt.*

Genes. 28. Num. 2. Iudic. 11. 1. Reg. 15. Act. 18. Deut. 23. Num. 30. Prou. 20. Isai. 19. 21. 1. ad Tim. cap. 5. In Psal. 75.

2. Vt autem singulariter aliquid dicam de tribus votis Regularibus, & Monasticis, sancti Patres citati à Bellarmino l. 2. de Monachis c. 20. agnouerunt votum *Paupertatis* in Christi verbis: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*; Et: *si vis per-*

Mat. 5.

fectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo; & *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis præmij? Hæc sunt verba*, inquit Bernardus, *quæ contemptum mundi in vniuerso mundo, & voluntariam persuasere paupertatem: hæc sunt quæ monachis claustra replent; deserta Anachoritis.* Iidem Patres, præsertim Augustinus sermone primo de communi vita Clericorum; Ambrosius in Caput sextum Lucæ; Chrysostomus Homilia duodecima in Acta Apostolorum: Hieronymus epistola ad Demetriadem, & alij, asserunt Ananiam & Saphiram à Deo morte subitanea punitos, tanquam sacrilegos, & voti paupertatis infractores, quia defraudarunt aliquid de pretio agri venditi.

Math. 19.

Act. 4.

3. Votum etiam *Obedientiæ* agnoscunt in his Christi verbis: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; hæc est enim perfecta sui abnegatio. Vnde Hieronymus; *prima apud eos confœderatio est, obedire maioribus.* Gregorius, *cum quis*, inquit, *suum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, sacrificium est; cum verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est.* Ioannes Cassianus *obedientiæ voti & professionis* nominatim meminit; sicut & Augustinus locis citatis, & in Psalmum septuagesimum secundum.

Math. 16.

Epist. ad Eustochiũ.

Hom. 20. in Ezech.

Lib. 4. de institutis Renuntiantiũ.

4. Tandem sancti Patres agnoscunt votum *Virginitatis, & castitatis*, in Euangelio, & Actis, & Epistolis Canonicis: Et primò in his verbis Beatæ Virginis, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Id est*, inquit Gregorius Nissenus in oratione de Natiuitate Domini: *quoniam Deo dicatam & consecratam carnem, veluti sanctum quoddam Donarium, intactam seruari oportebat: Propterea, etiam si Angelus sis*, inquit, *ac de cœlo veneris; etiam si*

Luc. 1.

ſupra hominem ſit id quod apparet, attamen vt virum cognoſcam fieri non poteſt: quis mater ero abſque viro? Ioſephum enim ſponſum quidem noui, virum autem non cognoſco. Secundò, in eo quod Chriſtus ait *eſſe Eunuchos, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum Cœlorum: quinam autem*, inquit Epiphanius, *hi fuerint qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum, quam generoſi Apoſtoli, ac monaſticam vitam degentes, & deinceps, Virgines?* (Et infra) *poſt ipſos verò, quot millia in mundo ſolitariam vitam agentes, & à monaſteriis & virgineis conuentibus huius certaminis gloriam abſtulerunt?* Tertiò, in verbis ſupradictis D. Pauli, *primam fidem irritam fecerunt.* Quartò, Concilia hanc veritatem confirmant, nam Concilium Ancyranum ſic habet: *quotquot virginitatem pollicitam preuaricati ſunt profeſſione contempta, inter digamos habeantur.* Idem eſt iudicium Eccleſiæ Affricanæ, in Concilio tertio Carthaginenſi; & in quarto, capite vltimo: Idem eſt iudicium Eccleſiæ Hiſpanicæ in Concilio quarto Toletano. Idem iudicium Eccleſiæ Gallicanæ, in ſecundo Concilio Turonenſi: Et Germanicæ, in Concilio Moguntino, tempore Imperatoris Arnulphi, &c.

Math. 19. Hæreſi 58. Valeſioiũ. — 1. ad Tim. cap. 5. — Can. 18. — Cap. 3. — Cap. 15. — Cap. 16. — Cap. vlt.

5 Quibus adde ſanctos Patres, ſcilicet Ignatium epiſtola ad Tarſenſes, & ad Antiochenſes; *Virgines*, inquit, *agnoſcant cui ſe conſecrauerunt.* Martialem, qui Epiſtola ad Tholoſanos dicit *ſe Valeriæ virgini perſuaſiſſe, vt virginitatem ſuam Deo voueret:* vnde etiam D. Dionyſius libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, deſcribit ritum quo initiabantur Monachi, & ait *eos publicè promittere ſe renuntiare vitæ diuiſibili*, quam explicat Apoſtolus, cum partim de Deo, partim de vxore cogitat. Et Tertullianus libro citato: *nupſiſti*, inquit, *Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam, illi ſponſaſti maturitatem tuam* (addens) *quid faciet ipſum continentia votum?* Et Hilarius, *Deo*, inquit;

Cap. 8. — Cap. 6. — 1. Cor. 7. — De vel. virg. — In Pſal. 864.

vouenda ſunt contemptus Corporis, caſtitatis cuſtodia, ieiunij tolerantia. Euſebius, *Caſtitatem*, inquit; *Virginalemque modeſtiam amplexatæ quædam, corpus, & animam conſecrauerunt Deo:* (& infrà loquens de Conſtantino) *virgineum*, inquit, *chorum tantum non adorabat, iſtic habitare Deum, cui ſe puellæ deuouerant, arbitrabatur.* Cyprianus, *Chriſtus*, inquit, *Dominus & Iudex noſter, cum Virginem ſuam ſibi dicatam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam, iacere cum altero cernat, quàm indignatur, & iraſcitur, & quas pœnas incœſtis eiuſmodi coniunctionibus comminatur? quæ hoc crimen admiſit, non mariti, ſed Chriſti adultera eſt.* S. Athanaſius in libro de Verbi humanitate, teſtatur etiam pueros Virginitatem profiteri ſolitos ſuo tempore. Sanctus Baſilius libro de Virginitate: *Cum* inquit, *virginitatem Domino profeſſa ſint, carnali poſtmodum voluptate malè blanda delinitæ, ac deuictæ, ſtupri ſcelus honeſto coniugij nomine obtegere cupiunt, & horrendo ſacrilegio Chriſti ſponſæ adulter efficitur.* Sanctus Ambroſius libro tertio de Virginibus: *Initiatas*, inquit, *ſacris myſterijs, & conſecratas integritati puellas nubere prohibet. Vtinam potuiſſem reuocare nupturas; vtinam potuiſſem flammeum nuptiale, pio integritatis velamine mutare; an indignum videtur, vt ſacratæ Virgines à ſacroſanctis altaribus non abducantur ad nuptias? & quibus licet ſponſum eligere, non licet Deum præferre.* Hæc autem inter mille & amplius, tum Scripturæ ſanctæ, tum Conciliorum & Patrum teſtimonia ſufficiunt.

Lib. 4. de vita Conſt.

Lib. 1. epiſt. 11. ad Pomponiſ.

6. Ex quibus vides, quâ impudentia, & ignorantia ſimul Hæretici publicè profiteantur *articulo 24. eorum fidei Confeſſionis*, Vota Monaſtica, & Matrimonij prohibitionem (intellige his qui continentiam vel Virginitatem vouerunt, & Deo ſe conſecrarunt) procedere ex officina ſathanæ: Neque enim Eccleſia Romana aliis prohibet nuptias, imo

potius eis ſanctitatem impertit per ſacramentum matrimonij, quod denegant ipſi: ac proinde hunc articulum, & omnes alios contrarios fidei Catholicæ & Romanæ, verè conflatos in ipſa Dæmonis officina, certiſſimum eſt quia *ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, & inobedientiæ ſeu Belial eſt princeps mundi huius, quem Chriſtus virgo, pauper, & obediens vſque ad mortem vicit in cruce: Eſt etiam ſatanas ſpiritus immundus, & ille *Leuiathan*, de quo Iob teſtatur, quod *fortitudo eius eſt in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius; & dormit ſub vmbra in ſecreto thalami, in locis humentibus*. Abſit autem à ſponſa Chriſti, quæ eſt vera Eccleſia, tale præconium; quia ſemper agnouit quod *pudicitia eſt flos morum, honor corporum, decor ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis, & præiudicium omnis bonæ mentis*: Et cum Cypriano, quod eadem puritas eſt *flos Eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum, atque incorrumptum. Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini: Illuſtrior portio gregis Chriſti.*

Iob. 31. & 40.

Tertul. lib. de pudic. cap. 1. Cypr. lib. de diſcipl. & habitu virg.

Caput LVII.

De Abſtinentia Ciborum, & Ieiuniis.

Ioel. 2. 12. & 15. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in Ieiunio, & in fletu, & in planctu. Canite tuba in Sion, ſanctificate Ieiunium, vocate cœtum. &c.*

1. NOn mirum ſi à Ciborum abſtinentia, & à Ieiuniis tantum abhorreant hæretici, cum ſint homines carnales, ſe ipſos amantes, & filij Belial,

id est sine iugo legis diuinæ & Ecclesiasticæ, quæ pœnitentiam, abstinentiam, & Ieiunia fidelibus præscribunt tanquam media conuenientissima ad diuinam iustitiam complacandam, ad diuinam conciliandam misericordiam, ad euitanda peccata, & ad comparandas virtutes. *Quid enim potest efficacius esse Ieiunio*, inquit Sanctus Leo, *cuius obseruantia appropinquamus Deo, & resistentes Diabolo vitia blanda superamus? Semper enim virtutibus Ieiunium fuit. De abstinentia denique prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia: & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innouatur.* Serm. 1. decimi mensis.

2. In Scripturis autem Ieiunij quatuor quasi genera pronuntur, scilicet 1. Ieiunium spirituale, quod est abstinentia à vitiis, de quo Isaiæ 58. *Non-ne hoc est magis Ieiunium, quod elegi? dissolue colligationes impietatis*, &c. 2. Ieiunium morale, quod est temperantia cibi & potus, de quo Hieronymus contra Iouinianum. 3. Ieiunium naturale, quod est abstinentia ab omni prorsus cibo, & potu, quacumque ratione sumpto. 4. Ieiunium Ecclesiasticum, quod est abstinentia cibi secundum Ecclesiæ regulam assumpta; *Vt prosit nunc voluntate non sumere*, inquit Sanctus Leo, *quod ab initio contra vetitum nocuit vsurpasse; vt sicut illic concupiscentia vulneri, ita hic abstinentia sit saluti.* Tria verò sunt quæ requiruntur ad Ieiunium secundum Regulam Ecclesiasticam. Primum, vt Ieiunans semel tantum in die sumat cibum. Secundum, vt vna illa refectio sit cœna, non prandium. Tertium, vt seruet ciborum delectum, & præsertim à carnibus abstineat. Lib. 2. Serm. 8. de Ieiunio.

3. Quoad primum & secundum, possunt facilè probari ex Scriptura, Patribus, & perpetua consuetudine fidelium. Nam in veteri Testamento cum de Ieiuniis agitur, fit mentio horæ vespertinæ. Iu-

Idem habetur. 2. Reg. cap. 1. & 3. &c.

dicum 20. *Ieiunauerunt illa die vſque ad veſperam.* Porro Chriſtiani veteres non ita ſuperſtitiosè Ieiunia obſeruarunt vt Iudæi, qui cibum ſumere non audebant ante ſtellarum ortum, ſicut & Montaniſtæ: ea tamen non ſoluebant niſi hora nona ab ortu ſolis; vel etiam hora veſpertina in quadrageſima, teſte ſancto Hieronymo. Eſtque mens ſanctorum Patrum quos citat Bellarminus: *Poſt communionem*, inquit Athanaſius, *hora nona comede panem tuum, gratias agens Deo ſuper menſam tuam.* Et Baſilius oratione prima loquens de Ieiunio quadrageſimæ: *Expecta*, inquit, *veſperam vt cibum capias.* Et Bernardus ſermone 30. de Quadrageſima: *Hactenus*, inquit, *vſque ad nonam ieiunauimus ſoli; nunc vſque ad veſperam ieiunabunt nobiſcum vniuerſi Reges & Principes, Clerus & populus*, &c.

Lib. contra Iouinianū. Bellar. lib. 2. c. 2. de bonis operibus. Lib. de virginitate.

4. Quoad Tertium, certum eſt abſtinentiam à certis cibis eſſe præſcriptam à Deo in Scripturis, & obſeruatam, imò præceptam ab Apoſtolis, & ab Eccleſia. Nam 1. Deus præcepit primis parentibus, ne ederent de ligno ſcientiæ boni & mali. 2. Prohibuit populo Iudaïco adipem, ſanguinem, carnes ſuillas, &c. Nazaræis, vinum & omnia immunda prohibita ſunt. Daniel & tres eius ſocij abſtinebant à vino & à carnibus, ſicut etiam filij Prophetarum; & ipſe Ioannes Baptiſta, filij Rechab, &c. Et Apoſtoli in Concilio habito Ieroſolymis, præceperunt vt fideles abſtinerent *ab Idolothitis, à ſanguine & ſuffocatis.* Ac tandem ex Euſebio & Hieronymo poſt Philonem, primi Chriſtiani Eccleſiæ Alexandrinæ abſtinebant à vino & carnibus, & ieiunabant vſque ad veſperam.

Gen. 2. 17. Leu 1.3. 17. & c. 11. 4. Num. 6. v. 3. Iud. 13. &c. Ier 35. Dan. 1. Marc. 1. Luc. 1. Act. 15. 28. Lib. 2. hiſt. cap. 17.

5. Ex quibus patet, Ieiunium generatim ſumptum, fundatum eſſe in diuino præcepto, iuxta prædicta Ioëlis verba, & illa verba Chriſti: *Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum*, &c. Et ſpecialiter in Lege

Mat. 6.

Ecclesiastica, & Apostolica traditione, scilicet quoad tempus & modum Ieiunij. Quis verò neget Ecclesiam posse fideles obligare in conscientia ad certa quædam Ieiunia, & ad ciborum delectum, cum in veteri & nouo Testamento extent exempla huius sacræ legis? Ieremiæ cap. 35. de Rechabitis. Hester 9. in constitutione Mardochæi. Zachariæ cap. 8. vbi fit mentio quatuor Ieiuniorum. Actorum cap. 15. & alibi. Sed & ipse Christus iubet nos *audire Ecclesiam*, eique obedire, nisi velimus ab ea excommunicari, sicut Ethnici & publicani.

6. Confirmatur hæc veritas ex Conciliis & Patribus Nam Canon 68. Apostolorum præcipit *Clericum deponi, & Laïcum excommunicari, si Quadragesimam non ieiunet.* In Concilio Gangrensi, Canone 19. Anathemate percutiuntur, *qui sine magna necessitate Ieiunia indicta dissoluunt.* In Concilio Laodiceno, capite 50. præcipitur *vt in Quadragesima escis aridis omnes vtantur.* Concilium Toletanum VIII. cap. 9. ita seuerè præceptum Ieiunij Quadragesimalis obseruandum esse præscribit, *vt qui secus fecerint, tanquam rei Dominicæ Resurrectionis, sacra communione priuentur in pascha, & per integrum annum à carnibus abstinere cogantur.*

Concilium Bracarense secundum Canone 9. *Mandat sacerdotibus, vt suo tempore Ieiunium quadragesimæ prædicent populis, & accuratè obseruari præcipiant.*

7. Eadem est mens veterum Patrum, qui confirmant præceptum Ieiunij. Vnde Tertullianus: *bene*, inquit, *quod & Episcopi vniuersa plebi mandare Ieiunia assolent.* In lib. de Ieiunio. Hæresi 75. aduersus Aërios.

Sanctus Epiphanius testatur Ieiunia quædam ab ipsis Apostolis esse mandata. Oratione 2. de Ieiunio.

Sanctus Basilius. *Omnes*, inquit, *æqualiter & præceptum* (intellige Quadragesimæ) *audiunt, & cum*

Caput LV.

De antiquitate, & ſanctitate ſocietatum Religioſarum.

Lib. de velandis virginibus cap. 3.

1. Ecclesia iuſtè de Hæreticis poteſt conqueri his Tertulliani verbis. *O ſacrilega manus! quæ dicatum Deo habitum detrahere potuerunt? quid pejus aliquis perſecutor feciſſet, ſi hoc à virgine electum cognouiſſet? Denudaſti puellam à capite, & tota iam imago ſibi non eſt: alia eſt facta Exurge igitur veritas, & quaſi de patientia erumpe.* Illi quippe non ſolum ſacrum habitum detraxerunt à fidelibus Deo dicatis, ſed omnem pium Religioſorum cœtum verbis, ſcriptis, minis, & omni genere perſecutionis atrociſſimæ, procul eliminare tentarunt: quin etiam in publica fidei ſuæ Confeſſione profeſſi ſunt, vota Religioſa ex officina Dæmonis erupiſſe. Verùm qua fronte, qua temeritate; imò qua ignorantia & impietate hanc blaſphemiam in Spiritum ſanctum effutierint, ex infrà dicendis conjicere poteris.

In Pſal. 132.

2. Antiquitatem & ſanctitatem ſocietatum Religioſarum ſufficienter aperit D. Auguſtinus in Pſalmos: *Breuis*, inquit, *Pſalmus, ſed valdè notus & nominatus. Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum; tam dulcis eſt quam dulcis eſt, charitas, quæ facit fratres habitare in vnum. Verumtamen conſideremus vtrum de omnibus Chriſtianis dictum ſit, quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum; nec ad omnes pertineat iſta benedictio, ſed ad quoſdam, à quibus tamen deſcendat ad cæteros iſta ſuauis melodia tam in Cantico, quam in intellectu, etiam monaſteria peperit. Ad hunc ſonum excitati*

sunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt; de illo pariete Circunciſionis prius nata eſt iſta benedictio. Num enim omnes Iudæi perierunt? & vnde Apoſtoli, filij Prophetarum, filij excuſſorum? ſicut iam ſcientibus loquimur. Vnde illi quingenti, qui Dominum poſt Reſurrectionem viderunt, quos commemorat Apoſtolus Paulus? Vnde illi centum viginti, qui ſimul erant in vno loco poſt reſurrectionem Domini, & Aſcenſionem in Cœlum, quibus in vno loco conſtitutis ſuperuenit Spiritus ſanctus die Pentecoſtes miſſus de cœlo; ſic miſſus, ſicut promiſſus? Omnes inde erant. Ipſi primò habitauerunt in vnum, qui omnia quæ habebant vendiderunt, rerumque ſuarum pretia ad pedes Apoſtolorum poſuerunt, ſicut in Actibus Apoſtolorum legitur; & diſtribuebatur vnicuique ſicut cuique opus erat, & nemo dicebat aliquid proprium, ſed erant illis omnia communia. Et quid eſt, in vnum? & erat illis, inquit, anima vna, & cor vnum in Deum. Ergo ipſi prius audierunt, Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum: primi audierunt, ſed non ſoli audierunt. Non enim vſque ad illos tantum iſta dilectio, & vnitas fratrum v nit; venit enim ad poſteros iſta charitatis exultatio, & votum Deo Ex his verbis vides, Auguſtinum agnoſcere & probare per Scripturam, Antiquitatem, & ſanctitatem Societatum Religioſarum, earumque fœlicem progreſſum ad ſua vſque tempora: antiquitatem, inquam, in veteri Lege, in filiis Prophetarum; & in noua, in Apoſtolis, & eorum filiis ſpiritualibus: ſanctitatem verò, in earum Congregatione, & vnione per charitatem & Spiritum ſanctum, qui ſanctos & iuſtos habitare facit vnanimes in domo Domini: ſed & meminit voti ſancti eos in hac ſancta vnione confirmantis.

3. Dicamus ergo, vitam Religioſam adeo eſſe antiquam, vt quædam eius adumbratio viſa fuerit in Lege naturæ etiam ante diluuium: maior eius ex-

preſſio in Lege Moſaïca ; perfectio verò in Lege noua ſeu Euangelica tempore Apoſtolorum : habemus enim in Lege naturæ Enos, patrem & fundatorem *Enoſcorum*, ſeu *Eſſenorum*, de quo dicitur, Gen. 4. *iſte cœpit inuocare nomen Domini* ; Intellige per peculiarem aliquem cultum ſublimiorem, quam eſſet communis vulgi Religio : neque enim credendum eſt Adamum, Abelem, & Sethum nuſquam Deum inuocaſſe, & tamen *Enos* dicitur primus cœpiſſe inuocare nomen Domini ; quod explicant Valdenſis, L. 3. de Doctr. fidei. Genebrardus, Bolducius, Rapinus, & alij poſt plures Rabinos, de ſublimiori, & perfectiori norma vitæ, & nouis ritibus Religionis quos inſtituit : vnde etiam ob vitæ eius ſanctitatem. Dei nomine fuit illuſtratus : ſicut & pater eius Seth, teſte Clemente Alexandrino Lib. 9. contra Iulianum ; & pater vocatus eſt *filiorum Dei*, ad diſtinctionem *filiorum & filiarum hominum* : quibus adde vota *Nazaræorum*, qui Num. 6. ſe ipſos Domino conſecrabant : *ad quorum exemplum* inquit Origines, *etiam in Eccleſia quidam ſe ipſos totos diuino cultui deuouerunt.* Habemus etiam in eodem veteri teſtamento Eliam, & Eliſæum, ac filios Prophetarum, qui ſine vxoribus & diuitiis, in communi ſocietate vixerunt Deo dicati, iuxta Hieronymum : *Filij*, inquit, *Prophetarum quos Monachos in veteri teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas prope fluenta Iordanis : & turbis vrbium derelictis, polenta & herbis agreſtibus victitabant.* Habemus etiam apud Ieremiam inſignem commendationem *Rechabitarum*, quibus pater ſeu Auus *Rechab* præceperat vt domos non ædificarent, agros non ſeminarent, vineas non plantarent, vinum nunquam biberent, & vitam duriſſimam quaſi extra mundum agerent; quod fideliter obſeruarunt, & ideo inter Monachos veteris Teſtamenti reputati ſunt ab eodem Hieronymo, & aliis. Denique *Ioannem Baptiſtam*, Mona-

Homil. 11. in Leuit.

Inepiſt. ad Ruſticum. Cap. 35.

Inepiſt. ad Paulinum.

chorum & Eremitarum principem fuisse asserunt sancti Patres, Nazianzenus, Chrysostomus, Hieronymus, & alij. Oratione in Basilū Homil. in Martyrem. Epist. ad Eustochiū.

4. Quod autem spectat ad nouum Testamentum, certissimum & clarissimum est Christum Dominum anno circiter trigesimo ætatis, prima fundamenta iecisse Religiosarum societatum, cum vocatis ad se Apostolis, vnà cum eis vitam communem degit, vtens communi domo, communi mensa, communi œconomo, &c. Et sanè conueniens fuit, vt Iesus Christus in sua familia vitæ Religiosæ exemplum daret, in se-ipso prius complens, quod ab aliis voluit impleri; *cœpit* enim *primum facere, tum docere.* Quis enim inficias ibit, ipsum in instanti conceptionis se Patri æterno obtulisse, & dedicasse; atque omnem sanctitatem, & perfectionem amplexatum fuisse? Imo & secundùm Prophetam Regium, quæcumque vota per totam vitam reddidit Deo in conspectu timentium eum, ea emisisse pie credi potest: neque hoc eius sacræ, & augustæ Majestati, nec Scripturæ sacræ repugnat, sicut nec rationi: nam Votum nihil aliud est, quàm firma voluntas alicuius boni, in constantiæ non subdita; estque semper de meliori bono, vt aiunt: Atqui Iesus Christus licet voto non indiguerit ad firmandam voluntatem, hanc tamen firmissimam voluntatem habuit in primo instanti Conceptionis, vitam cœlibem & purissimam, item paupertimam, imò & obedientem, ducere, vt verè talem duxit: *cum* enim *dives esset, egenus factus est propter nos, vt nos sua inopia ditaret:* tanto etiam flagrauit virginitatis amore, vt de Virgine matre nasci voluerit, ipseque Virgo matrem suam Virginem, Virgini Ioanni commendauerit: & tandem factus obediens vsque ad mortem crucis, se ipsum immolauit Patri pro peccatis nostris. Psal. 21.

5. Æquè certum est ex Euangelio, sanctos Aposto-

los cum Christo vitam cœlibem, pauperem & obedientem duxisse, cum perfecta renuntiatione omnium bonorum temporalium, iuxta illud B. Petri dictum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te?* Imò sancti Patres, præsertim Augustinus & alij, testantur eos vitam illam communem cum abdicatione rerum temporalium, ac cætera substantialia Religionis vouisse: hæc sunt verba D. Augustini. *Dixerant enim potentes illi: Ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te. Hoc votum potentissimi vouerant: sed vnde hoc eis, nisi ab illo de quo hic continuò dictum est, dans votum vouenti? alioquin ex illis essent vouentibus, quorum infirmatus est arcus.* Hunc secutus est D. Thomas scribens, Apostolos vouisse substantialia, siue pertinentia ad statum perfectionis, quando relictis omnibus secuti sunt Christum. Eadem mens est Paludani, Dominici Soto, Alphonsi à Castro contra hæreses in verbo, votum: & Ioannis Gerson Cancellarij Parisiensis, qui vocat Apostolos, *Canonicos Regulares sub Abbate Christo.*

Lib. 17. de ciuitate Dei cap. 4.

2. 2. qu. 88. art. 4. ad 3.

In 4. dist. 38. l. 7. de iustitia & iure. Alphabeto 24. littera N.

6. Non solum autem Apostoli, verum etiam sacerdotes, & cæteri Clerici primitiuæ Ecclesiæ, vitam communem & Regularem, cum votorum emissione duxerunt; quod potest probari: primò ex Epistola Decretali Vrbani primi ad omnes Christi fideles, cuius hæc sunt verba. *Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter omnes Christianos viguit, & adhuc gratiâ Dei viget maximè inter eos qui in sortem Domini sunt electi, id est Clericos,* &c. tum addit, *Quicumque vestrum communem vitam susceptam habet, & vouit se nihil proprium habere, videat ne pollicitationem suam irritam faciat: sed hoc quod Domino est pollicitus fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat; quoniam satius est non vouere, quam votum, prout melius potest, non perficere: grauius enim puniuntur, qui votum fecerunt.*

Floruit an. 222. In primo tomo Cõcilio-rum.

aut fidem perceperunt, & votum non perfecerunt, aut in malis vitam finierunt; quam illi, qui vitam sine voto finierunt, &c. Secundò, confirmatur testimonio Philonis Iudæi, qui ex Eusebio Cæsariensi, & Beato Hieronymo, in libro de viris illustribus, vitam communem, cœlibem, & religiosam primorum Christianorum, præsertim Clericorum, quos *Essenos* vocat, sub sancto Marco Euangelista, & primo Patriarcha Alexandrino, describit, eorum habitacula vocans *monasteria*: quibus adde D. Augustinum in sermonibus de communi vita Clericorum: Prosperum Regiensem lib. 2. de vita contemplatiua: sanctum Gregorium primum in responsionibus ad quæstiones Augustini Anglorum Apostoli: Petrum Damianum, in epistola ad Canonicos Fanenses: D. Thomam loco citato, & alibi, qui eandem veritatem asserunt de vita communi & Regulari primorum Ecclesiæ Clericorum, vt optimè probat Gabriel Pennotus lib. 2. historiæ tripartitæ cap. 5 &c. Lib. de contempt. l. 2. hist. Eccles.

7. Tandem, historia Ecclesiastica testatur omnes ferè sanctos Patres Ecclesiæ, vitam Monasticam, vel Regularem duxisse, siue antequam ad Episcopatum promouerentur; siue etiam post eorum ordinationem; præsertim sanctos Eusebium Vercellensem, Gregorium Nozianzenum, Basilium, Augustinum, Gregorium magnum, Hilarium Episc. Pictauiensem, Martinum Turonensem: vnde olim *monasteria erant seminaria Episcoporum, & sacerdotum.*

CAPVT LVI.

De Votis Euangelicis, & præsertim de Voto Continentiæ, & Virginitatis.

1. QVod vota sancta, sint à Deo approbata, & ab Ecclesia semper in honore habita, & recepta, patet ex sacra Scriptura tam veteris quam noui Testamenti. Nam Iacob *votum vouit Domino*: sicut etiam Israël *voto se obligauit Domino*, & posteà vicit Regem Azad. Iepte pugnaturus contra filios Amon, *votum vouit Domino*, &c. Anna similiter *vouit Domino Samuëlem nondum conceptum*, & alij permulti in veteri Testamento. Et D. Paulus in nouo, *voto se Domino astrinxit; & plures alij votum Domino vouerunt*; vt & omnes Nazaræi. Hinc Deus per Moysem ait populo: *cum votum voueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere*, &c. Et: *homo qui votum fecerit, & sponderit animam suam Deo, sub æstimatione dabit pretium. Mulier si quippiam vouerit, & se constrinxerit iuramento*, &c. *opere complebit. Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Ruina est homini deuotare sanctos, & post vota retractare.* Et Isaias, de Christianis prædicens ex mente Hieronymi & Cyrilli: *colent*, inquit, *eum in hostiis & muneribus: & vota vouent Domino, & soluent*, & D. Paulus de viduis loquens ait: *Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*: in quæ verba Augustinus, *quid est*, inquit, *primam fidem irritam fecerunt? vouerunt, & non reddiderunt.*

Genes. 28. Num. 2. Iudic. 11. 1. Reg. 15. Act. 18. Deut. 23. Num. 30. Prou. 29. Isai. 19. 21. 1. ad Tim. cap. 5. In Psal. 75.

2. Vt autem singulariter aliquid dicam de tribus votis Regularibus, & Monasticis, sancti Patres citati à Bellarmino l. 2. de Monachis c. 20. agnouerunt votum *Paupertatis* in Christi verbis: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*; Et: *si vis per-*

Mat. 5.

fectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus & habebis thesaurum in cœlo; & *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis præmij? Hæc sunt verba*, inquit Bernardus, *quæ contemptum mundi in vniuerso mundo, & voluntariam persuasere paupertatem: hæc sunt quæ monachis claustra replent; deserta Anachoritis.* Iidem Patres, præsertim Augustinus sermone primo de communi vita Clericorum; Ambrosius in Caput sextum Lucæ; Chrysostomus Homilia duodecima in Acta Apostolorum: Hieronymus epistola ad Demetriadem, & alij, asserunt Ananiam & Saphiram à Deo morte subitanea punitos, tanquam sacrilegos, & voti paupertatis infractores, quia defraudarunt aliquid de pretio agri venditi.

Math. 19.

Act. 4.

3. Votum etiam *Obedientiæ* agnoscunt in his Christi verbis: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; hæc est enim perfecta sui abnegatio. Vnde Hieronymus; *prima apud eos confœderatio est, obedire maioribus.* Gregorius, *cum quis*, inquit, *suum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, sacrificium est; cum verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vouerit, holocaustum est.* Ioannes Cassianus *obedientiæ voti & professionis* nominatim meminit; sicut & Augustinus locis citatis, & in Psalmum septuagesimum secundum.

Math. 16.

Epist. ad Eustochiũ.

Hom. 20. in Ezech.

Lib. 4. de institutis Renuntiantiũ.

4. Tandem sancti Patres agnoscunt votum *Virginitatis, & castitatis*, in Euangelio, & Actis, & Epistolis Canonicis: Et primò in his verbis Beatæ Virginis, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Id est*, inquit Gregorius Nissenus in oratione de Natiuitate Domini: *quoniam Deo dicatam & consecratam carnem, veluti sanctum quoddam Donarium, intactam seruari oportebat: Propterea, etiam si Angelus sis*, inquit, *ac de cœlo veneris; etiam si*

Luc. 1.

ſupra hominem ſit id quod apparet, attamen vt virum cognoſcam fieri non poteſt: qui mater ero abſque viro? Ioſephum enim ſponſum quidem noui, virum autem non cognoſco. Secundò, in eo quod Chriſtus ait *eſſe Eunuchos, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum Cœlorum: quinam autem*, inquit Epiphanius, *hi fuerint qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum, quam generoſi Apoſtoli, ac monaſticam vitam degentes, & deinceps, Virgines?* (Et infra) *poſt ipſos verò, quot millia in mundo ſolitariam vitam agentes, & à monaſteriis & virgineis conuentibus huius certaminis gloriam abſtulerunt?* Tertiò, in verbis ſupradictis D. Pauli, *primam fidem irritam fecerunt.* Quartò, Concilia hanc veritatem confirmant, nam Concilium Ancyranum ſic habet: *quotquot virginitatem pollicitam preuaricati ſunt profeſſione contempta, inter digamos habeantur.* Idem eſt iudicium Eccleſiæ Affricanæ, in Concilio tertio Carthaginenſi; & in quarto, capite vltimo; Idem eſt iudicium Eccleſiæ Hiſpanicæ in Concilio quarto Toletano. Idem iudicium Eccleſiæ Gallicanæ, in ſecundo Concilio Turonenſi: Et Germanicæ, in Concilio Moguntino, tempore Imperatoris Arnulphi, &c.

Math. 19.
Hæreſi 58. Valeſioru.
1. ad Tim. cap. 5.
Can. 18.
Cap. 3.
Cap. 15.
Cap. 16.
Cap. vlt.

§ Quibus adde ſanctos Patres, ſcilicet Ignatium epiſtola ad Tarſenſes, & ad Antiochenſes; *Virgines*, inquit, *agnoſcant cui ſe conſecrauerunt.* Martialem, qui Epiſtola ad Tholoſanos dicit *ſe Valeriæ virgini perſuaſiſſe, vt virginitatem ſuam Deo voueret:* vnde etiam D. Dionyſius libro de Eccleſiaſtica Hierarchia, deſcribit ritum quo initiabantur Monachi, & ait *eos publicè promittere ſe renuntiare vitæ diuiſibili*, quam explicat Apoſtolus, cum partim de Deo, partim de vxore cogitat. Et Tertullianus libro citato: *nupſiſti*, inquit, *Chriſto, illi tradidiſti carnem tuam, illi ſponſaſti maturitatem tuam* (addens) *quid faciet ipſum continentiæ votum?* Et Hilarius, *Deo*, inquit;

Cap. 8.
Cap. 6.
1. Cor. 7.
De vel. virg.
In Pſal. 864.

vouenda sunt contemptus Corporis, castitatis custodia, ieiunij tolerantia. Eusebius, *Castitatem*, inquit; *Virginalemque modestiam amplexatæ quædam, corpus, & animam consecrauerunt Deo:* (& infrà loquens de Constantino) *virgineum*, inquit, *chorum tantum non adorabat, istic habitare Deum, cui se puellæ deuouerant, arbitrabatur.* Cyprianus, *Christus*, inquit, *Dominus & Iudex noster, cum Virginem suam sibi dicatam, & sanctitati suæ destinatam, iacere cum altero cernat, quàm indignatur, & irascitur, & quas pœnas incœstis eiusmodi coniunctionibus comminatur? quæ hoc crimen admisit, non mariti, sed Christi adultera est.* S. Athanasius in libro de Verbi humanitate, testatur etiam pueros Virginitatem profiteri solitos suo tempore. Sanctus Basilius libro de Virginitate: *Cum* inquit, *virginitatem Domino professa sint, carnali postmodum voluptate malè blanda delinitæ, ac deuictæ, stupri scelus honesto coniugij nomine obtegere cupiunt, & horrendo sacrilegio Christi sponsæ adulter efficitur.* Sanctus Ambrosius libro tertio de Virginibus: *Initiatas*, inquit, *sacris mysteriis, & consecratas integritati puellas nubere prohibet. Vtinam potuissem reuocare nupturas; vtinam potuissem flammeum nuptiale, pio integritatis velamine mutare; an indignum videtur, vt sacratæ Virgines à sacrosanctis altaribus non abducantur ad nuptias? & quibus licet sponsum eligere, non licet Deum præferre.* Hæc autem inter mille & amplius, tum Scripturæ sanctæ, tum Conciliorum & Patrum testimonia sufficiunt.

Lib. 4. de vita Const.

Lib. 1. epist. 11. ad Pomponiū.

6. Ex quibus vides, quâ impudentia, & ignorantia simul Hæretici publicè profiteantur *articulo 24. eorum fidei Confessionis*, Vota Monastica, & Matrimonij prohibitionem (intellige his qui continentiam vel Virginitatem vouerunt, & Deo se consecrarunt) procedere ex officina sathanæ: Neque enim Ecclesia Romana aliis prohibet nuptias, imo

potius eis ſanctitatem impertit per ſacramentum matrimonij, quod denegant ipſi: ac proinde hunc articulum, & omnes alios contrarios fidei Catholicæ & Romanæ, verè conflatos in ipſa Dæmonis officina, certiſſimum eſt quia *ipſe eſt Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ*, & inobedientiæ ſeu Belial eſt princeps mundi huius, quem Chriſtus virgo, pauper, & obediens vſque ad mortem vicit in cruce: Eſt etiam ſatanas ſpiritus immundus, & ille *Leuiathan*, de quo Iob teſtatur, quod *fortitudo eius eſt in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius; & dormit ſub vmbra in ſecreto thalami, in locis humentibus*. Abſit autem à ſponſa Chriſti, quæ eſt vera Eccleſia, tale præconium; quia ſemper agnouit quod *pudicitia eſt flos morum, honor corporum, decor ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis, fundamentum ſanctitatis, & præiudicium omnis bonæ mentis*: Et cum Cypriano, quod eadem puritas eſt *flos Eccleſiaſtici germinis, decus, atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum, atque incorrumptum. Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini: Illuſtrior portio gregis Chriſti.*

Iob. 31. & 40.

Tertul. lib. de pudic. cap. 1. Cypr. lib. de diſcipl. & habitu virg.

Caput LVII.

De Abſtinentia Ciborum, & Ieiuniis.

Ioel. 2. 12. & 15. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in Ieiunio, & in fletu, & in planctu. Canite tuba in Sion, ſanctificate Ieiunium, vocate cœtum. &c.*

1. NOn mirum ſi à Ciborum abſtinentia, & à Ieiuniis tantum abhorreant hæretici, cum ſint homines carnales, ſe ipſos amantes, & filij Belial,

id est sine iugo legis diuinæ & Ecclesiasticæ, quæ pœnitentiam, abstinentiam, & Ieiunia fidelibus præscribunt tanquam media conuenientissima ad diuinam iustitiam complacandam, ad diuinam conciliandam misericordiam, ad euitanda peccata, & ad comparandas virtutes. *Quid enim potest efficacius esse Ieiunio*, inquit Sanctus Leo, *cuius obseruantia appropinquamus Deo, & resistentes Diabolo vitia blanda superamus? Semper enim virtutibus Ieiunium fuit. De abstinentia denique prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubriora consilia: & per voluntarias afflictiones caro concupiscentiis moritur, virtutibus spiritus innouatur.* Serm. 1. decimi mensis.

2. In Scripturis autem Ieiunij quatuor quasi genera pronuntur, scilicet 1. Ieiunium spirituale, quod est abstinentia à vitiis, de quo Isaiæ 58. *Non-ne hoc est magis Ieiunium, quod elegi? dissolue colligationes impietatis*, &c. 2. Ieiunium morale, quod est temperantia cibi & potus, de quo Hieronymus contra Iouinianum. 3. Ieiunium naturale, quod est abstinentia ab omni prorsus cibo, & potu, quacumque ratione sumpto. 4. Ieiunium Ecclesiasticum, quod est abstinentia cibi secundum Ecclesiæ regulam assumpta; *Vt prosit nunc voluntate non sumere*, inquit Sanctus Leo, *quod ab initio contra vetitum nocuit vsurpasse; vt sicut illic concupiscentia vulneri, ita hic abstinentia sit saluti.* Tria verò sunt quæ requiruntur ad Ieiunium secundum Regulam Ecclesiasticam. Primum, vt Ieiunans semel tantum in die sumat cibum. Secundum, vt vna illa refectio sit cœna, non prandium. Tertium, vt seruet ciborum delectum, & præsertim à carnibus abstineat. Lib. 2. Serm. 8. de Ieiunio.

3. Quoad primum & secundum, possunt facilè probari ex Scriptura, Patribus, & perpetua consuetudine fidelium. Nam in veteri Testamento cum de Ieiuniis agitur, fit mentio horæ vespertinæ. Iu-

Ecclesiastica, & Apostolica traditione, scilicet quoad tempus & modum Ieiunij. Quis verò neget Ecclesiam posse fideles obligare in conscientia ad certa quædam Ieiunia, & ad ciborum delectum, cum in veteri & nouo Testamento extent exempla huius sacræ legis? Ieremiæ cap. 35. de Rechabitis. Hester 9. in constitutione Mardochæi. Zachariæ cap. 8. vbi fit mentio quatuor Ieiuniorum. Actorum cap. 15. & alibi. Sed & ipse Christus iubet nos *audire Ecclesiam*, eique obedire, nisi velimus ab ea excommunicari, sicut Ethnici & publicani.

6. Confirmatur hæc veritas ex Conciliis & Patribus. Nam Canon 68. Apostolorum præcipit *Clericum deponi, & Laïcum excommunicari, si Quadragesimam non ieiunet.* In Concilio Gangrensi, Canone 19. Anathemate percutiuntur, *qui sine magna necessitate Ieiunia indicta dissoluunt.* In Concilio Laodiceno, capite 50. præcipitur *vt in Quadragesima esceis aridis omnes vtantur.* Concilium Toletanum VIII. cap. 9. ita seuerè præceptum Ieiunij Quadragesimalis obseruandum esse præscribit, *vt qui secus fecerint, tanquam rei Dominicæ Resurrectionis, sacra communione pruentur in pascha, & per integrum annum à carnibus abstinere cogantur.*

Concilium Bracarense secundum Canone 9. *Mandat sacerdotibus, vt suo tempore Ieiunium quadragesimæ prædicent populis, & accuratè obseruari præcipiant.*

7. Eadem est mens veterum Patrum, qui confirmant præceptum Ieiunij. Vnde Tertullianus: *bene*, inquit, *quod & Episcopi vniuersa plebi mandare Ieiunia assolent.* In lib. de Ieiunio.

Sanctus Epiphanius testatur Ieiunia quædam ab ipsis Apostolis esse mandata. Hæresi 75. aduersus Aërium.

Sanctus Basilius. *Omnes*, inquit, *æqualiter & præceptum* (intellige Quadragesimæ) *audiunt, & cum* Oratione 2. de Ieiunio.

gaudio ſuſcipiunt. Angeli ſunt qui per ſingulas Eccleſias Ieiunantes deſcribunt.

Serm. 34. Sanctus Ambroſius. *Quiſquis*, inquit, *Chriſtianus ieiunando non impleuerit quadrageſimam, præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur.*

Epiſt. ad Marcellam. Sanctus Hieronymus. *Nos*, inquit, *vnam Quadrageſimam ſecundum Traditionem Apoſtolorum, tempore nobis congruo ieiunamus*, &c.

Homil. 6. ad populum. S. Chryſoſtomus. *Adueniente*, inquit, *Ieiunio, & ſi millies quis exhortetur, & infinita crucient & cogant vinum delibare, vel aliud quid Ieiunij lege non conceſſum guſtare, omnia quis mallet pati, quam prohibitum tangere nutrimentum.*

Serm. 62. de temp. S. Auguſtinus. *Aliis*, inquit, *diebus ieiunare remedium eſt, aut præmium: In Quadrageſima non ieiunare, peccatum eſt.*

8. Licet autem Ieiunia ſub Legem tum diuinam tum Eccleſiaſticam cadant; certum eſt tamen aliquos exceptos eſſe ab his legibus. Nam Concilium Toletanum VIII. cap. 9. dicit, *iis permittendum eſſe, vt in Quadrageſima carnibus veſcantur, quos aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut neceſſitas arctat.* Quod explicant Theologi morales, aliis verbis dicentes, impotentiam, neceſſitatem, & pietatem excuſare à legibus Ieiuniorum: vnde aiunt, per impotentiam excuſatos eſſe ſenes & pueros, vt illorum feſſa ſuſtentetur ætas, & illorum non frangatur incipiens, vt loquitur Hieronymus; nec non etiam ægrotos, debiles, prægnantes, & pauperes qui emendicant vnum panis fragmentum Propter pietatem excuſantur Concionatores, Lectores, & eos qui miniſtrant ægrotis, ſi forte non poſſint ieiunare ſimul, & pietatis officio ſatisfacere. Denique propter neceſſitatem excuſantur, qui ex officio laborioſis operibus dant operam, quæ vires corporis exhauriunt, vt fabri murarij, ferrarij, lignarij, &c. Verùm

In Epiſtola ad Euſtochium.

rùm non omittendum, in Ecclesia Orientali Ieiunij Leges semper fuisse seueriores, quàm in Occidentali. Nam sanctus Basilius testatur; pueros quoque, & viatores, & omnes omnino homines edictum suscipere Ieiunij; nec solum à carnibus, & ab iis quæ ex lacte conficiuntur, sed etiam à vino & piscibus in Quadragesima abstinere solebant. Oratione 2. de Ieiunio.

9. Sancti Patres multos fructus Ieiunij afferunt, qui sunt monita ad eius fidelem obseruationem.

S. Athanasius. *Vides-ne*, inquit, *quid faciat Ieiunium? morbos sanat, destillationes corporis exsiccat, Dæmones fugat, prauas cogitationes expellit, mentem clariorem reddit, cor mundum efficit, corpus sanctificat; denique ad thronum Dei hominem sistit. Ieiunium enim Angelorum cibus est, & qui eo vtitur, ordinis Angelici censendus est.* Lib. de Virginitate.

S. Ambrosius. *Ieiunium*, inquit, *est reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod fecit etiam fœminas fortiores ad mentorum gratia. Ieiunium nescit fœneratorem, nec sortem fœnoris nouit: non redolet vsuras mensa Ieiunantium: etiam ipsis Ieiunium conuiuiis dat gratiam: dulciores post famem epulæ fiunt, quæ assiduitate fastidio sunt, & diuturna continuatione vilescunt. Condimentum cibi Ieiunium est. Quanto auidior appetentia, tanto esca iucundior.* De Elia & Ieiunio.

S. Cyprianus. *Iram*, inquit, *& offensam eius, Ieiuniis, fletibus, planctibus, sicut monet, ipse placemus.* Sermone de Lapsis.

S. Basilius. *In morbum*, inquit, *incidimus per peccatum, sanemur per pœnitentiam: sed pœnitentia sine Ieiunio otiosa & infrugifera est; per Ieiunium satisfacito Deo.* Oratione 1. de Ieiunio.

S. Augustinus. *Ieiunium*, inquit, *remedium est, aut præmium: hoc est, aut indulgentiam peccatorum, aut præmium regni cœlestis acquirit.* Serm. 61.

CAPVT LVIII.

De Iuſtificatione, & Controuerſiis quæ eam ſpectant.

Rom.3. 24. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu.*

1. MVtatio illa, qua quis ex peccatore fit Iuſtus, vocatur *Iuſtificatio*. Quomodo autem ex illo ſtatu peccati, & poteſtate tenebrarum, aliquis transferatur in ſtatum gratiæ, & adoptionis filium Dei: hoc poteſt explicari ex analogia, & ſimilitudine ſanationis corporum. Sit itaque pauper plenus ſcabie, vlcere & putredine, qui Medicum adeat vt ſanari poſſit: quid Medicus expers? Tria faciet. 1. Præſcribet illi quaſdam præparationes ad faciliorem morbi curationem; vt ſectionem venæ, vel purgationem corporis, aut aliud eiuſmodi. 2. Dabit illi ſalutarem medicinam, qua & vires redintegrentur, & priſtina ſanitas recuperetur. 3. Adjunget præſeruatiuum, ne iterum incidat in morbum. Ita Deus agit in cura ægri ſpiritualis, nempe peccatoris. Deus enim ad id quatuor præſtat. Nam primo vocat ad ſe ægrotum ſpiritualem, qui ſine hac vocatione & motione diuinæ gratiæ præuenientis, non poſſet ad ſuum ſpiritualem Medicum accedere. 2. Præſcribit & confert illi quaſdam diſpoſitiones ad ſanandum animum, vt fidem, timorem, contritionem, & propoſitum vitæ emendationis. 3. Infundit illi gratiam, ſeu iuſtitiam inhærentem, qua & verè peccata tolluntur, & animus intrinſecè renouatur. 4. Adjungit præſeruatiuum, vt deinceps piis operibus, & mandatorum Dei obſeruationi inſiſtat;

ne si aliter faciat, amittat gratiam, & sanitatem adeptam.

2. Hæretici tamen aliter explicant, dicentes peccata non tolli, sed tegi tantum, & non imputari peccatori conuerso: similitudine etiam pauperis scabiosi, verbi gratia, volentis à Medico curari. Quid ergo faciet Medicus? Hortabitur illum, inquiunt, vt manu apprehendat elegans pallium alicuius diuitis, & illud corpori suo circumponat, vt tegat scabiem, ac deinde magna securitate in conspectum sui Principis veniat, quippe qui fœditatem corporis tam eleganti pallio obductam aduertere non possit. Dicunt enim Christum verum medicum, verè non tollere scabiem peccati, sed offerre peccatori suam iustitiam & satisfactionem tanquam chlamydem pretiosam, hortando eum vt fide illam apprehendat: eâque sua flagitia quasi velo quodam tegat, ac deinde confidenter in conspectu Dei se sistat, à quo sine dubio, vt putant, innocens & mundus declarabitur, etiam si re vera non sit. Annon vides pulchram illusionem, & irrationabilem fictionem? Quasi Deus possit decipi, & falsum pro vero reputare. Ergo ex hac Hæreticorum sententia, tria sequuntur. 1. In iustificatione peccatoris, peccata non tolli, sed tantum tegi. 2. Nec infundi illi gratiam inhærentem qua interiùs renouetur, sed solùm illi imputari Christi iustitiam, qua non in se sed extrà se iustus appareat, etiam si interiùs maneat peccator. 3. Vt autem hæc iustitia illi imputetur, opus esse sola fide, quæ illam Christi iustitiam quasi chlamydem apprehendat: quæ sunt absurda, vt statim probabo.

3. Quicquid ergo somnient Hæretici, in iustificatione hominis peccatoris, verè tolluntur & delentur peccata, & non tantum teguntur, vt patet ex manifestis Scripturæ sacræ testimoniis. *Dele iniquitatem meam. Effundam super vos aquam mundam, &* Ps. 50. Ezech. 36.

Ioan. 1. 19. Act. 3. 9. Heb. 9. Mic. 7. 19. *mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Pœnitemini & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra. Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Proiciet in profundum maris omnia peccata noſtra.* Ex quibus ita concludendum eſt : Id quod tollitur, deletur, exhauritur, & longiſſimè proiicitur ab homine, certe non amplius manet in homine; atqui in iuſtificatione peccatum tollitur, deletur, exhauritur, & projicitur ab homine : ergo non manet in homine. Confirmatur ratione ſumpta ex metaphoris Scripturæ ſacræ, quæ peccata comparat. Primò maculis, ſordibus, inquinamentis, quibus peccator maculatur, inquinatur & ſordeſcit. Secundò, vinculis, funibus, & compedibus quibus conſtringitur. Tertiò vulneribus, liuoribus, & plagis quibus vulneratur. Iam verò conſtat in iuſtificatione peccatoris maculas ablui, vincula diſrumpi, & vulnera ſanari, iuxta hæc ſcripturæ teſtimonia. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor : lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Abluti eſtis, ſanctificati eſtis. Sanguis Chriſti emundat nos ab omni peccato. Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis.*

Iosue 22. 17. Ier. 2. 22. Pſ. 115. 7. Prou. 5. 22. Iſai. 30. 26. Mich. 1. 9. Pſ. 50. 9. Ezech. 36. 25.

1. Cor. 6. 11. 1. Ioan. 1. 7. Pſ. 11. 7. Epheſ. 4. 24.

4. Cum autem peccata tollantur, & deleantur per gratiam, quæ à Deo infunditur in anima iuſtificandi ; fatendum eſt hanc gratiam iuſtificantem eſſe aliquid poſitiuum & reale, ipſique animæ inhærens, quo homo interiùs renouetur, & ſanctus ac iuſtus efficiatur : Et facilè colligitur ex Scripturis, in quibus dicitur donari, diffundi in cordibus, amitti, ſuſcitari, recipi, creari, eſſe in nobis, manere, & inhabitare in nobis : Iſta enim vocabula omnia, præcipuè coniunctim, & collectiuè ſumpta, proculdubio aliquid internum, reale, ac poſitiuum demonſtrant. *Renouamini ſpiritu mentis veſtræ. Neſci-*

tis quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? nempe per sanctitatem, iustitiam & charitatem, iuxta illud Rom. 3. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum-sanctum, qui datus est nobis. Dedit pignus spiritus in nobis. De spiritu suo dedit nobis.* Vnde etiam Christus, antequam daret Apostolis Spiritum-sanctum, insufflauit in eos; vt ostenderet se aliquid reale ipsis infundere *Non abijcio gratiam Dei. Euacuati estis, & à gratia excidistis Spiritum nolite extinguere. Resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum in noua in visceribus meis*, &c. 1. Cor. 3. 15. 2. Cor. 1. 1. Ioan. 4. Ioan. 20. Gal. 2. cap. 1. 1. ad Thes. 5. 2. ad Tim. 1. Ps. 50.

5. Confirmatur hæc veritas realis & inhærentis gratiæ iustificantis, ex variis nominibus quibus vocatur in Scripturis, pro ratione diuersorum eius effectuum. Nam 1. vocatur *gratia*, quia nos gratos & acceptos facit. 2. *Iustitia*, quia per eam reddimus vnicuique quod suum est; Deo quidem verum cultum & obedientiam; proximo, amorem & obsequium; & nobis, exclusionem vitiorum, & virtutum incrementa. 3. *Charitas*, qua Deum propter se, & proximum propter Deum diligimus. 4. *Imago, & similitudo Dei*; quia per eam efficimur vnus spiritus cum Deo per diuinam vnionem. 5. *Pignus hæreditatis*, ob spem certam futuræ gloriæ. 6. *Semen Dei*, quia est semen omnium bonorum operum. Hæc enim omnia non sunt aliquid merè externum, aut sola relatio, sed participatio summi boni: & proinde excellens aliquod bonum, quo euadimus diuinæ consortes naturæ. Nec tamen hoc impedit, quominus etiam simul agnoscamus Christi iustitiam, & meritum Passionis eius, qua meruit nobis tale ac tantum bonum; ac proindè omnem gloriam nostræ iustificationis, in ipsum refundere debemus. Ephes. 1. 16. Rom. 6. 18. Rom. 6. 1. Cor. 15. 49. Rom 8. 29. 2. Cor. 1. 12. 1. Ioan. 3. 9. Ioan. 4. 14.

Caput LIX.

De Fide.

Heb.11. 1. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Vocabulum autem *fidei* pluribus modis sumitur in Scripturis. 1. Pro veritate & constantia in dictis, vel promissis; quo sensu dicitur amicus & testis fidelis; ei-
Rom.3. que opponitur fictus, mendax, perfidus. *Numquid eorum incredulitas fidem Dei euacuauit?* 2. Pro existimatione, vel bona fama & authoritate; vt cum dicitur aliquis fidem omnem amisisse, vel esse iam nullius fidei, quia nemo ei fidere vellet, aut negotium
Eccles. committere, vel arcanum. *Qui denudat arcana amici,*
27.171. *fidem perdit, & non inueniet amicum ad animum suum*, è contra dicitur testis fide dignus. 3. Pro conscientia, sicut vulgò dicitur possessor bonæ fidei.
Rom. *Quod non est ex fide, peccatum est.* 4. Pro assensu,
14. persuasione & credulitate, qua censemus verum esse id quod ab aliquo dicitur. 5. Pro virtute theologica infusa à Deo, qua credimus omnia quæ ipse reuelauit, & quæ Ecclesia nobis credenda proponit. Cer-
Heb 11. tissimum est autem hanc fidem esse donum Dei. *Esse substantiam rerum sperandarum, argumentum non ap-*
1. Cor. *parentium.* Et *sine ipsa fide impossibile esse placere*
13. *Deo.*

Heb.11. 2. Verum Hæretici Lutherani de hac fide tria docent. 1. Solam fidem iustificare peccatores. 2. Hanc fidem iustificantem in eo consistere, vt certò quis credat peccata omnia sibi remitti propter merita Christi. 3. Illam distingui à fide historica & miraculorum. Quibus Caluinistæ tria addunt.

1. Fidem iustificantem dari solis prædestinatis.
2. Semel habitam, amitti non posse.

Digitized by Google

3. Eam facere hominem certum de sua salute æterna.

Quæ omnia falsa esse docent Scriptura, Concilia, & Patres, vt etiam ratio naturalis.

3. Nam primò, quod sola fides non iustificet, certum est, cum Scriptura vim iustificandi non soli fidei, sed etiam aliis virtutibus, verbi gratia, timori Domini, spei, pœnitentiæ & charitati tribuat. *Qui sine timore est, non poterit iustificari. Qui sperat in Domino, sanabitur. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum in remissionem peccatorum. Qui non diligit manet in morte.* Vnde Clemens Alexandrinus lib. 2. stromatum, *fides*, inquit, *est prima ad salutem inclinatio, postquam timor & spes & pœnitentia*, &c. *A timore tuo concepimus & peperimus spiritum salutis. Timor Domini, fons vitæ.* Hinc Augustinus tract. 9. in Epistolam Ioannis: *Stimulat* inquit *timor, sed noli timere: intrat Charitas quæ sanat quod vulnerat timor. Timor Dei sic vulnerat, quomodo medici ferramentum putredinem tollit: opus est ergo vt intret timor primò per quem veniat Charitas: timor medicamentum, charitas sanitas.* Certum est enim fidem non iustificare formaliter, sed iustitiam, cum fides non sit forma iustificationis, ergo simul cum timore, spe, & pœnitentia fides iustificat; vel si velis, fides quæ per charitatem operatur, seu informata charitate iustificat impium.

Eccl. 1. 28. Prou. 28. 25. Act. 2. 28. 1. Ioan. 3. 14. Isai. 26. Prou. 14.

4. Secundò Scriptura quoque docet, fidem veram posse reipsa à dilectione, & aliis virtutibus separari, iuxta Ioan. cap. 12. *Multi ex principibus crediderunt in eum, sed non confitebantur: dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei. Si habuero omnem fidem, itaut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? numquid poterit fides saluare illum? fides sine operibus*

1. Cor. 13. Iacob. 2.

mortua eſt. Quod verò fides iuſtificans in eo non conſiſtat, vt quis certò credat peccata omnia ſibi eſſe remiſſa, malè affirmant Hæretici: quia ipſi docent nihil fide credendum eſſe niſi quod eſt in ſcriptura: atqui in ea nihil eſt quod affirmet Caluino aut Luthero dimiſſa eſſe eorum peccata; imo docet *nos de propitiato peccato non debere eſſe ſine metu*, addit, quod *neſcit homo odio an amore dignus ſit*, docet nos quotidie dicere, *dimitte nobis peccata noſtra*, &c.

Ioan. 6. 7. Act. 5. 12. Act. 6. 13. 1. Tim. 1. 19. cap. 4. 2.

5. Tandem fidem ſolis Prædeſtinatis non dari, etiam teſtatur eadem ſcriptura, quæ aſſerit Iudam Iſcariotem, Simonem Magum, & Nicolaum habuiſſe fidem, qui tamen reprobi fuerunt: ſimiliter eadem ſcriptura docet, fidem amitti poſſe. *Quidam circa fidem naufragauerunt. In nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris.*

Caput LX.

De merito bonorum Operum.

Caluinus l. 2. Inſtit. cap. 1. & lib. 3. cap. 15.

1. Hæretici putant peccatum originale manere in hominibus iuſtis poſt baptiſmum, eiuſque contagione infici & contaminari omnia ipſorum opera, itaut potius mortem mereantur, quam vitam æternam, & ideò credunt per ſolam fidem ſe fieri participes iuſtitiæ Chriſti. Ita eorum Confeſſio fidei art. 20. & addunt, bona quod opera, quæ faciunt per Spiritus ſancti motionem, nihil eis prodeſſe ad iuſtificationem, & ad meritum. Ibid. art. 22. Iam autem probauimus ſuperius ex ſcriptura, peccata omnia verè deleri, nec manere poſt iuſtificationem peccatoris, nec vllum per ſolam fidem iuſtificari, & ideò reſtat vt pauca dicamus de meriti bonorum operum.

2. Quod autem ad nomen meriti pertinet, facile est inuenire in scriptura, siue quoad nomen, siue quod significationem. *Omnis misericordia faciet locum vnicuique secundum meritum operum suorum.* Ecc.16. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Heb.13. *Ego ero merces tua magna nimis.* Gen.15. *Seminanti iustitiam merces fidelis.* Prou.11. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet.* 1.Cor.3. *Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Mat. 5. Vnde concludendum est, quod si vita æterna sit merces, certè bona opera, quibus illa redditur, sunt merita. Huc spectant quoque verba eiusdem capitis; *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*; & illa Matth. 20. *Voca operarios & redde illis mercedem.*

3. Eadem veritas meriti bonorum operum confirmatur iis locis in quibus habetur, præmium cœleste dari hominibus secundum mensuram & proportionem bonorum operum, & laborum. *Reddet vnicuique secundum opera sua.* Ps. 65. *Filius hominis venturus est in gloria patris sui cum Angelis suis, & tunc reddet vnicuique secundum opera sua.* Mat.16. *Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.* 1.Cor.3. *Quæ seminauerit homo & metet.* Gal. 6. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.* Apocal. vlt.cap.

4. Adde quod apertè Scriptura testatur, vitam æternam reddi ex iustitia, operibus bonis tanquam meritoriis eius. *Venite benedicti patris mei, possidete regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: esuriui enim & dedistis mihi manducare,* &c. Mat 25. *Hi sunt qui venerunt ex magna tribulatione,* &c. Apoc.7. *Ideo sunt ante thronum Dei:* & addit præmium reddi bonis operibus ex iustitia. *Bonum certamen certaui,* &c. 2. Tim. 4. *reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Heb. 6. *Non est iniustus Deus*

Mat. 19. *vt obliuiſcatur operis veſtri. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata, & qui reliquerit domum, aut patrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Iac. 1. *Cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ.* Luc. 10. *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Sap. 3. *Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos ſe.* Ergo, rectè concludit Auguſtinus: *ſi non ſunt*, inquit, *merita, quomodo iudicabit Deus hunc mundum?* Epiſt. 46. ad Valentinum.

5. Huic veritati concordant, & adſcribunt ſancti Patres. Sanctus Ignatius, *ſinite*, inquit, *me vt beſtiarum eſca ſim, per quam poſſim Deum promereri.* Epiſt. ad Rom. Sanctus Iuſtinus. *Homines*, inquit, *qui dignos ſe Dei voluntate, & conſilio operibus præſtiterunt, cum eo eſſe victuros meritis ſuis ſumpſimus.* In Apol. 2. Sanctus Irenæus. *Prætioſam*, inquit, *arbitremur coronam, quæ per agonem nobis acquiritur.* Lib. 4. aduerſus hæreſ. cap. 72. Origenes, *non*, inquit, *pro natura, ſed pro meritis reddit Deus.* L. 2. in Epiſt. ad Rom. cap. 2. Sanctus Basilius, *homo*, inquit, *ex operibus iuſtitiæ ſaluatur.* Lib. de Spiritu ſancto cap. 24. Sanctus Ioannes Chriſoſtomus, *ſi iuſtus*, inquit, *eſt Deus, & his, & illis reddet pro meritis.* Sermone de Eleem. Sanctus Cyprianus: *ſi expeditos*, inquit, *ſi celeres, ſi in hoc operis agone currentes, dies nos vel reditionis, vel perſecutionis inuenerit, nuſquam Dominus meritis noſtris ad præmium deerit.* L. 1. de officiis cap. 15. Sanctus Ambroſius, *non-ne euidens eſt meritorum aut præmia, aut ſupplicia poſt mortem manere?* Lib. cõtra Iouinian. Sanctus Hieronymus. *Iam*, inquit, *noſtri laboris eſt pro diuerſitate virtutum, diuerſa nobis præmia præparare.* Epiſt. 105. ad Sixtum. Sanctus Auguſtinus, *nulla-ne*, inquit, *ſunt merita iuſtorum? ſunt planè, quia iuſti ſunt, ſed vt iuſti fierent, merita non fuerunt.*

Digitized by Google

CAPVT LXI.

De ſpe & Fiducia.

1. *SPes eſt galea ſalutis. Sperare* eſt quaſi *ſpirare*, & ἐλπὶς παρὰ μέλπειν, quod eſt *oblectare & voluptate perfundere*; ſpes enim oblectat & animum releuat. Sumitur autem nomen Spei quatuor modis in Scriptura. 1. Pro obiecto, ſeu bono quod ſperatur. *Spes quæ videtur non eſt ſpes. Propter ſpem, quæ repoſita eſt in cœlo. Expectantes beatam ſpem. Tu es ſpes mea.* 2. Pro actione ipſa operandi bonum cognitum. *Intende in adiutorium ſpei meæ. Non contriſtemini, ſicut cæteri qui ſpem non habent.* 3. Pro fiducia. *Tribulatio patientiam operatur, patientia verò probationem, probatio verò ſpem.* 4. Pro virtute & qualitate habituali, qua diſponimur ad ſperandum. *Spes mea ab vberibus matris meæ.* Paruuli enim non eliciunt actum ſpei. *Paratum cor meum Deus ſperare in Dominò*, &c. *Nunc autem manent fides, ſpes & charitas.* Ephes. cap. 6. Rom. 8. Coloſſ. 1. Tit. 2. Pſ. 90. Pſ. 91. 1. Theſ. 4. Rom. 5. Pſal. 21. Pſ. 111. 1. Cor. 13.

2. Certum eſt fidem, ſpem & charitatem eſſe virtutes theologicas duplici titulo. Primò, quia Deum vt authorem gratiæ & gloriæ habent pro obiecto principali & immediato. Secundò, quia non aliter poſſunt haberi, quàm per infuſionem à Deo, vnde ſunt purè ſupernaturales: *Fides enim eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, & argumentum non apparentium, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo.* Spes autem & charitas pendent ex fide, quia nihil amatur, aut ſperatur, niſi prius ſit præcognitum. Et Scriptura hanc confirmat veritatem. *Nemo poteſt ad me venire, niſi Pater traxerit eum. Fides non ex nobis, ſed eſt donum Dei. Regenerauit nos in ſpem viuam. Tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me. Charitas Dei diffuſa eſt* Heb. 11. Ioan. 6. Eph. 2. 1. Pet. 1. Pſal. 4. Rom. 5.

Digitized by Google

in cordibus noſtris per Spiritum-ſanctum, qui datus eſt nobis.

3. Itaque Spes eſt virtus theologica, infuſa à Deo, in voluntate reſidens, qua tendit immediatè in Deum prout eſt beatitudo noſtra, per diuinam gratiam acquiſitu poſſibilis: vnde ſpes eſt ſolum in viatoribus, non verò in beatis: *Spes enim quæ videtur,* vt ait D. Paulus, *non eſt ſpes*; & quis quid *ſperat quod videt?* In cœlo enim *euacuabitur quod ex parte eſt, quando venerit quod perfectum eſt.*

Rom. 8. 24.

1. Cor. 13.

4. Spes, vt virtus Theologica, ſicut nec fides, nec charitas, non eſt in Hæreticis, licet ſe iactent de certitudine ſuæ ſalutis, & de iuſtitia imputatiua Chriſti, qua tanquam pretioſa chlamyde ſuas turpitudines operiunt; quod ſuperius refutaui, tanquam falſum, hæreticum & impertinens, ex Scriptura ſacra, quæ aſſerit, neminem ſcire in hac vita, *odio an amore ſit dignus:* vnde & Apoſtolus iuſtè timebat, *ne cum aliis prædicauerit, ipſe reprobus fieret.*

5. Quoad fiduciam, quæ ex ſpe naſcitur, Pelagiani eam in meritis hominum ponunt, vt & VViclephus; Caluinus cum hæreticis noſtri temporis in ſola fide: Eccleſia vero Catholica mediam viam ingreditur, aſſerens, quod fiducia Sanctorum, quam in Deo conſtituunt, non ex ſola fide, ſed etiam ex bonis meritis, ſeu operibus ſanctis per Chriſti gratiam factis naſcitur; atque ideò ſummo ſtudio bona opera exercenda ſunt, vt apud Deum fiduciam habeamus. Iuxta illud Tobiæ 4. *Fiducia magna erit coram ſummo Deo, eleemoſyna omnibus facientibus eam. Qui bene miniſtrauerit, gradum bonum ſibi acquiret, & multam fiduciam. Vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis: nolite itaque amittere confidentiam veſtram.*

1. Tim. 3.

Hebr. 10.

CAPVT LXII.

De Charitate.

1. MAjor autem horum est Charitas. Quod quidem vocabulum sumit ab Hebræo *Iachar*, *pretiosum esse*, vel *charum esse*; quia eâ nihil pretiosius. Charitas autem quatuor modis sumitur in Scripturis. 1. Pro gratia, & pulchritudine. *Pereuties eum labiis Charitatis meæ Media charitate constrauit propter filias Ierusalem.* 2. Pro quocumque amore ciuili, & politico. *Melius est vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum saginatum cum odio.* 3 Pro amore Dei erga nos. *In charitate attraxi te, miserans tui.* 4. Et sæpiùs, pro amore supernaturali, & infuso, quo diligimus Deum ex toto corde, &c. propter se ipsum, vt summum bonum per fidem cognitum, & proximum propter Deum. *Vniuersa delicta operit Charitas. Refrigescet Charitas multorum. Quis nos separabit à Charitate Dei? Charitatem autem non habeam, nihil sum. Finis præcepti Charitas.* 1. Cor. 13. Iudit. 9. Cant. 3. Prou. 15. Ier. 31. Prou. 10. Matth. 24. Rom. 5. 1. Cor. 13. 1. Tim. 1.

2. Porro circa hanc diuinam Charitatem vnica est controuersia cum Nouatoribus, qui sustinent fidem & Charitatem semel acceptam nunquam deperdi, & hominem fidelem, & iustum non amplius posse damnari. E contrario verò Catholica fides docet Charitatem, ac etiam fidem posse, & reuera de facto amitti à quibusdam Christianis, qui deficiunt à fide & charitate per peccata iis virtutibus opposita & contraria, iuxta illud Ezech. 18. *Si auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem; omnes iustitiæ eius non recordabuntur amplius. Si quis in me non manserit, mittetur foras, & arescet. Qui se existimat stare, videat ne cadat. Qui perseuerauerit in fi-* Ioan. 15. 1. Cor. 10. Mat. 10.

Heb. 6. *nem, hic ſaluus erit. Impoſſibile eſt eos qui guſtauerunt donum cœleſte, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam.* Et confirmatur exemplis, Luciferi, Dauidis, Salomonis, D. Petri, & aliorum qui à
1. Cor. 9. charitate defecerunt. Vnde D. Paulus *caſtigabat ſuum corpus ne fieret reprobus.* Ergo timere debes cum Paulo, & corpus tuum in captiuitatem redigere, ne & tu tenteris, & ſuccumbas tentationi, & fias reprobus.

Caput LXIII.

Epilogus totius Opuſculi.

1. VT breui Epilogo, quæ dicta ſunt in libris ſuperioribus conſtringamus, & rationes ſimul collectæ faciliùs oculis, & menti oblatæ concipiantur, ad confirmationem fidei & Religionis Chriſtianæ; oſtendimus *in primo libro,* verum Deum Chriſtianorum agnitum, & adoratum vbique terrarum fuiſſe, ſub iiſdem titulis, & myſticis nominibus quatuor litterarum, exprimentibus eius perfectiones primi Principii, & vltimi finis omnium, primæ & æternæ veritatis, ſummi boni, omnipotentis, ſapientiſſimi, independentis, æterni, immenſi, & iuſti vindicis criminum, & bonorum operum remuneratoris.

2. Probauimus exiſtentiam & prouidentiam huius adorandi Numinis ex mundi creatione & gubernatione, ex neceſſitate huius primi, æterni, & infiniti Entis, ex communi Naturæ voce, ex conſenſu omnium ſapientum, & iuſtorum: ex abſurdis, quæ ſequerentur non-exiſtentiam eius, & multis aliis rationibus phyſicis, & moralibus, quæ poſſunt legi, cap 4. 5. 6. 7. & 8. Vt autem quaſdam ex eis breui-

ter attingam, *Quid potest esse tam apertum*, inquit Cicer. lib. 2. de natura Deorum, *tamque perspicuum, cùm cælum suspicimus, cælestiaque contemplati sumus, quàm esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, quo hæc regantur?* Ordo enim quem etiam ipsis oculis videmus, effectus est rationis. Certè omnes creaturæ, vt Echo diuini Verbi, seu Filii Dei, interrogatæ statim respondent: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos* Psal. 99. v. 3. Quid aliud manifestiùs indicant Cælum, Sol, Luna, Stellæ, Astra, Elementa, mixta, & alia corpora cælestia, & sublunaria, quàm suum formatorem, compositorem, & authorem? nec enim sunt improducta; quia sunt composita: sunt autem composita; quia sunt corpora.

3. Ex ipsa *Possibilitate*, nomine, & attributis, seu perfectionibus Numinis, eius existentia, & ipsæmet perfectiones patent 1. Etenim nulla est contradictio aut repugnantia, quod sit Deus Opt. Max. seu summum Ens æternum, & fons totius entis creati; ergo illud ens est possibile. Ergo etiam est actu, quia debet esse independens & æternum; atqui in æternis, ex Philosopho, idem est esse, ac posse.

2. Item ex *Nomine* eius sic argumentamur; Non sunt nunc entia numero infinita; aliàs nihil posset amplius produci: ergo inter ea, datur aliquod primum; primum autem ex Philosopho, in vnoquoque genere, est causa cæterorum.

3. Ex *Existentia*. Necesse est inter omnia Entia dari vnum necessariò & essentialiter existens; quia, si omnia sunt producta, ab aliquo alio producta sunt, illud autem ens Deus est.

4. Ex *Essentia*. Datur necessariò infinita, & perfectissima Essentia; quia omne finitum, aut minus perfectum, est ab alio, quod nempe eius perfectiones terminarit.

5. Ex *Simplicitate*. Necesse est inter Entia dari

vnum ſimpliciſſimum; quia omne compoſitum eſt ab aliquo componente, eſtque poſterius ſuis partibus.

6. Ex *Bonitate*. Admittendum eſt aliquod ſummum & infinitum bonum; quia voluntas humana, quouis bono finito adepto, non quieſcit.

Rurſus, illud bonum infinitum poteſt concipi, ergo eſt; quia aliàs eſſet infinitum, & non infinitum ſimul Infinitum quidem ex hypotheſi; non tamen infinitum, quia careret exiſtentia, & eſſet minus quouis bono realiter exiſtente. Deinde, realiter appetitur à iuſtis & ſanctis, imo ab omnibus, licet confusè; ergo poteſt concipi, & eſt realiter exiſtens.

7. Ex *Immenſitate*. Mundus corporalis eſt finitus, & in aliquo reali quaſi ſpatio ſe maiori, tanquam in continente: hoc autem quaſi ſpatium reale quidem eſt; ſed omnino immateriale, eſtque ipſa Dei Immenſitas, quæ eſt quaſi proprius Mundi locus.

8. Ex *Immutabilitate*. Omne mutabile, ab aliquo immutabili dependet originaliter & finaliter: ergo datur Ens penitus immutabile; nec enim datur proceſſus in infinitum, præſertim inter entia nunc exiſtentia.

9. Ex *Æternitate*. Neceſſe eſt admittere Ens æternum eſſentialiter, à quo omnia quæ producta ſunt in tempore, ſumpſerunt originem, & à potentia ad actum evocata ſunt.

Item, æternitas eſt menſura quędam omnis creatæ durationis, quæ ab ea fluxit, & ad eam fluit.

10. Ex *Vnitate*. Multa non poſſunt eſſe, niſi ab vno, ſeu potius ab vnitate, à qua eſſentialiter dependent, tanquam à principio; imò nullam perfectionem includunt, niſi in quantum vnitatem participant. Tandem, vnum prius eſt, quam multa: ergo datur aliquod Ens ſummè ſimplex & vnum, cui vnitas ſeu etiam ſolitas ſit eſſentialis, & quod omnia,

quæ

quæ multa sunt, conciliat ac vnit, quæ ab eo prodierunt.

11. Ex *Veritate*. Veritas est æterna, & necessaria; ergo & Deus est. Probatur antecedens Ab æterno fuit verum, futura esse futura, possibilia esse possibilia, &c. ergo veritas est æterna.

Adde, quod obiecta scientiarum sunt æternæ veritatis; & omne verum creatum non subsistere, nisi per dependentiam à veritate æterna.

12. Ex *Omnipotentia*. Mundus ex nihilo creatus est, vt supra probatum fuit; ergo ab Agente omnipotente.

Item, datur ens pure passiuum, quod est materia prima; ergo datur illud, quod est purè actiuum.

13. Ex *Misericordia* & benignitate diuina, quæ patet infinitis propemodum exemplis erga pios & iustos Numinis cultores; ad quam refertur naturalis hominum inclinatio Deum precandi & inuocandi in necessitatibus.

14. Ex *Iustitia diuina*, quæ cernitur in apertis & manifestis exemplis diuinæ vltionis, erga sacrilegos Numinis contemptores: ex ipso conscientiæ humanæ stimulo, ex continuis impiorum terroribus, ex pœna vitiis debita, & præmio virtuti debito.

15. Ex *Prouidentia* diuina, quæ apparet in ordine & constitutione Vniuersi, & ex eius dispositione partium ad finem.

4. Probauimus existentiam Substantiarum separatarum à materia, ex mirandis earum operibus, ex Energumenis, & magicis artibus, ex diuinatione, ex ordine vniuersi, &c. Animæ verò immortalitatem concluſimus ex eius immortalibus operationibus, ex illimitatione eius cognitionis, & appetitionis, ex libero hominis arbitrio, ex eius animæ dominio in corpus, ex appetitione laudis post mortem, ex ipsius mortis appetitione, & voluntaria ac-

ceptatione, ex variis defunctorum apparitionibus, ex occulto conſcientiæ flagello, ex dominio hominis in omnes creaturas, ex diuina iuſtitia,, ex abſurdis, quæ ſequerentur animæ mortalitatem, ex eo quod animæ immortalitas eſt fundamentum virtutis, pietatis & Religionis, &c.

5. *In 2. Libro* poſt diſſertationem de neceſſitate, dignitate, & antiquitate Religionis, & illuſione falſarum Religionum, oſtendimus ortum Chriſtianæ ſeu veræ Religionis in cœlo, diffuſionem eius in lege Naturæ apud omnes gentes & populos, ſiue Orientis, ſiue Occidentis, & prænotiones Chriſtianæ fidei, eiuſque præcipuorum myſteriorum adnotauimus, in totius orbis terræ partibus, & populis, & nationibus, apud quos vidimus vmbras, & præludia, ſeu potius traditiones SS. Patriarcharum, qui à diluuio omnibus Monarchiis dederunt initium, ac ſimul verum Religionis Dei cultum in iis fundarunt.

6. Certè in Ægypto, in Perſide, in Arabia, in Chaldæa, in Æthiopia, in India, in regno Sinenſi in Gallia, Britannia, Germania, in Græcia, in Italia, & vbique terrarum vidimus prænotiones, veſtigia, & ſymbola adorandæ Trinitatis, & figuras, ac imagines futuræ Filij Dei natiuitatis ex Virgine, eiuſque Paſſionis in cruce, &c.

Audiuimus ſuſpiria Philoſophorum, & gemitus infirmæ Naturæ erga ſuum futurum Medicum, & alia id genus, quæ attulimus in hoc 2. libro, quæ taceo hic breuitatis cauſa.

7. *In 3. libro* oſtendimus *Abrahami* electionem ſingularem à Deo, vt eſſet parens ſuæ propriæ familiæ, & pater fidei; diuinam *Moyſis* miſſionem, vt fieret Doctor Iudæorum & gentium, ac legiſlator diuinæ legis ſcriptæ, & verus interpres omnium traditionum veterum, quas Iudæi *Cabalam* vocan

Digitized by Goog

Vidimus tanquam in ænigmate, & ſpeculo veterum ſacrificiourm, & ceremoniarum legalium omnia noſtræ Religionis Chriſtianæ myſteria, & Sacramenta præfigurata, eorum prophetias & prædictiones, non tantum confusè, ſed diſtinctè, & ſingulariter exprimentes circumſtantias temporis, nominum, locorum, & alias, verbi gratiâ, filij Dei *Ieſu* vocandi Incarnationem, natiuitatem ex *Virgine Maria* in Bethleem Iudæ, adorationem à Magis, fugam in Ægyptum, baptiſmum, prædicationem, miracula, ſacrificium cruentum & incruentum, traditionem à Iuda, Paſſionem, mortem in Cruce, Reſurrectionem, Aſcenſionem, gloriam, miſſionem Spiritus-ſancti, & conuerſionem mundi per eius diſcipulos, omniaque Sacramenta, & alia opera admiranda, quæ Dei Filius factus homo effecit, ac tandem ea omnia etiam deprehendimus ſecreta ex ipſa *Cabalæ* ſeu traditione Iudæorum.

8. Tandem *in quarto Libro* probauimus Chriſtianæ Religionis veritatem ex vitæ perfectione, quam docet; ex majeſtate eiuſdem circa cultum diuinum, ex reductione creaturarum ad ſuum principium, Deum ſcilicet, per eam; ex altitudine & profunditate ſcientiæ, ſapientiæ, fidei, & myſteriorum eius, ex eo quod omnem peccandi licentiam excludat. Ex ſanctitate, & miraculis cultorum eius, ex omnibus prophetiis & traditionibus in ea completis, ex reali Gentium vocatione & conuerſione, ex Iudæorum Chriſti deicidarum, & infidelium reprobatione & punitione, ex propagatione eiuſdem fidei per Catholicos, ex eius vnitate, vniuerſalitate, atque ſanctitate; ex ſucceſſione Cathedræ ab Apoſtolis; ex conſenſu vnanimi Doctorum veterum, ex controuerſiarum deciſione in Conciliis; ex eius teſtibus fidelibus penè infinitis, ſcilicet Martyribus; ex eo quod ab ipſo Deo ſit inſtituta, edocta, & firmata miraculis,

Ex eo quod ſuis cultoribus veram demonſtret beatitudinem, & conuenientia media ad eam obtinendam præbeat; ex aliarum Sectarum impuritate, confuſione, nequitia, commentis, abſurdis, delitiis, nouitate, inconſtantia, ſucceſſionis, & diuinæ approbationis defectu, & authorum impietate, ac ſectatorum; & ex abſurdis quæ ſequerentur, ſi falſa eſſet Chriſtiana & catholica Religio; Quomodo enim fieri poſſet, vt tot, tantaque bona, quæ in ea continentur, & percipiuntur, poſſent prouenire ab impiiſſima & nequiſſima cauſa, ſcilicet ex falſa perſuaſione, & deliriis, quæ hæc Religio docet, ſupponendo quod hæc ſint falſa? Nam quæ eſſet maior impietas, quam Deum mortalem, & verè mortuum aſſerere; crucifixum hominem adorare, eiuſque patibulum, & modicam panis buccellam in Euchariſtia, & alia eiuſmodi; quæ niſi vera eſſent, piiſſimi & ſanctiſſimi, ac doctiſſimi Chriſtiani, reputari deberent vt ſacrilegi, impiiſſimi, & ſtultiſſimi? Certè tam firma ſunt Religionis Chriſtianæ fundamenta, & motiua, vt in iudicio extremo Chriſtiani omnes poſſint dicere Deo Iudici omnium, cum Richardo Victorino, lib. 1. de Trinit. parte 1. cap. 2. *Si error eſt noſtra Religio, tu nos decepiſti; ſiquidem hæc à te dicta ſunt, & tantis confirmata rationibus, & miraculis, quæ non niſi per te fieri poterant.*

9. Poſtea breuiter probauimus contra Atheos, infideles, & hæreticos præcipua fidei Chriſtianæ myſteria, & Sacramenta, per traditionem veterem, per ſacram Scripturam vtriuſque Teſtamenti, & per Conciliorum, atque Patrum teſtimonia, addita ratione naturali conuenientiæ, congruitatis & poſſibilitatis, ſeu non repugnantiæ, circa ſingulare myſterium, de quo agimus.

10. Attendant iam Scioli, apud ſeipſos ſapientes; an fidei Chriſtianæ aſſenſum præbere, eamque am-

plecti, & profiteri, sit leuioris, & imbecillioris ingenij nota? an verò fortis & prudentis animi? qui scilicet non leuiter credit omni verbo sine examine, sed præponderatis tam solidis rationibus, cogitur fateri Dei testimonia credibilia facta esse nimis, & Christianam Religionem verissimam esse, cum tanta temporum, rerumque connexione, manifestis signis, certo successu, saluberrima doctrina, incomparabili vitæ sanctimonia, virorum præclarissimorum approbationibus & exemplis, miraculorumque frequentia, ac celebritate, postremoque innumerabilium martyrum sanguine ab exordio in succedentia vsque tempora fundata, extructa, roborataque sit. *Sauanarola in Epilogo triumphi Crucis.*

11. Desistant impij, atque temerarij, qui non aliter, quàm contra Fidem blasphemando, sapientes videri se posse putant: desinant contra eam garrire, & in propriam perniciem prophanis sacra latratibus temerare; sed potius redeant ad sanum sensum vanitate, & voluptate ebrij: redeant ad cor præuaricatores, & conuertantur ad Dominum Creatorem suum, & Iudicem omnium; si fortè ipse conuertatur, & ignoscat. Tempus præsens breue est, mors imminet certa, cuius incerta hora est, imminet vltio diuina diuinorum irrisoribus, sequetur in æternum mansura æternitas siue iustorum fidelium beatitudinis, siue impiorum, & infidelium acerbissimæ pœnæ; quia *iustus est Dominus, & iustitias dilexit: æquitatem vidit vultus eius.*

12. Tu vero Christiane lector, potes fideli mente, & sincera ac humili deuotione eandem orationem, ad diuinam sapientiam & prouidentiam emittere, quam olim Apuleius effudit ad Isidem, quid enim ס׳ ס׳ Isis nisi noster Iesus, & filius Dei vera sapientia, vt ostendimus lib. 2. cap. 3. dic ergo ex toto corde: *Prouolutus ante conspectum diuinæ majestatis tuæ, & facie*

mea diu detrusis vestigiis, eius lachrimis abortis, singultu crebro sermonem interficiens, & verba deuorans aio. Tu quidem sancta & humani generis sospitatrix perpetua, semper fouendis mortalibus munifica, dulcem matris affectionem miserorum casibus tribuis: nec dies nec quies vlla ac ne momentum quidem tenue tuis transcurrit beneficiis otiosum quo mari, terraque protegas homines, & depulsis vitæ procellis salutarem porrigas dexteram, quâ fatorum etiam inextricabiliter contorta tractas licia, & fortunæ tempestates mitigas, & stellarum varios meatus cohibes: te superi colunt, obseruant inferi, tu rotas orbem, luminas solem, regis mundum, calcas tartarum: tibi respondent sydera, redeunt tempora, gaudent numina, seruiant elementa: tuo nutu spirant flamina, nutriuntur nubila, germinant semina, crescunt germina: tuam majestatem perhorrescunt aues cælo meantes, feræ montibus errantes, solo latentes bellua, ponto natantes. At ego referendis laudibus tuis exilis ingenio, & adhibendis sacrificiis tenuis patrimonio, nec mihi vocis libertas ad dicenda, quæ de tua majestate sentio, sufficit, nec ora mille, linguæque totidem, vel indefessi sermonis æterna series. Ergo quod solum potest Religiosus quidem, sed pauper alioquin efficere, curabo diuinos tuos vultus, numenque sanctissimum iuxta pectoris mei secreta conditum perpetuo custodiens imaginabor, & contemplabor. Apul. lib. 11. Metam.

LIBER QVINTVS,

CONTINENS COMPENDIVM

RHETORICÆ CHRISTIANÆ,

Et methodi facilis Prædicationis Euangelicæ, & Controuerſiæ ad docenda Myſteria ſiue Atheos, & Infideles, ſiue Hæreticos. Addita breui Cronologia ad majorem explicationem & confirmationem eorum quæ ſcripta ſunt in quatuor primis libris huius opuſculi.

LIBER

COMPENDIVM RHETORICÆ CHRISTIANÆ,

Methodi facilis Prędicationis Euangelicæ, & Controuerſiæ ad docenda Myſteria, ſiue Atheos, & Infideles, ſiue Hæreticos, &c.

Cui addita eſt breui Chronologia Sacra, ad majorem explicationem & confirmationem eorum quæ ſcripta ſunt in quatuor primis libris hujus Opuſculi.

LIBER QVINTVS.

PARISIIS,
Apud IACOBVM LANGLOIS, Typographum Regium è Regione fontis S. Genouefæ, & in Magna aula Palatij ad ſextam columnam, ſub ſigno Reginæ Pacis

M. DC. LXXII.
Cum Priuilegio & Approbatione.

Digitized by Google

PROLOGVS AD BENIGNVM & beneuolum Lectorem.

1. MIHI cogitanti de modis colligendi fructus ſpiritalis ex lectione hujuſce noſtri Speculi Chriſtianæ Religionis (Lector candidiſſime) venit in mentẽ quintum hunc librum addere quatuor prioribus, & in eoad facilem vſum & explicationem eorum quæ ſcripta ſunt, tibi offerre quatuor Compendia; primum Chriſtianæ Rhetoricæ; alterum Prædicationis Euangelicæ; tertium Methodi Controuerſiæ, & quartum ſacræ Chronologiæ: quibus poteris facile & cõmode alios etiam inſtruere clare & energice, eoſque diuina myſteria, ſiue quæ ad fidem & ſpeculationem ſpectant, ſiue quæ ad rectam morum compoſitionem, ad peccatorum & vitiorum extirpationem, & virtutum Euangelicarum comparationem edocere, vt non ſolum tibi, ſed etiam aliis prodeſſe poſsis.

2. In primo enim Compendio breuem reperies perorandi methodum, varios orationis ſtilos, materiam & adminicula eloquentiæ, fontes inuentionis & amplificationis; diſpoſitionem & partes orationis, verba, ſenſus, figuras & affectus, veræ eloquentiæ comites, & fructus; varia orationum genera, appendicem claram pro-

positionum, & orationis partitionem.

3. In altero Compendio poteris conspicere excellentiam ministerij prædicationis Euangelicæ, damnabilem ejus abusum, necessitatem Missionis veræ & diuinæ ad hoc ministerium requisitæ, conditiones, & qualitates Prædicatoris Euangelici, ea, quę fugere, & facere debet Prædicator Euangelicus, juxta D. Pauli consilium, ut fructum multum afferat; facilem modum componendi, disponendi, & amplificandi, prædicationis materiam, quatuor genera prædicationis Euangelicæ, & materias quas poteris desumere ex hoc Speculo seu libro, vt eas vtiliter pertractes singulis Dominicis, & festis solemnioribus totius anni, nec-non per Octauas Sanctissimi Sacramenti, & toto tempore Aduentus, & Quadragesimæ.

4. In tertio Compendio videbis & perleges breuem methodum docendi diuina Mysteria siue Atheos & Infideles, siue Iudæos & Hæreticos nostri præsertim temporis, & cum eis differendi vtiliter, nec non Confessionem nostræ fidei cum probationibus ex Scriptura Sacra notatis in margine, vt testimonia sacræ scripturæ fidem nostram & singulos ejus articulos qui sunt in controuersia, confirmantia, faciliter reperire possis in Bibliis sanctis.

5. Tandem in Tabulis Chronologicis reperies ad Confirmationem veritatis ejusdem fidei & ejusdem Ecclesiæ, quæ à Deo instituta & ordinata est, prout in quatuor libris hujus Speculi

Digitized by Google

probatum fuit, continuam ſeriem ſummorum Pontificum in triplici lege Naturali, Moſaïca, & Chriſtiana, modum regiminis ejuſdem Eccleſiæ, traditionem & ſeriem Scriptorum ſacrorum & Eccleſiaſticorum, plura miracula eandem noſtram fidem confirmantia, & conformitatem Hiſtoriarum Sacrarum & Eccleſiaſticarum cum Hiſtoria prophana Regũ & Imperatorum. Faxit Deus vt hæc omnia perlegens & meditans tibi ipſi, proximo tuo, & toti Eccleſiæ poſſis prodeſſe, & pro me peccatore maximo Deum deprecari, vt mihi ignoſcat, & vere converſum ad cæleſtem patriam dirigat.

INDEX.

CAP. I: De variis stylis. 1
CAP. II. De Materia Orationis, & adminiculis Eloquentiæ. 3
CAP. III. De Inuentione, & Locis. 4
CAP. IV. De Amplificatione. 5
CAP. V. De Dispositione, & partibus Orationis. 7
CAP. VI. De Elocutione. 11
CAP. VII. Omnes Figuræ Rhetorices. 12
CAP. VIII. De Affectibus. 13
CAP. IX. De variis Orationum generibus, præcipuè de Demonstratiuo. 14
CAP. X. Appendix Propositionum. 536
CAP. XI. De multiplici Partitione. 540
CAP. XII. De Partitione Orationis. 541
CAP. XIII. De dignitate & excellentia ministerij Prædicationis Euangelicæ. 542
CAP. XIV. Quantum sit malum abuti ministerio Prædicationis: & quot modis fit hic abusus. 546
CAP. XV. De Missione ad ministerium prædicationis Euangelicæ. 1. Eius necessitas. 2. Eius deprauatio. 3. Eius notæ. 551
CAP. XVI. De conditionibus & qualitatibus Prædicatoris Euangelici. 555
CAP. XVII. De his quæ euitare & facere debet ante & post prædicationem Prædicator Euangelicus. Iuxta Consilium D. Pauli, ut fructum multum afferat. 560
CAP. XVIII. Modus facilis componendi, disponendi, & amplificandi Materiam Prædicationis. 565
CAP. XIX. De quatuor generibus Prædicationis Euangelicæ, scilicet Pastorali, Controuersario, Missionario, & Catechistico. 568

INDEX

XX. *De Pronao paſtorali, & parrochiano.* 571

XXI. *De materia Pronai, ſeu Paſtoralis prædicationis, quæ poteſt deſumi ex hoc Speculo Chriſtianæ Religionis, & utiliter pertractari inter Miſſarum ſolemnia, ſingulis Dominicis & feſtis ſolemnibus totius anni.* 573

XXII. *Regulæ generales obſeruandæ in diuinis myſteriis edocendis ad conuerſionem Infidelium.* 586

XXIII. *Quomodo cum* Atheis *&* Politicis, *ſeu* Philoſophis *diſſerendum eſt utiliter ad eorum converſionem.* 589

XXIV. *Qualiter diſſerendum ſit cum* Idololatris. 593

XXV. *De* Iudæorum *confutatione, & ad Fidem reductione.* 595

XXVI. *De modo diſſerendi cum* Mahumetanis, *eoſque ad Fidem adducendi.* 598

XXVII. *De modo diſſereddi cum hæreticis, & eorum errores conuincendi.* 603

Bulla continens profeſſionem Fidei Catholicæ. 669

FINIS.

Extrait du Priuilege du Roy

PAr Lettres de Privilege, données à ſaint Germain en Laye, le 6. iour de Février 1672. Signées, Par le Roy en ſon Conſeil, BOVCHARD, & ſeelées du Grand Sceau de Cire jaune : Il eſt permis à IACQVES LANGLOIS, l'un de nos Imprimeurs ordinaires, d'imprimer un Livre intitulé, *Perpetuitas Fidei ab origine mundi, ſeu Speculum Chriſtianæ Religionis, in triplici lege Naturali, Moſaica, & Evangelica, in quo quæ potiſſimum faciunt ad ejuſdem Fidei confirmationem, &c. Authore R. P.* PAVLO BEVRIER, *Can. Reg. Congreg. Gallicanæ, in Eccleſia S. Stephani de monte Pariſienſi Paſtore. Secunda editio emendatior, cui addita ſunt ab authore plura capita in quarto Libro, quæ deſiderabantur ad operis perfectionem, necnon Liber quintus continens compendia Rhetoricæ Chriſtianæ, Methodi facilis Prædicationis Euangelicæ, & Chronologia Sacra à mundi Creatione.* Deffenſes à tous Imprimeurs-Libraires & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre & debiter aucun deſdits Liures que de ceux faits par ledit Expoſant, pendant le temps & eſpace de dix ans, à commencer du iour que ſera achevé d'imprimer ledit Livre, à peine de ſix mille liures d'amende, ainſi que plus au long eſt contenu dans leſdites Lettres.

Regiſtré ſur le liure de la Communauté des Marchands Libraires, & Imprimeurs de Paris, le 13. Février 1672. ſuiuant l'Arreſt du Parlement du 8. Auril 1653 & celuy du Conſeil Priué du Roy du 27. Feurier 1665. Signé, THIERRY, Syndic.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois, le 18. Aouſt 1672.

APPENDIX

LIBER QVINTVS,

CONTINENS COMPENDIVM RHETORICÆ CHRISTIANÆ,

Et methodi facilis Prædicationis Euangelicæ, & Controuerſiæ ad docenda Myſteria ſiue Atheos, & Infideles, ſiue Hæreticos.

CAPVT PRIMVM.

De variis ſtylis.

RHETORICA *eſt diſciplina docens facundè loqui*: Itaque Orator intendit pro fine ſui operis auditoribus perſuadere quidquid voluerit. Rhetorica.

Varij autem ſunt Oratorum ſtyli pro varietate ingeniorum, &c. imo & morum, etenim prout vnuſquiſque viuit, ſic & loquitur, & oratio ſequitur naturam, aut etiam vitam Oratoris. Stylus.

Omnis ſtylus aut eſt vitioſus, aut laudabilis: vitioſus peccat per tumorem ſenſuum, aut verborum. Prioris generis ſunt ſtyli inflati, κακόζηλοι, mali affectatores, frigidi, pueriles, parenthyrſi, ſcholaſtici, poëtici, allegorici, periphraſtici, nimium miſcellanei, antiquarij. Poſterioris generis ſunt rudes, humiles, fluctuantes, & diſſoluti, ſicci & exangues, nimis breues, ſuſpicioſi, & abrupti.

Oratio vt ſit laudabilis, debet eſſe perſpicua, gra- Oratio.

uis, vehemens, ſplendida, vigens, amplificata, ſuauis, admixta celeritate, acuta, idque in verbis, ſenſu, ſententiis, locis, periodis, &c. tamen habenda eſt ſemper ratio Oratoris, auditorum, materiæ, temporis, & locorum : Nam ſi eſt puer Orator, concionetur ſententiis paruis, leuiculis, friuolis, locis inanibus, argumentis infirmis, excurſionibus ad fabellas, & nugas, &c. Iuuenilis Oratio ſolet eſſe nimia, calore pugnaci, accurata, ornamentis illuſtris, compoſitione concinna, & ſuauis, audax, erecta, &c.

Virilis, ſolet eſſet magni ponderis, profundæ intelligentiæ ; argumentis ſolidis pertexta, circuitu ſolutiore.

Principum Conciones debent eſſe magnificæ, puræ, electæ, parcæ verbis, amplæ ſententiis, ſenſu ſimplici, graui, ſedato, prudenti.

Aduocati. *Rhetores politici* accurati ſint, & elimati, candidi, graues, ab affectione, & puerilibus motionibus alieni, vt videantur non è ſchola, ſed quaſi iure hæreditario à parentibus eloquentiam conſecuti.

Concionatores. *Concionatorum* Oratio debet eſſe ſolida, grauis, ſancta, caſta, ſobria, maximè vbi de Deo & arcanis myſteriis, vt in principiis fieri ſolet, cum adhuc ſedatus ſermo eſt ; altius vero ingreſſis licebit ſe attollere figuris, copiaque & laxitate Orationis diffundere : ſemper tamen apud populum dicentibus competunt propria vocabula, aptæ tranſlationes ex rebus notis, confirmationes, & figuræ omnis generis, Oratio plena, ſucculenta, clara, diſerta, exemplis & dictis intexta ; & vbi opus eſt, incitata, ardens, & pugnans.

Philoſophi. *Philoſophi* ſermo de virtute erit ſimplex, purus, integer, validus, naturali pulchritudine, extra fucum: de rebus naturalibus erit acutus, oſſeus, aſtrictus, enucleatus, &c. prout prudentia dictauerit.

CAPVT II.

De Materia Orationis, & adminiculis Eloquentiæ.

MAteria Orationis potest esse quæuis propositio. Itaque vide infra Appendicem propositionum.

Tria sunt adminicula Eloquentiæ; animus, doctrina, imitatio. Ager, siue hortus, noster animus est, Cultura eruditio, Coloni præceptores, flores scientiæ, & virtutum Lumina, fructus verò immortalitas.

Ingenium præ omnibus aptum disciplinæ, est ingenium simplex, candidum, solers, constans, festine lentum, magnum, exaggeratum, quod se supra auaritiam, supra voluptatem, supra etiam corruptibilia ad cœlum vsque efferat, Diuinæ gloriæ promouendæ & salutis proximi procurandæ cupidus.

Indicia apti ad Eloquentiam & prædicationem ingenij sunt. 1. Furor oratorius. 2. Grauis quædam acrimonia ingenij. 3. Naturalis quædam facundia, candor, eloquentia. 4. Memoriæ vis & fœcunditas. 5. Iudicium quoad Doctrinam, satis patet eius necessitas; præcipuè necessaria est Grammatica, Philosophia, Theologia, Historia sacra & profana. Tandem quoad imitationem, etiamsi possimus plures Oratores aut Prædicatores legere, & imitari, idque sit quasi necessarium; vnus tamen præcipuè ad familiarem consuetudinem deligendus est, præsertim ex veteribus. Ex antiquis hi sunt imitandi. *Thucidides, Herodotus, Xenophon, Plato. Aristoteles, Isocrates, Demostenes, Cicero, Seneca*, &c. Ex Patribus, *Athanasius, Nazianzenus,*

Niſſenus, *Chryſoſtomus*, *Ambroſius*, *Auguſtinus*, *Hieronymus*, *Leo*, *Hilarius*, *Tertullianus*.

Tria in Authoribus ad perfectam imitationem omnino ſpectanda ſunt, *Inuentio*, *Diſpoſitio*, & *Elocutio*. Sed & prius intelligenda ſunt, quàm in imitationem traducantur: quo fit vt Rhetores ignaui parum imitatione & iudicio proficiant, quòd locorum, entymematum, & figurarum imperiti, locutiones tantum, & verba congerant.

Inuentio primus eſt fons, ex quo fœcundari oportet ingenia, & plenius irrigari; nam in imitatione non eſt verbis inhærendum, ſed imitanda vis recondita ſapientiæ, cogitationum celſitudo, tractatio humani animi, diſponendi prudentia, colligendi acumen, pugnandi alacritas; ita vt addendo, mutando, detrahendo quod imitamur, illud noſtrum quaſi reddamus.

Caput III.

De Inuentione, & Locis.

PRimus fons Inuentionis eſt varia eruditio, ex qua omnem Eloquentiam creſcere, fœcundarique oportet: vnde omnes ingenuæ artes eloquenti proficiunt, prudens tamen orationum doctrina ſit. 1. Fons Inuentionis, *Hiſtoriæ*. 2. *Apologi*, *& parabolæ*. 3. *Adagia*. 4. *Hieroglifica* 5. *Emblemata*. 6. *Teſtimonia veterum*, *& ſanctorum Patrum*. 7. γνώμαι, *dicta grauia*, *& ſententioſa*. 8. *Leges*. 9. *Scriptura ſacra*. 10. *Ratio & ſolertia in Locis*. Vide propoſitionum Appendicem inferius.

Locus primus eſt à *deſinitione*, ſiue ſimplici & logica, ſiue per partes, ſiue per cauſas, ſiue per effecta, ſiue per accidentia, ſiue per ſimilitudinem, ſiue per

negationem: & hæc definitio amplificari potest per synonimiam, per definitionem mixtam, per contentionem ironicam.

2. Locus est *partium enumeratio*: partes autem sunt vel integrantes, vel subiectiuæ, vel essentiales, vel quantitatiuæ.

3. *Notatio nominum*, quæ fit exponendo etymum, numerum eius, vt est in Apocalipsi 666. cui respondent Μάσμιτες, & Lutherus & 888. Iesus: vel anagrammata, vel coniugata.

4. *Genus & species*, idest superius & inferius.

5. Causarum.

6. Effectuum.

7. Adjunctorum internorum, & externorum, consequentium, antecedentium.

8. Contrariorum, & repugnantium.

9. Similitudinis & dissimilitudinis, seu comparationis.

CAPVT IV.

De Amplificatione.

AMplificatio recta, seu bona in eo differt à mala, quòd illa rerum & sententiarum magnitudinem paulatim succrescentem, cum iusto circumspectorum verborum pondere contineat: hæc verbis & nugis inani quodam strepitu ad imperitarum aurium insidias luxuriantibus humiliter intumescat. Amplificatio.

Amplificatio ex locorum congerie coalescere atque innutriri solet: & est plenitudo quæ ex omnibus rerum adjunctis, terminis, & locis roborat orationem: duplex est, altera tumens, lateque subsultans, quæ apud plebem rudem plurimum valet: altera pressis illigata rationibus, & argumentis, quæ

alteri præcellit, plurimum valens apud doctos, &c.

Amplificationis materia, sunt res graues, & dignæ siue re ipsa, siue æstimatione eorum apud quos agitur.

Dionysius Longinus duas Amplificationis formas posuit, primam per τοπογραφίαν, variam locorum tractationem: secundam per δεινῶσιν, exaggerationem, quæ fit per exclamationes, admirationes, obiurgationes, & cætera figurarum instrumenta.

Porro Loci, cum afferuntur, vario inter se nexu conglobandi sunt. Succedant iis figuræ, sententiæ excelsæ, graues, intensæ, aptis verbis intertextæ; vt si atrox quodpiam facinus (qualis est iniuria SS. Eucharistiæ sacramento illata) esset exaggerandum, post εἰσαγωγὴν, per aliquod πάθος, aut quidpiam simile dices: *quo nomine appellem hoc facinus, nescio*; deinde multa inquires atrocia etimina, quæ magnitudine huius sceleris victa esse ostendes: mox detorquebis oratoriam definitionem per synonymiam, & vocabis *postremam sacrilegiorum omnium impietatem, cœlo, terris, & inferis pene ipsis erubescendam.* Vertes te deinde ad adiuncta, *quis, quid, vbi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, &c. Deinde stylum conuertes ad comparationem. Enumerabis scelera superioris æui, accerses ex historiis deplorata tempora, cruda facta, res funestas, nil simile te reperire fatebere. *Pij, si cum hac impietate conferantur, videbuntur Ariani, misericordes Turcæ, Religiosi Brasilienses*; ad summum erumpent graues figuræ. Modò obiurgatio in sceleratos, ad quorum supplicia terræ, & maria, & brutæ animantes euocabuntur. Modò conuertetur sermo ad Angelos pacis amarè flentes; Modò ad Beatam Virginem, modò ad Christum, ad Patrem, &c. Iura omnia diuina, & humana, Leges omnes, & consuetudines, senes, pueri, &c. pecudes ipsæ vltionem à Deo fla-

Digitized by

gitabunt: hinc affectus, hinc concitationes, hinc tonitrua, & fulgura.

Communiter ponuntur duodecim modi amplificationis. 1. Per enumerationem partium. 2. Per antecedentia. 3. Per causas. 4. Per adiuncta. 5. Per euidentiam, descriptiones, & hypotyposes. 6. Per digressionem. 7. Per gradationem. 8. Per comparationem. 9. Per eleuationem grauium. 10. Per congeriem. 11. Per correctionem. 12. Per conglobatas definitiones.

CAPVT V.

De Dispositione, & partibus Orationis.

PRimò fiat delectus rerum, locorum, figurarum. 2. Examen styli. 3. Exordium, narratio, confirmatio, & tandem peroratio.

In *Exordio* plerumque is seruatur ordo, vt rerum dicendarum propositio præmittatur, cui ratio succedat.

In *Narratione* & expositione oratoria ordo seruetur naturæ, temporis, vel prudentiæ.

Post Exordium multum dignitatis habet grauior quidam discursus; sed breuis, de genere rei maximè proprio; vt si mihi de Diui alicuius laudibus, proponatur hic textus. *Erat lampas ardens, & lucens*: vestibulum Orationis. & quasi propylæum fieri poterit de Lucis præstantia: hoc præmisso, fiet decursus à luce corporis ad lucem animorum, & sanctitatis.

Deinde vt hic textus suggerit, oratio in duo veluti membra discriminabitur; nam arsisse charitate, & luxisse sapientia ostendetur. Argumenta ita disponantur, vt præmittantur quæ à genere, definitione, partium enumeratione, causis, effectis; re-

mota, vt hiſtoriæ teſtimonia, cum artificioſis, elegãti ſuauitate contemperentur.

Duplex eſt Exordium; alterum neceſſitatis, indicans finem cuius gratiâ aliquid fit. Alterum ornatus, qui eſt multiplex, nec tamen ſemper neceſſarius: Iterum in genere ſextuplex ponitur 1. Ab adiunctis. 2. Ab expoſitione finis. 3. Ex principiis & fundamentis rei. 4. Ab exemplis, parabolis, 5. Ab inuocatione. 6. Ex abrupto.

Exordium breue eſſe debet; aliquando tamen argumentoſum; ſed ne quid nimis.

Narratio. 1. Sit ita breuis, vt tamen in ea nihil mancum, conciſum, & decurtatum videatur. 2. Perſpicua, vt verbis vſitatis, propriis, diſpoſitis, aut circumſcriptione concluſa, aut intermiſſa, aut concuſſione verborum, fluat, quaſi pellucidus amnis. 3. Probabilis; fit autem probabilis, à perſonis, à tempore, à loco, à cauſa, ſi teſtata dici videbuntur, ſi cum hominum opinione, ſi cum auctoritate coniuncta, ſi cum Lege, ſi cum more, conſuetudine & religione, ſi adſit narrantis probitas, ſi antiquitas, ſi memoria, ſi Oratoris veritas, & fides adſint. 4. Suauis, quam ſic efficiunt admiratio, expectationes concitatæ, exitus inopinati, motus animi, colloquia perſonarum, dolores expreſſi, iracundiæ, metus, lætitiæ, cupiditatis, verborum elegantia, & coniunctio.

Confutatio aduerſariorum poteſt fieri. 1. Contemptu. 2. Hypocriſi. 3. Increpatione. 4. Compenſatione. 5. Deductione & fallacia. 6. Negatione.

In *ratiocinatione* magna dexteritate vtantur Oratores; Itaque non ſimpliciter, & nudè propoſitiones exeant oportet, ſed aliis inſuper argumentis confirmentur, paſſimque figuris illuſtrentur. Ipſa denique concluſio ſatis per ſe intellecta, latenter per varios motus, quaſi per cuniculos in animum irrepat.

Argumentatio eſt diſcurſus vnum ex alio inferens;

cuius quatuor sunt species, scilicet Inductio, Exemplum, Entymema, & Syllogismus.

Inductio est progressus à singularibus ad vniuersalia; vt *Petrus, Paulus*, &c. *rident, ergo omnis homo est risibilis*: vel à minus communibus, ad magis communia; vt *Parisienses, Carnotenses, Aurelianenses*, &c. *sunt inconstantes; ergo omnes Galli sunt inconstantes.*

Exemplum est progressus ab vno singulari ad aliud, propter aliquam vtriusque similitudinem.

Enthymema est imperfectus Syllogismus constans duabus tantum propositionibus, quarum prima vocatur *antecedens*, posterior vero *consequentia*. Potest autem reuocari ad Syllogismum perfectum, additione maioris, quando est idem subiectum antecedentis & consequentis; vel minoris, cum idem est prædicatum antecedentis & consequentis.

Syllogismus est oratio, in qua duabus præmissis positis, secundùm necessariam illationem infertur conclusio.

Huius pars duplex, materia, & forma.

Materia est duplex, altera ex qua constat syllogismus; altera circa quam, & secundùm quam fit syllogismus.

Materia *ex qua*, duplex est; proxima, quæ complectitur majorem propositionem, minorem, & conclusionem; & remota, quæ continet tres terminos, scilicet medium, majus extremum, & minus extremum.

Materia *circa quam*, diuiditur in tres species, scilicet *Syllogismum demonstratiuum*, qui constat præmissis veris, & necessariis, quæ sunt causæ conclusionis; *topicum* seu probabilem, qui constat præmissis probabilibus, ex quibus infert conclusionem probabilem. Loci ex quibus eruuntur argumenta, sunt à nominis definitione, genere, causis, toto, &c. Et

in *Sophiſticum*, qui ex præmiſſis falſis, vel malè diſpoſitis, falſam infert concluſionem.

Forma, ſeu figura triplex eſt. 1. In qua medium ſubijcitur in majori, ſeu prima propoſitione, & prædicatur in minori. 2. In qua medium bis prædicatur. 3. In qua medium bis ſubijcitur.

Annotandi hic Sophiſtarum fines. 1. Eſt reprehenſio. 2. Falſi admiſſio. 3. Inopinabile. 4. Inutilis nugatio. 5. Solæciſmus.

Captio eorum quoad vocem. 1. Vocatur homonymia. 2. Amphibologia. 3. Captio compoſitionis, vel diuiſionis. 4. Accentus. 5. Oritur à figura dictionis, fundata in ambiguitate.

Captio quoad rem. 1. Cum redditur cauſa per accidens, pro cauſa per ſe. 2. A dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter. 3. Ignorantia reprehenſionis. 4. Petitio principij. 5. Conſequentis & antecedentis ſuppoſitio. 6. Non cauſa pro cauſa. 7. Multiplex interrogatio. Iis duabus captionibus vtuntur paſſim hæretici ad ſeductionem plebis ignorantis & indoctorum.

Porro omnes has captiones ſolues, negando falſa, diſtinguendo dubia, vel æquiuoca, & explicando obſcura.

Peroratio poſita eſt in enumeratione, & motu; debet enim per totam orationem variè diſperſa (præcipuè quæ plus habent virium in animos) vno aſpectu ponere ob oculos, & aptis ſententiis, figuris, motibus, ſeu affectibus animare, atque incendere.

CAPVT VI.

De Elocutione.

CONflatur eloquentia, verbis, & sensibus.

Huius tres sunt partes. 1. *Elegantia*, quæ propriis & optimis verbis reddit orationem dilucidam. 2. *Compositio* seu structura congrua verborum, & periodorum. 3. Præstantia orationis numerosæ, quæ consistit in certis verborum cursibus, seu periodis, quibus illigata, non modo fertur contentiùs, sed etiam blandiùs se insinuat oratio. Moderatus autem esse debet periodorum tractus, nec vbique & semper est necessarius.

Periodus potest amplificari. 1. Per definitionem. 2. Per enumerationem. 3. Per interpretationem. 4. Per congeriem, siue incrementum. 5. Per adiuncta, siue per circumstantias.

Dignitas tota consurgens ex figuris, quæ possunt sic diuidi, vt prima figurarum series contineat eas quæ imagines vno vel paucis verbis exprimunt: sunt autem hæ, *Metaphora*, *Antonomasia*, *Epitheton*, *Synonymia*.

2. In illustri & suaui genere dicendi figuris quibus Icones rerum efformantur. *Descriptio*, *Imago*, *effictio*, *notatio*, *distributio*, *antithesis*, *antisagoge*.

3. In repetitione, *anadiplosis*, *anaphora*, ἐπαναλήψως, *traductio*, *alluſio*, *commutatio*.

4. Ad suaue dicendi genus, maximè in structura periodorum. *Asitheta*, *polysyntheta*, *omeothelenta*, *disiunctio*, *coniunctio*, *Isocolon*.

5. Ad grauitatem, *diuisio*, *expeditio*, *merismos*, *gradatio*, *synathroismus*, *ratiocinatio*.

6. In velitatione, & certamine, *prolepsis*, *sustem-*

tatio, licentia, communicatio, Inſeſſio, Ironia, epiplexia, apoſiopeſis, allegoria, correctio.

7. In artectibus, *exclamatio, proſopopeia, apoſtrophe, aporia.*

Caput VII.

Omnes Figuræ Rhetorices.

Prima, Definitio. 2. Deſcriptio, cum loco nominis definito, &c. affertur. 3. Diuiſio, vt cum loco omnium virtutum generum, multæ in exemplum afferuntur. 4. Digreſſio, cum cuilibet parti adduntur adiuncta. 5. Expeditio, quæ & ſorites. 6. Subiectio. 7. Demonſtratio. 8. Hypotypoſis, ſeu deſcriptio locorum, temporum, &c. 9. Effictio. 10. Imitatio, alicuius perſonæ repræſentatio. 11. Notatio, deſcriptio per ſigna, & notas. 12. Sermocinatio, cum inducuntur duo ſe inuicem alloquentes. 13. Confirmatio, cum abſens tanquam præſens inducitur. 14. Interrogatio. 15. Ratiocinatio ad nos metipſos. 16. Communicatio, cum quaſi conſilium poſcentes videmur. 17. Dubitatio ficta. 18. Suſtentatio, cum ſuſpenduntur auditores. 19. Permiſſio, quæ excitat compaſſionem. 20. Conceſſio. 21. Licentia. 22. Obiurgatio. 23. Execratio. 24. Exclamatio, qua omnes motus animi declarantur. 25 Auerſio, ſeu apoſtrophe, cum ipſe aduerſarius, &c. accerſitur verbis. 26. Epiphonema, parum ab his diſtans. 27. Imperatio. 28. Optatio. 29. Deprecatio. 30. Obſecratio erga Deum, & ſanctos. 31. Præoccupatio, quæ quatuor includit, præmunitionem, confeſſionem, prædictionem, & emendationem. 32. Digreſſio. 33. Iteratio. 34. Frequentatio, argumentatio fortiſſima. 35. Tranſitio. 36. Expoſitio.

37. Commoratio. 38. Interpellatio. 39. Significatio, cum plura auditoribus damus cogitare, quàm ſint: huius ſunt quinque genera. 1. Cum plura dicuntur quàm poſſint æſtimari, ad augendam incredulitatem. 2. Cum verbum æquiuocum profertur. 3. Cum aliquid conſequens ex alio dicitur, & illud aliud tacetur. 4. Cum per præciſionem aliquid inchoatur narrari, ſed non vltra progredimur. 5. Cum ſimilitudo affertur, nec exponitur. 40. Reticentia. 41. Præciſio. 42. Præteritio ficta. 43. Correctio, cum paucis dicitur, quod longius videbatur exponendum. 44. Diminutio ſuæ laudis. 45. Contentio oppoſitorum. 46. Diſſimulatio aperta, & quaſi per Ironiam. 47. Similitudo, ſiue à contrario, ſiue per negationem, ſiue per breuitatem, ſiue per conſequentiam. 48. Imago ſeu comparatio vnius formæ cum altera. 49. Exemplum.

CAPVT VIII.

De Affectibus.

AFfectus, ſunt ſentientis animæ ex boni vel mali opinione natæ commotiones, quarum ſedes eſt cor humanum. De iis vide Moralem.

Ratio 1. Motuum excitandorum, eſt diuina gratia. 2. Similitudo affectuum, & animorum. 3. Sapientiæ majeſtas, & Rationum energia. 4 Virtus & ſanctitas Oratoris, vel Prædicatoris. 5. Auctoritas. 6. Ætatis maturitas. 7. Eloquentiæ vis: porro in perſonis quæ ſunt excitandæ, & mouendæ, hæc ſpectentur. 1. Ingenium. 2. Educatio, & conſuetudo vitæ. 3. Ætas, & conditio. 4. Habitudo, & conſtitutio corporis. 5. An doctæ, an ignaræ, &c.

Duæ ſunt radices affectuum: *voluptas*, cuius ma-

ter eſt admiratio; & *dolor*, ſeu miſeratio: ad quos motus excitandos valent viuæ rerum deſcriptiones, & ipſæ nudæ narrationes. Item figuræ, ſententiæ graues, admirabiles, inflammatæ. Vitentur affectus frigidi, tragici, & pueriles; Itemque immoderati, & nugatorij, languidi. Captandæ ſunt occaſiones mouendorum affectuum, nec debent videri accerſitæ.

Argumenta etiam debent eſſe mixta, & confuſa, ſapientique quodam errore vagantia, vt videantur quaſi ab incenſa potius mente ſubjici, quàm artificis exquiſitione comparata.

Sententiæ in motibus ſint crebræ, acutæ, vibrantes.

Motus ſunt temperandi, & aliquando magno tegendi ſilentio.

Motus per totam orationem ſpargendi ſunt.

Hæc omnia prout prudentia', & pietas dictauerint.

Tot ſunt motus, quot paſſiones.

In pronuntiatione quatuor virtutes requiruntur: *puritas, perſpicuitas, ornatus, & habilitas.*

Geſtus ſint moderati, prout prudentia & materia, & auditores expoſcunt. Debet autem vitari Cantus.

Caput IX.

De variis Orationum generibus, præcipuè de Demonſtratiuo.

ILlud, ex Ariſtotele, Laudes & vituperia continet. Quatuor cadunt in Laudationem: *Deus, homo, animalia, inanima.*

Deus poteſt laudari per definitiones conglobatas, per varia nomina ab adiunctis, & effectis, ab imaginibus.

Si alicuius Diei celebritatem commendamus, aut mysterium, aut natiuitatem, &c. gratulabimur orbi terrarum ob commune bonum, & insigne erga nos Dei beneficium. Rem verborum magna dignitate aperiemus: Illustrabimus ab adiunctis, à simili, à comparatione minorum, ab exemplis: postea faces adhibebimus, quæ ad amorem Dei accedant Auditores.

Si quam personam laudare vis, debes honestæ laudis præbere argumentum; nil enim nisi verè, & solidè laudandum. In hoc autem plurimum valent definitiones conglobatæ, partium enumerationes, similitudines, adiuncta, effecta, contraria, sententiæ graues, sculptæ, eruditæ, historiæ insignes, & ex auctoribus quibusque petita cum insigni varietate doctrinæ supellex.

Ordo etiam in iis seruetur aut temporis, aut generum distributionis, aut à minoribus ad majora ascensus, & è contra, aut in æqualis varietatis, cum parua, magnis simplicia coniunctis, obscura dilucidis, læta tristibus, incredibilia probabilibus, inteximus.

In Laude personæ, quinque sunt notanda, *Natiuitas, fortuna seu conditio, institutio, circumstantiæ, actiones.*

Natura comprehendit corpus & animum; In animo virtutes, & scientiæ commendantur; In corpore pulchritudo, robur, agilitas, sanitas.

Fortuna, opes, natalium splendorem, diuitias, honores, &c. continet.

Institutio fidem facit naturæ, eamque illustrat.

Actiones naturam perficiunt, & institutionem.

Circumstantiæ rem ornant.

Finis Laudationis, est vtilitas, necessitas, delectatio.

Vituperatio autem ex Locis oppositis procedit.

In *Oratione natalitia*. 1. Occurrit tempus & dies, ſi quid in eo celebre. 2. Anni tempeſtas. 3. Dies feſti, ſi contingat. 4. Locus. 5. Familia. 6. Præcipua pars orationis, quæ eſt laus eius, cuius natalis commendatur. 7. Precatio, & votum.

Modus *Orationis funebris*, ad capita laudationis, de quibus ſupra refertur: addantur, mortis genus, & circumſtantiæ luctus, lacrimæ, conſolatio ex Deo.

In *gratiarum actione*, declarandum quale beneficium, quam amplum, quam vtile, quam expetendum, à quo datum, cui, quo merito, quando, cur quo amore. Partes, ſunt Exordium, expoſitio rei, beneficij exaggeratio, repromiſſio beneuolentiæ, ſtudij, amoris, & obſeruantiæ.

In *ſalutationibus Principum*, tria agenda. 1. Gratulari debemus aduentum, atque omnium de ea re ſignificare lætitiam. 2. Rationes iſtius gratulationis reddere à meritis congratulati Principis, cuius laudes paucis quidem, ſed ſummo delectu exquiſitis ſententiis perſtringantur. 3. Vouere, & dedicare mentes, animos, pectora, fortunas, ſpes, opes, &c.

Laudantur *pueri*. 1. A paterno, maternoque genere. 2. A ſimilitudine patriarum virtutum. 3. A formâ corporis, & educatione. 4. A pietate in Deum, & obſeruantia in parentes, & præceptores. 5. Ab ingenij acrimonia, cum morum feſtiuitate, ſermoniſque affabilitate coniuncta. 6. A pudore, innocentia, integritate. 7. Ab induſtria, eruditione, & artibus, &c. 8. A ſpe rerum maximarum.

Laudantur *animalia*, vt & cætera, à pulchro, vtili, & neceſſario. Laudabitur in iis gens, parentes, robur; pulchritudo, labor, agilitas, cantus, humani ſermonis imitatio, fidelitas, amor in Dominos, prudentiæ, &c. imitatio, ſeu adumbratio.

CAPVT X.

Digitized by Google

CAPVT X.

Appendix Propositionum.

CVm Materia circa quam versatur Orator, sit quæuis propositio, seu Thesis; Propositiones aliæ sunt infinitæ, seu vniuersales; aliæ finitæ, seu particulares; aliæ vtriusque generis.

Propositiones vtriusque generis, aliæ sunt cognitionis, aliæ actionis.

Propositiones cognitionis, aliæ sunt coniecturales, aliæ definitiuæ; aliæ qualitatis seu accidentis, quarum prædicatum est merum accidens subiecti.

Propositiones *coniecturales* significant aliquid existere actu,, vel potestate, moraliter loquendo, aut absolutè loquendo: vel existere ex his, aut talibus causis & principiis: vel existere ob hunc, & illum finem, & rationem: vel mutari, id est in aliud mutari, vel augeri, imminui, vel perire.

Propositiones *definitiuæ* sunt, vel notionis; quæ habent pro attributo subiecti, siue nomina propria, siue varias notiones, siue nomina metaphorica, siue Emblemata hierogliphica; siue nomina anagrammatica subiecti, siue nomina acrosthichica, siue collecta ex numero & valore literarum, quæ tria postrema vix in vsu sunt.

Vel *proprietatis*, quæ habent pro attributo subiecti proprietates essentiales, vel naturales, vel supernaturales, seu acquisitas seu hypotheticas, seu comparatiuas.

Vel *partitionis, & diuisionis*, quarum attributum constat partibus, seu speciebus subiecti; tametsi partitionem, hîc latius sumimus, quàm partitionem illam de qua infra.

Vel *descriptionis*, quæ constat accidentibus ferè communibus, sed quæ propriam tamen rei notitiam simul exhibent.

Positiones denique *qualitatis seu accidentis* sunt, aliæ simplices, quæ nullam habent comparationem; aliæ comparatæ, in quibus duæ res, vel plures inter se comparantur.

Propositiones *actionis*, pertinent ad officium, vbi scilicet agitur, vel de re aliqua persequenda, aut declinanda; vel de vsu, & commodo rei cuiuslibet: aut pertinent ad motus animorum sedandos, & sanandos; vel gignendos, & concitandos.

Caput XI.

De multiplici Partitione.

POssumus partiri. 1 Finem in varia media. 2. Formam exemplarem in varia formata. 3. Materiam *ex qua*, in varia composita. 4. Materiam *circa quam*, in varias actiones, & facultates, quarum est obiectum. 5. Efficientem causam in varia effecta. 6. Effectus quoslibet in suas causas. 7. Genus in suas species. 8. Speciem in sua indiuidua. 9. Subiectum in varia adiuncta. 10. Adiunctum in varia subiecta, & adiuncta. 11. Relatum in varia correlata. 12. Contraria in varia aduersa, contraria, contradictoria. 13. Quidlibet in varia repugnantia. 14. Simile in varia similia. 15. Dissimile in varia dissimilia. 16. Comparatum cum variis maioribus, paribus, minoribus. 17. Totum essentiale in varias partes physicas, metaphysicas. 18. Totum integrans in partes integrantes. 19. Partem in varia tota, quorum possit esse pars. 20. Denique rem in varia nomina, & notiones.

Caput XII.

De Partitione Orationis.

PArtitio Euangelij potest fieri. 1. In quæstiones ductas è Theologia positiua, & scholastica; à controuersiis, & casibus conscientiæ. 2. In varia puncta instar meditationis. 3. In doctrinam & mores. 4. Euangelij punctum, vt minor præcipui argumenti, probandum per cæteras Euangelij partes. 5. Euangelij punctum, quo reuocentur cæteræ Euangelij partes, vt causæ, effectus, circumstantiæ. 6. Punctum aliud, per quatuor causarum genera explicata in Euangelij textu. 7. Euangelij punctum in res essentiales & accidentarias, sparsas in Euangelij textu. 8. Virtus Euangelica, per conditiones quatuor virtutum Cardinalium. 9. Virtus in adiuncta vtilis, delectabilis, honesti, & necessarij. 10. Virtus per tot genera motiuorum, quot sunt passiones animi. 11. Virtus euangelica per proportionem priuationis, materiæ, formæ. 12. Præceptum euangelicum per ordinem ad res naturales, positiuas, supernaturales. 13. Perfectio, seu virtus euangelica per proportionem vegetatiui, sensitiui, & rationalis. 14. Virtus, vel mysterium methodo septem donorum Spiritus-sancti. 15. Virtus, vel mysterium quatenus conferunt ad purgationem, illuminationem, & vnionem. 16. Virtus, vel mysterium, vt necessarium & conueniens medium ad finem nostrum. 17. Historia, & parabola Euangelij secundum sensum literalem, allegoricum, anagogicum, & moralem. 18. Mysterium vel parabola instar Tragœdiæ in plures actus & choros 19. Historia, vel parabola Euangelij in personas, actiones earum, & res cum circumstantiis temporis, & loci. 20. Mysterium vt est

obiectum fidei, ſpei, & charitatis. 21. Myſterium per partes textus veteris Teſtamenti, aut alterius ſcripturæ ſacræ. 22. Myſterium Euangelij per explicationem eiuſdem allegoriæ. 23. Quæuis quæſtio, cum methodo quæſtionum D. Thomæ 24. Quodvis per quæſtiones, an ſit, quid ſit, qualis ſit, propter quid ſit.

DE PRÆDICATIONE VERBI DEI.

CAPVT XIII.

De dignitate & excellentia miniſterij Prædicationis Euangelicæ.

1. NOn minus *Verbum Dei, quàm corpus Chriſti,* inquit Auguſtinus, quod analogicè intelligendum eſt. Poteſt autem conijci excellentia huius ſacri miniſterij ex quatuor cauſis Euangelicæ Prædicationis, nempe efficiente, materiali, formali ſeu exemplari, & finali, quas Scriptura ſacra nobis aperit. Etenim eius cauſa efficiens eſt ipſe Deus per homines, quos ipſemet poſtquam eos repleuit ſapientia & Spiritu-ſancto, mittit tanquam Angelos & nuntios ſuos, ſeu etiam legatos *ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ſuæ.* Cauſa materialis eſt ipſa diuina ſapientia, verum Margaritum euangelicum: Cauſa formalis & exemplaris eſt ipſemet Chriſtus Deus homo: Et cauſa finalis eſt æterna beatitudo, ſeu ipſemet Deus plenè poſſeſſus à beatis. Verùm vt hæc fiant clariora, præſtat attentius hæc meditari per ordinem.

2. Itaque Apostolus declarat nobis primam veritatem de causa efficiente prædicationis Euangelicæ, cùm ait: *Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obsecramus pro Christo reconciliamini Deo* Vndè ad Ephesios ipsemet testatur se vigilare, orare, & obsecrare omni tempore pro se ipso: *vt*, inquit, *detur mihi sermo in apertione oris mei cum fiducia notum facere mysterium Euangelij pro quo legatione fungor*; Deus enim *dat verbum euangelizantibus virtute multa*: Vnde Christus loquens Apostolis: *qui vos audit*, inquit, *me audit, & qui vos spernit, me spernit*, vt prædixerat Isaias cap. 54. v. 13. *Vniuersos filios tuos doctos à Domino*: seu vt explicat Ioannes, *erunt omnes docibiles Dei*: Et Scriptura sacra edocet nos, Deum optimum maximum in triplici Lege semper misisse Prædicatores ad populum erudiendum: misit enim in Lege naturali ante diluuium sanctos Patriarchas, & præcipuè Henochum & Noëmum tanquam præcones suæ diuinæ Iustitiæ: & post diluuium misit Abraham, Isaacium, Iacobum, Iosephum, & Moysen, vt erudirent principes & populos Ægypti; & senes prudentiam & Religionem veram edocerent. In Lege Mosaïca, misit Moysen & Aaron, & Prophetas tanquam veros Ecclesiastes seu prædicatores; sicut in Euangelica misit Apostolos & discipulos prædicare Euangelium Dei.

2. Cor. 5. 20.

Ephes. 6. 18. & 19. & 20.

3. Ne mireris ergo, si Prædicatores Euangelici, tanquam diuini & æterni verbi Vicarij, vocentur ab ipso Christo, *Lux mundi, & sal terræ*: sunt enim spiritualia hæc luminaria in firmamento Ecclesiæ, quæ cœlum vocari potest multis titulis, vt illuminent terram, vt præsint diei ac nocti, id est iustis & peccatoribus, fidelibus ad confirmationem Christianæ veritatis, & infidelibus abducendis à tenebris errorum ad fidei lumen, & vt diuidant lucem ac

Gen. 1. 18. 17.

tenebras per discretionem & separationem veri à falso, boni à malo, virtutis à vitio. Prædicatores ergo sunt *lux mundi*, percipientes in Christo & à Christo lumen veritatis, per quod omnes illuminentur & liberentur à tenebris ignorantiæ, atque accendantur ad amorem Dei, & ad omnium praxim virtutum. Sunt etiam *sal terræ*, quia diuino verbo debent fluxum peccati exsiccare, vermes vitiorum abigere, criminum germina compescere, sterilem reddentes concupiscentiam triplicem, quæ est triplex satanæ pompa, vt destruatur eius regnum, ac tandem sa-
Isai.54. porem deuotionis ac pietatis producere; vnde saphyris comparantur, in quibus Ecclesia fundatur.

4. Quod ad Causam materialem Prædicationis Euangelicæ spectat, nil potest excellentius concipi eius materia seu obiecto, cum sit ipsemet Deus, siue vnus in essentia & trinus in personis, cum omnibus suis adorandis perfectionibus; siue ipsum diuinum Verbum caro factum, cum omnibus admirandis eius virtutibus & mysteriis: obiectum enim omnium prædicationum est fides, & sapientia diuina, & omnes diuinæ veritates, siue speculatiuæ, siue practicæ; quæ quidem sunt expressiones diuini & æterni Verbi; & ideò comparatur in Euangelio Margaritis, & vnionibus, quibus nihil est pretiosius in mixtis inanimatis;
Ps. 118. v. 127. iuxta illud Dauidis, *Ideo dilexi mandata tua, super aurum & topazion; neque enim dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius:*
Iob.28. v.15.16. 17.18. *non conferetur tinctis Indiæ coloribus, nec lapidi Sardonycho pretiosissimo, vel Saphiro. Excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione eius*: quia, vt ait
Sap.7. v.29. 30. Salomon, *hæc sapientia est speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inuenitur purior. Illi enim succedit nox, sapientiam autem non vincit malitia.*

5. Causa formalis, & exemplaris prædicationis

Euangelicæ, est ipsummet Verbum Dei, & sapientia æterna, prodiens de ore Altissimi, & idem Dei Filius missus in mundum per Incarnationem, vt esset summus Magister, & Doctor hominum, eorumque Saluator & Mediator, iuxta illud: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus vester maneat: Ite, docete omnes gentes, prædicate Euangelium omni creaturæ. Pauperibus euangelizare misit me Dominus: Ego sum Dominus & magister vester, vos vocatis me, Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Ergo Christus Dominus est verum exemplar omnium Prædicatorum, & Doctorum, quem ideo debent imitari, præsertim in eo quod ipse *Iesus cœpit facere* Act 1. *& docere*, quia est verus Doctor Iustitiæ, quem Ioël in spiritu præuidens, excitat filios Sion veros fideles ad exultandum & lætandum in Domino Deo: *quia dedit vobis*, inquit, *Doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos imbrem matutinum & serotinum*, id est scientiam salutis, prudentiam iustorum, & gratiam diuinam fœcundantem animam. De eo etiam Isaias prophetauit dicens, *Non faciet auolare à te* Isai. 30. *vltrà Doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum.* Ioël. 2. 23. 20.

6. Tandem Causa finalis Euangelicæ prædicationis, est salus æterna fidelium, & gloria Dei, qui perfectissimè possessus à beatis per visionem intuitiuam & amorem beatissimum, erit omnia in omnibus; & ideò Prædicatio est scientia Dei, doctrina pacis, & verbum vitæ æternæ: vnde Christus iubet Apostolos prædicationem incipere ab iis verbis, *appropinquauit in vos regnum Dei.* Verùm quia nemo repentè fit summus, aut beatus, ideo etiam prædicatio verbi Dei paulatim homines disponit quasi per quosdam gradus ad æternam beatitudinem. Nam primò cum sit lux diuina, illuminat auditores, &

auertit eos ab erroribus, ideò dicitur *verbum Domini lucidum illuminans oculos.* Secundò conuertit eorum corda per ardorem diuinæ gratiæ, quæ hanc ſpiritualem Chimiam operatur, ideo *lex Domini immaculata conuertit animas*, & voluntates. Tertiò, per eundem Prædicationis diuinæ ardorem, (eſt enim lucerna ardens & lucens, quæ ſimul eſt ſal ſpirituale,) exſiccat lutum peccatorum, & humores noxios concupiſcentiæ. Quartò, accendit ardorem charitatis Dei, & proximi, & ſanctum diuinæ gloriæ procurandæ zelum. Quintò, efficit homines Dei filios adoptiuos per eandem charitatem, efformando in eis imaginem Ieſu Chriſti per vitæ eius conformitatem, ſicut Sol & Luna ſuas pingunt imagines in nubibus præparatis ad hoc. Sextò, ſicut lux & lumen Solis eleuant vapores in altum; ita prædicatio euangelica eleuat animas à terrenis deſideriis ad cœleſtia, & ad ipſum Deum. Caue ergo, Prædicator, *ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint*; Caue *ne ſal tuum infatuetur*; ſed potius pro exemplo propone tibi Patrem æternum mittentem Verbum ſuum in terras; & ipſum Verbum diuinum incarnatum euangelizans regnum Dei.

Caput XIV.

Quantum ſit malum abuti miniſterio Prædicationis: & quot modis fit hic abuſus.

Ezech. 13. 1. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident. Quaſi vlpes in deſertis, prophetæ tui erant. Vident vana, & diuinant mendacium.* Certum eſt Prophetas fuiſſe Prædicatores, & doctores veteris Teſtamenti; & Prædicatores noui, vices Prophetarum agere inter Chriſtia-

nos, ac proinde omnes maledictiones veteris, & noui Testamenti, cadere in malos Prædicatores *adulterantes verbum Dei*, & hoc sacro ministerio abutentes; quia Deus non misit eos, sicut nec Pseudoprophetas, & ideò iustè de iis conqueritur duplici titulo: quia scilicet. Primò, sibi ipsis arrogant authoritatem diuinæ missionis, quæ Deo solo competit tanquam primo fonti, seu origini potestatis, sapientiæ, & prouidentiæ, & patri luminum. Secundò, quia ipsi insipientes sunt, sequentes spiritum suum qui est spiritus erroris, non autem Spiritum sanctum qui est spiritus veritatis; & ideo nihil vident nisi vana seu vanitatem quæ seducit eos, & mouet ad tam sanctum ministerium licet indignissimos; vnde etiam nullo modo prodesse, sed potius obesse possunt, tanquam vulpes quæ demoliuntur vineam Domini.

2. Vt autem possimus cognoscere quantum sit illud malum abuti ministerio prædicationis, debemus scire quid sit ille abusus, & quot modis fiat. Ergo cum dicimus abuti verbo Dei. 1. Qui illud reddit sterile, cum sit ex se fœcundissimum. 2. Qui illud refert ad malum finem; aut 3. Qui illud tractat indignè. Quod autem verbum Dei sit fœcundissimum, testatur Deus per Isaiam dicens. *Quomodo descendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo; non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quodcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Isai. 55. 10. 11. Nec mirum, cum verbum Dei prædicatum, sit expressio, & imago diuini Verbi geniti non facti, consubstantialis Patri, *per quod omnia facta sunt*, & ideo virtutem planè diuinam in se continet. Vide ergo quantum malum committant Præ-

dicatores, qui propter peccata ſua, vel defectum miſſionis diuinæ, aut per imprudentiam, malitiam, vel ignorantiam illud reddunt ſterile & vacuum. Qui verò diuinum illud verbum, quod pro fine habet Dei gloriam, conuerſionem peccatorum, morborum ſpiritualium curationem, perfectionem fidelium, & ſalutem electorum, refert ad aliquem malum finem, ſcilicet ad errores inducendos, ad morum effrenatam corruptionem, aut etiam ad commodum proprium, ſeu vanam gloriam, grauius adhuc committit peccatum, quod eſt ſacrilegium horrendum, quia abutimur re ſacratiſſima ad finem impium. Vnde iuſtè conqueritur Deus de his peruerſis prædicatoribus per Ezechielem dicens: *violabant me ac populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, vt interficerent animas, quæ non moriuntur, & viuificarent animas, quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Attende verbum myſticum & energicum; *violabant me* quaſi virginem, quia ſapientia eſt puriſſima virgo: *violabant me*, ideſt me violatum & corruptum oſtendentes: In Septuaginta habetur, *contaminabant me*: & in Hebræo, *dehoneſtabant me*, & hoc *propter pugillum horrei* quo veſcuntur bruta animalia, id eſt pro modico pretio, pro flatu venti ſeu vanitatis, & paruo panis fragmento, ac re viliſſima vendebant me, & violabant, veritatem peruertentes. Tandem eiuſdem criminis reus eſt, ac etiam diuinæ læſæ majeſtatis, qui verbum Dei indignè, irreuerenter, & ironicè tractat quaſi profanas fabulas, iuxta illud: *narrauerunt mihi iniqui fabulationes, ſed non vt lex tua. Verùm quid paleis ad triticum? dicit Dominus, quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ conuentio Chriſti ad Belial? & quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate?* Audiat talis Prædicator Dei exprobrationes. *Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum*

Miſit verbum ſuum & ſanauit eos. Pſal.

Ezech. 13. 19.

Pſ. 1: 8. 2. Cor. 6. 14. &c. Pſ. 49. 16. 17. &c.

meum per os tuum? tu verò odisti disciplinam: & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Arguam te, & statuam contra faciem tuam.

3. Ex quibus patet, abusum verbi diuini posse fieri octo modis. Primò, defectu missionis, idque præsumptione & temeritate Prædicatoris, qui audet sacra tangere vel proferre prophana manu, seu lingua, & se ingerere huic sacro ministerio Dei legationis ad homines sine titulo & commissione summi Regis cœli & terræ; estque hic fur & sacrilegus, ac velut falsarius Dei litterarum. Secundò, defectu scientiæ necessariæ, quo fit vt facilè errores prædicet, & audientes in errores inducat; nam *si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadent.* Hinc etiam D. Paulus vult *Doctorem non neophytum esse, ne in superbiam elatus*, quales sunt scioli, *in iudicium incidat Diaboli.* Tertiò, malitia seductrice, qua scilicet plures Ministri hæretici mouentur, qui contra scientiam & conscientiam prædicant suos errores, & deprauant Scripturas sacras ad suam & aliorum perditionem; de quibus scriptum est, *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum eius.* Quartò, malo exemplo Prædicatoris, qui factis propriis destruit, quod dictis astruit, de quo Propheta Regius. *Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iustitias meas*, &c. Tales Prædicatores plus nocent quàm prosint; quia plus mouent exempla quàm verba. Vnde ex eodem Propheta: *ecce loquuntur in ore suo, & gladius in ore ipsorum, quoniam quis audiuit?* Et sanè, vt ait Salomon, *Doctrina mala deserentium viam vitæ.* Vnde Auditores sæpe scandalizantur de iis qui dicunt, & non faciunt. Itaque quicumque sis, *eijce primum trabem de oculo tuo, & postea videbis si possis eijcere festucam de oculo fratris*

1. Tim. 3. 6.

3. Reg. 22. 22.

Pſ. 58.

Prou. 13.

Mat. 7.

sui. Quintò, praua intentione Prædicatoris, qui se ipsum potius prædicat, quàm populum; qui refert diuinum verbum ad suum commodum, ad vanam gloriam, ad retributionem temporalem, & aliquid simile, & sic abutitur re sacratissima, ad finem peruersum, aut vanum, quod est crimen læsæ diuinæ majestatis; ad cuius gloriam & honorem tanquam ad finem vltimum prædicatio Euangelica referri debet. Sextò, irrisione diuini verbi, & fabularum admixtione, in quod crimen incidunt nugaces & fabulosi Prædicatores, risum excitantes, & indignè tractantes augustissimum Dei verbum, quod ad compunctionem, ad lachrymas, & ad conuersio-
Iob. 13. nem peccatorum debet referri. *Nunquid Deus indi-*
Ps. 118. *get mendaciis, aut fabulis vestris?* De his Psalmista: *narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex*
1. ad Tim. 4. *tua, immaculata conuertens animas. Ineptas ergo & aniles fabulas deuita.* Audi Deum præcipientem: *non*
Deut. 4. *addetis ad verbum, quod ego loquor vobis, nec auferetis ex eo.* Septimò, Imprudentiâ, & zelo indiscreto qui non est secundum scientiam; *stultus enim profert totum spiritum suum:* scito quod leue est verbum, sed non leue infligit vulnus. Itaque prudenter vtere gladio verbi diuini, ad salutem, non autem ad ruinam & perniciem auditorum. Ergo *ne effundas sermonem vbi non est auditus, & pone custodiam ori tuo, & ostium circumstantiæ labiis tuis.* Octauò tandem, mollitie Prædicatoris qui prurit auribus audientium, captat eorum beneuolentiam, & ideò detinet in captiuitate veritatem diuini Verbi, dicens, *pax, pax, vbi non est pax, liniens absque paleis & temperamento, dicens bonum malum, & malum bonum.* Scito ergo quod Deus est veritas, &
Isai. 16. noli substrahere verbum. *Annuntia populo meo scele-*
Isai. 48. *ra eorum, & domui Iacob peccata eorum. Maledictus enim est qui prohibet gladium suum à sanguine;*

& væ tibi, si non rectè euangelizaueris; qui verò conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte. Sequere ergo D. Pauli consilium; *argue, increpa, obsecra in omni patientia & doctrina:* & ipsius Dei per Ieremiam. *Posui verba mea in ore tuo, vt euellas & destruas, & dissipes, & adifices, & plantes.* Iac. 5.

Caput XV.

De missione ad ministerium prædicationis Euangelicæ. 1. *Eius necessitas.* 2. *Eius deprauatio.* 3. *Eius notæ.*

1. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Quot hodie sunt Pseudo-prædicatores? de quibus prophetauit Ieremias in nomine Domini, *non mittebam eos, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant. Ecce ego ad Prophetas, dicit Dominus, qui furantur verba mea vnusquisque à proximo suo.* Et Propheta Regius, *subitò*, inquit, *sagittabunt eum & non timebunt: firmauerunt sibi sermonem nequam.* Vt ergo vitemus has maledictiones, tria meditanda. 1. Necessitas missionis, ad prædicationis ministerium. 2. Deprauatio veræ missionis per falsas missiones. 3. Signa & notæ veræ missionis diuinæ. Rom. 10. Ierem. 23. 21. Ps. 63.

2. Quoad primum, necessitas missionis potest probari ex Scriptura sacra, ratione, & exemplis. Nam primò, *Propheta*, inquit Deus per Moysen, *qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi ei, interficietur, & morte morietur:* est enim mortale peccatum prædicare sine missione, vt mox probabo: *quid ergo ei proderit si vniuersum mundam lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Ne mireris ergo si Deus effundat Deut. 18. 20.

Digitized by Google

Ierem. 23. Ezech. 13. tot maledictiones per ſuos Prophetas contra Pſeudo-prophetas, qui furabantur verba Dei, qui currebant ad prædicandum ſine diuina miſſione, qui ſequebantur ſpiritum ſuum, & non ſpiritum Domini; cum ipſe ſupradictum edictum mortis promulgauerit per Moyſen Legiſlatorem ſuum? Secundò, Scripturæ ſacræ ratio naturalis arridet, eamque iuſtiſſimam demonſtrat: quæ enim temeritas, quæ præſumptio in homine, qui ſine miſſione, & commiſſione regia, imò contra Regis voluntatem ad alienum Regem tanquam legatus accederet, eique Domini ſui ſecreta aperiret; an non eſſet reus mortis, & reus læſæ majeſtatis? Verum eò grauius crimen committit qui à Deo non miſſus, immiſcet ſe Euangelicæ prædicationis miniſterio, quò Deus præſtat homini, totum nihilo, creator creaturæ: adde quod ſacrum hoc miniſterium prædicationis eſt diuinum, nec poteſt impleri ſine Spiritu-ſancto, illuminante, mouente, & quaſi dictante verba Prædicatori, iuxta illud, *ecce dedi verba mea in ore tuo*: Ergo qui prædicat ſine miſſione, cenſendus eſt falſarius, fur, & diuinæ authoritatis ſagrilegus vſurpator, verbi Dei prophanator, & Pſeudo-propheta, ac Pſeudo-apoſtolus. Tertiò, in tota Scriptura veteris & noui Teſtamenti videmus ſanctos Patriarchas, Prophetas, Doctores, Apoſtolos & Prædicatores ſemper à Deo miſſos, vel à Chriſto; ſiue mediatè, ſiue immediatè: Imò videmus Moyſen, Ieremiam, Ionam, & plures alios ſe excuſaſſe quantum potuerunt, ab hoc tam auguſto & excellenti miniſterio, quo ſe indignos putabant: Vnde vix ſe poteſt purgare à criminibus Pharizaicis, & à ſuperbia & auaritia Pharizæorum, qui ſine diuina miſſione prædicat: Certum eſt enim talem Prædicatorem vel ſuperbia vel auaritia moueri, & duci ad hoc miniſterium aggrediendum, ſeu potius vſurpandum, contra Dei voluntatem.

Digitized by Google

3. Verùm nota triplicem esse Dei missionem ad prædicationis ministerium; ordinariam scilicet, extraordinariam, & delegatam: Ordinaria, est missio Prælatorum, seu Episcoporum & Pastorum, & omnium superiorum qui habent curam animarum: Extraordinaria, est missio quæ debet miraculis confirmari, talis est missio Prophetarum. Delegata, est missio quæ datur à Pastoribus legitimis Ecclesiæ in suæ iuridictionis districtu.

4. Quoad secundum, videmus sæpè abominationem desolationis in templo Dei per deprauationem triplicis huius diuinæ missionis, & fallas missiones per Angelos malos qui sæpè se transfigurant in Angelos lucis. Nam primò deprauatur missio ordinaria per intrusionem indignorum ministrorum, quorum plures volunt *hæreditate possidere sanctuarium Dei*, & indignos fratres, nepotes, parentes, aut seruos in Dei Ecclesiam, seu in Beneficia Ecclesiastica introducere contra Dei voluntatem, & sacros Ecclesiæ canones, qui iubent Beneficia conferre dignioribus Ministris, sine personarum acceptione: alij intrant vt fures in Beneficia per fenestram simoniæ, aut confidentiæ; alij per Dominorum, & Magnatorum commendationem, & indigna seruitia erga eos. Secundò omnes Hæretici, qui verè dici debent Anti-Christi, furantur verbum Dei, & vsurpant diuinum ministerium prædicationis, dicentes se à Deo illuminatos, & extraordinariè missos ad reformandam Ecclesiam, licet nullis miraculis probent suam missionem. Tertiò tandem multi ambiunt delegatam missionem, & eam per amicos & parentes, aut magnates, imò etiam per mulierculas oneratas peccatis extorquent à Pastoribus, non quidem vero diuinæ gloriæ aut salutis proximorum procurandæ zelo, sed vanitate, aut turpis lucri spe ducti. Porrò hi omnes dicunt æmulationem Dei se habere,

ſed non habent ſecundum ſcientiam ſalutis: vnde etiam ſæpè per eos via veritatis blaſphematur, & in auaritia fictis verbis de populis negotiantur, vt prædixit Princeps Apoſtolorum: *Quibus ideo iudicium diuinum iam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat; quia vt irrationabilia pecora, natu aliter in captionem, & in perniciem, in his quæ ignorant, blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt: ſunt enim fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſeruatur.*

Rom. 10. 2. Petr. 2.

5. Quoad Tertium, octo poſſunt afferri *Notæ* veræ diuinæ miſſionis: quia octaua omnium perfectio eſt, & proprium officium prædicationis, ad Epiſcopos & Paſtores pertinet directè & ordinariè; illi autem debent eſſe in ſtatu perfectionis. Itaque prima Nota, eſt ipſa *vocatio*, non petita ſiue per ſe ſiue per alios, ſed potius humiliter & quaſi violenter accepta à poteſtatem habentibus vocare operarios in vineam Domini: talis fuit vocatio Moſis, Aaron, Ieremiæ, & Prophetarum in veteri Teſtamento; & in nouo, plurium ſanctorum Epiſcoporum, Ambroſij, Auguſtini, Gregorij, Alexandri, &c. *Deus* enim *vocat ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt.* Secunda Nota eſt *vitæ innocentia*, ſaltem reparata per diuturnam pœnitentiam; vnde *vnus de Seraphim calculo de altari ſumpto tetigit os Iſaiæ, & labia eius, vt ab eo auferretur iniquitas, & peccatum eius mundaretur*; deinde miſit eum prædicare peccatori autem dixit Deus: *quare tu enarras iuſtitias meas?* Tertia eſt *Zelus animarum*, à vera charitate non ficta procedens, qualis fuit zelus Patriarcharum, Prophetarum & Apoſtolorum, qui dicebant cum Paulo, *Charitas Dei & Chriſti vrget nos.* Quarta, eſt *vera humilitas* contemnens plauſus laudationes, & vanam gloriam, quia *infirma mundi elegit Deus vt confundat fortia, & intellectum dat parvulis.* Quinta, eſt *contemptus*

Iſai. 6.

Pſ. 49.

omnium

omnium bonorum corruptibilium, & *paupertas* euangelica: vnde Petrus vocatus & à Christo missus cum aliis Apostolis, omnium nomine dixit ei: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*: Ideo etiam Christus voluit *suos ire sine virga, sine pera, sine calceamentis ad exercitium prædicationis.* Sexta, est *constantia* & fortitudo animi; quia *Christus misit suos, sicut ipse missus est ad tolerandas passiones*; & ait eis, *nolite timere eos qui occidunt corpus*: sicut Deus olim dixerat Ieremiæ, *ne timeas à facie eorum, nec timere te faciam vultum eorum, quia posui te vt murum æreum.* Septima, est *diuina cooperatio* per signa sermonem confirmantia; siue sint physica, qualia sunt miracula, quæ non sunt amplius necessaria, vt erant in primis temporibus fundationis Ecclesiæ: siue moralia, quæ sunt irreprehensibilitas, & inconfusibilitas Prædicatoris, aliæque eius eximiæ virtutes, quæ confirmant eius dicta per exempla vitæ. Octaua, est *fructus audientium*, nempe peccatorum conuersio, iustorum confirmatio, & progressus in virtute, præsertim restitutiones, reconciliationes, & elongatio seu fuga occasionum peccati; quibus adde *sanam doctrinam*, siue speculatiuam, siue practicam, conformem sacræ Scripturæ, sanctis Patribus, veteri traditioni, & Conciliis. Vide ergo ne aliqua ex iis Notis careas; omnes enim credo necessarias in vero Prædicatore Euangelico.

Ierem. 1.

CAPVT XVI.

De conditionibus & qualitatibus Prædicatoris Euangelici.

1. DOctores & Prædicatores Euangelici iusto titulo assimilantur quatuor mysticis animalibus quæ describuntur in Ezechiele, quæ quidem

vehebant currum diuinæ gloriæ ; cum ad eos ſpectet *portare nomen Dei, & nomen Ieſu in Gentibus*, vt de
Act. 9. Doctore Gentium ſcribitur, & vt cœli viuentes
Pſal. 18. *enarrare gloriam Dei*, & annuntiare *Mirabilia ope-*
Pſ. 310. *ra Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* Vnde ex hac ſacra viſione Ezechielis, poſſumus conjicere conditiones & qualitates requiſitas in Euangelicis Prædicatoribus, vt dignè & vtiliter impleant ſuum ſanctum miniſterium ad Dei gloriam & proximorum ſalutem ; & ideo attendamus ad ſingulas circumſtantias huius viſionis myſticæ quatuor animalium,
Auguſt. quæ primò quatuor Euangeliſtas figurabant, ex D.
ſuper Auguſtino, ac proinde Prædicatores, cum euange-
Apoc. 3. lizare & prædicare regnum Dei idem ſit in Scripturis ; & Prædicatores omnes debeant populis linguâ ſuâ exponere diuina myſteria, quæ ſancti Euangeliſtæ ſcripſerunt, tanquam organa Spiritus ſancti,
Pſ. 44. diuini ſcribæ velociter ſcribentis : Habes ergo iam numerum myſticum quaternarium in iis qui quadruplicem intellectum & ſenſum Scripturarum debent populis explanare, & ſic à Deo miſſi, & à Spiritu-ſancto edocti, illuſtrant quatuor mundi partes, ſignatas per quatuor quadrigas. Ex quo iam vides primam qualitatem qua debent ornari Prædicatores, ſcilicet veram ſcientiam ſalutis, quam edocere, & per linguæ ſuæ calamum inſcribere debent in animis auditorum ſuorum.

2. Hæc animalia vocantur *Cherubim*, quod Hæbraïcè ſignificat *quaſi magiſtri, quaſi multiplicantes, quaſi pugnantes*, aut etiam *cognitionis aut ſcientiæ multitudines* : quia Prædicator debet eſſe quaſi fons ſeu origo ſcientiæ, id eſt ſcientificus, non ſciolus; loquor de vera Theologia & ſcientia ſanctorum & ſalutis ; aliàs hæreſes vel ſaltem errores ſpargere poſſet. Eſt etiam quaſi magiſter in quantum alios docet & inſtruit, non quidem ex ſe ipſo, ſed per

lumen acceptum à Patre luminum : vnde dicitur non simpliciter magister , sed quasi magister ; *vnus est enim magister vester , omnes autem vos fratres estis,* inquit Christus : Debet quoque Prædicator multiplicare seu fœcundare Ecclesiam per conuersionem Infidelium & peccatorum , Dei gratia , non sua virtute ; vnde dicitur quasi multiplicans. Tandem, quia Prædicatio Euangelica est spiritale certamen contra errores & vitia , & contra spiritales nequitias quas vincere debet non propria virtute , sed Dei , vocatur quasi pugnans & vincens. Ex quo habes secundam qualitatem veri prædicatoris , scilicet vnionem intimam cum Patre luminum , cum Iesu Christo , vero magistro , & cum Spiritu-sancto , sicut habere debet radius cum sole , & instrumentum cum motore , & causa mouente ; quæ quidem vnio habetur per gratiam iustificantem, & per continuum orationis exercitium. Quod confirmatur ex eminentia perfectionis Cherubim : sunt enim spirituales intelligentiæ primæ hierarchiæ , quas imitari debent Prædicatores in puritate & spiritali conuersatione cum Deo. Matt. 23. 8.

3. Locus, qui congruit sanctorum Doctorum & Prædicatorum probationi , est de medio ignis siue charitatis , siue tribulationis , vel potius charitatis patientis , vt per impatientiam & timores nocturnos vanæ hominum displicentiæ , seu etiam minarum non detineant verbum Dei & veritatem æternam in iniustitia. Vnde Prouerbiorum 19. *Doctrina viri per patientiam noscitur:* & vt ait Gregorius , *tanto minus vnusquisque ostenditur doctus , quanto minus patiens : neque enim potest veraciter bona docendo impendere , si viuendo nescit aduersa æquanimiter tolerare.* Procul ergo à Cathedris Euangelicis Neophyti, & non satis probati & tentati per omnia , ne in superbiam elati *incidant in tentationes Diaboli.* Rom. 1. 2.

4. Attende similitudines vultuum eorum, scilicet

1. Faciem *hominis*, quæ Prædicatores debet reddere humanos, mites & benignos. 2. Faciem *bouis*, quæ eis indicat firmitatem, duritiem, seu austeritatem vitæ, & infatigabilitatem. 3. Faciem *leonis*, quæ eos reddat formidabiles mundo, carni, & Dæmonibus, & fortes ac impauidos. 4. Faciem *aquilæ*, quæ eorum à terra eleuationem ad Deum vsque designat. Hinc necesse est vt Prædicator Euangelicus per orationem & contemplationem sit semper suspensus & Deo vnitus, per continuum laborem infatigabilis, per mansuetudinem ouilem non tantum benignus & pacificus, sed etiam patiens & mori paratus pro Euangelio tanquam bos immolandus: ac tandem generosus & intrepidus *vt Leo, qui non pauet ad aspectum cuiuscumque.*

5. Verum nota, quod *manus hominis apparebant sub pennis eorum*, quod designat continuata bona opera Prædicatoris ante & post prædicationem, iuxta illud, *cœpit Iesus facere, & docere*; nam *loquendi authoritas perditur cum vox opere non adiuuatur*, vt ait D. Gregorius. Hæc autem opera non tantum debent esse bona & sancta in se, sed etiam debent esse rectè, & rationabiliter facta cum recta intentione Dei gloriæ, & salutis proximi procurandæ: Ideò eorum pedes dicuntur recti, vt possint dicere cum Ecclesiastico, *Ambulauit pes meus iter rectum: si enim oculus intentionis nequam est, totum corpus tenebrosum erit.*

Act. 1.

Lib. 1. Moral.

Eccl. 15. v. 20.

6. *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur*: veri enim Doctores & Prædicatores Euangelici non sequuntur suum spiritum, nec affectus carnales aut vanos, sed continuum motum Spiritus-sancti eos dirigentis, illuminantis, & illos mouentis per charitatem, quæ est simul lucens, ardens, & ordinans, iuxta illud, *ordinauit in me charitatem, & concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Hinc

Digitized by Google

Prædicatores debent multum orationi & meditationi vacare, vt ait sapiens: *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium, lex Dei in corde ipsius*; sicque in hac fornace sancta haurient diuinam charitatem & ignem Spiritus-sancti. Psal. 36. 20.

7. *Non reuertebantur hæc animalia cum ambularent, sed semper gradiebantur, & vnumquodque coram facie sua ambulabat*: vt sciant veri Doctores & Prædicatores debere 1. Semper in virtute proficere, nec vnquam retro abire; ne cum aliis prædicauerint, ipsi reprobi efficiantur, quod timebat Apostolus. 2. Continuo exercitio diuinæ præsentiæ vacare, & filium Dei Iesum Christum vt suum verum exemplar præ oculis habere. 3. Non attendere ad alios Prædicatores, vt vitent iudicia temeraria, inuidiam, contemptum, odium, atque etiam periculosas contentiones, & damnabilia schismata in Dei Ecclesia; vnde bene dicitur, quod *vnumquodque eorum coram facie sua ambulabat.*

8. Tandem, vt paucis verbis conditiones & qualitates veri Doctoris, & Prædicatoris Euangelici complectar; debet esse vt Angelus, puritate; Cherubim, scientia salutis; Seraphim, charitate; cœlum, incorruptibilitate; astrum claritate; nubes, fœcunditate roris cœlestis; canis, fidelitate, vigilantia, & continuo latratu aduersus lupos inferni; medicus curatione morborum spiritualium; pictor impressione cœlestium & Christianarum veritatum in animis auditorum: architectus sapiens in ædificatione templorum spiritualium; Apostolus paupertate Euangelica, & zelo diuinæ gloriæ ac salutis proximorum: etenim in Scripturis sanctis his titulis & nominibus insigniuntur Doctores & Prædicatores. Caue ergo ne velis volitare ante pennas natas, nec tibi cereas adaptes, memor fabulæ aut parabolæ Icari. *Aperi ergo os tuum*, inquit Ambrosius, *sed* Amb. in Luc.

prius vt aperiatur, implora; vita enim verbum erigit & acquirit, & sermo sine vita, non est Dei sermo, quia in ipso vita erat. Itaque qui Christum annuntiat, ab omni vitiorum incentiuo præstare se debet alienum.

Ier. 1.

Ambr. sermone de Ieiuniis.

CAPVT XVII.

De his quæ euitare & facere debet ante & post prædicationem Prædicator Euangelicus. Iuxta Concilium D. Pauli, vt fructum multum afferat.

1. PRædicatorum Euangelicorum Coripheus, & magister, ex mente Ecclesiæ, est *D. Paulus Apostolus, magnus prædicator, & Doctor Gentium*; vt ipsa canit iustissimè: vnde non solum viuus artem hanc sacram edocuit suos sanctos Discipulos Timotheum & Titum, sed etiam suis scriptis admirandis edocuit omnes Patres Ecclesiæ, præsertim, Chrisostomum, Augustinum, Ambrosium, & alios qui epistolas eius sæpissimè perlegebant, vt possent eum imitari in hoc sacro ministerio, & euitare quæ condemnat, & facere quæ consulit facienda; Illum ergo etiam sequi debemus, vt discipuli magistrum.

2. Meditare itaque sapientissima consilia quæ præbet sancto Timotheo. *Episcopum* inquit *oportet esse non neophytum, non vinolentum, non percussorem, non litigiosum. non turpis lucri cupidum; oportet illum testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt. Ineptas autem & aniles fabulas deuita, attende tibi & doctrinæ Nemo adolescentiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidelium, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate. Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ. Seniorem ne increpaueris, sed obse-*

1. Tim. 3. 2.

Ibid. cap. 4.

Ibid. cap. 5.

era vt patrem; Iuuenes, vt fratres, anus, vt matres; iuuenculas, vt sorores. Prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Tu vero vigila, opus fac Euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Quæ quidem consilia non tantum Episcopum, sed etiam Pastorem, Doctorem, & Prædicatorem Euangelicum spectant, cum ex præcipuis Episcopi & Pastoris ministeriis sit diuini verbi prædicatio, quæ est munus apostolicum, prout ipsimet sancti Apostoli censuerunt, & in Concilio habito de electione septem Diaconorum, vt ministrarent mensis, decreuerunt, dicentes: *non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo viros ex vobis boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus; nos verò orationi, & ministerio verbi instantes erimus.*

2. ad Tim. 4. 2.

Act. 6.

3. Itaque possumus colligere ex verbis Apostolorum, & præsertim illius qui ait, *in quo positus sum ego prædicator, & Apostolus*, quid debeat fugere aut facere Prædicator Euangelicus ante prædicationem, in ipsa prædicatione, & post prædicationem, vt sit Deo grata, proximo vtilis, & ipsimet prædicatori, ne cum aliis prædicauerit, ipse reprobus efficiatur.

1. ad Tim. 2.

4. Ergo ante prædicationem hæc sequere consilia. 1. Si non es Episcopus aut Pastor, habens missionem ordinariam, noli præsumptione, & proprio spiritu motus, prædicare sine permissione Episcopi, aut etiam proprij Pastoris; aliàs oleum & operam perdes, quia Deus non dabit tibi verbum euangelizanti virtute multa. 2. Scito Prædicatorem Neophytum condemnatum esse à beato Paulo; & ideo caue ne si iunior prædices, auditores condemnent adolescentiam tuam; Itaque abstine à pruritu prædicationis, seu potius vanitatis: *esto prius exemplum fidelium in fide, in castitate, in charitate, attende tibi,*

doctrinæ, & lectioni sanctorum, & recordare quod *Iesus cœpit facere*, & postea *docuit* & prædicauit. 3 Si vis vtiliter vacare prædicationi verbi Dei, necesse est vt à vitiis, præsertim gulæ, ebrietatis, luxuriæ, auaritiæ, iræ, & inuidiæ sis expers, vt possis *testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt*, ne auditores tibi dicant, *medice cura teipsum*. 4. Nusquam vtiliter prædicabis, nisi didiceris prius benè orare, & imiteris Christum, qui *pernoctabat in oratione Dei*; quia *in meditatione exardescit ignis* Zeli diuini, & veræ charitatis; & plus luminis hauries in fonte sanctæ conuersationis cum Patre luminum per orationem, quàm in libris: Itaque meditare attentè & humiliter materias prædicationis tuæ coram Deo, antequam illas exponas auditoribus; sic enim repletus diuino lumine, & accensus ardore Spiritus-sancti, poteris vtiliter prædicare. 5. Nullum alium tibi finem præscribe in tuis prædicationibus, præter Dei gloriam, Ecclesiæ ædificationem & salutem proximi. 6. Hauries prædicationum materias in libris sacris, præsertim in Psalmis, in libris veræ Sapientiæ, in Prophetis, in Euangelio, & in Epistolis Apostolorum; earum verò ordinem, methodum, & amplificationem in libris sanctorum Patrum Ecclesiæ, præsertim Chrysostomi, Augustini, Gregorij magni, Thomæ Aquinatis, Bernardi, & Bonauenturæ. 7. Debes semper prouidere, quem fructum possint percipere auditores, & præsertim plebs rudis, ad instructionem de rebus fidei, & ad morum conuersionem, vt moueas eos ad hunc fructum colligendum, & ad singulares virtutum affectus excitandos.

5. Caue ne vnquam prædicaturus in Cathedram ingrediaris, nisi præuia oratione, sedatis animæ tuæ passionibus, & motibus concupiscentiæ, & animo humili ac contrito super te ipsum reflexo, vt sis aptum instrumentum atque etiam vas accommoda-

Digitized by Google

tum & proportionatum gratiæ diuinæ, & illustrationi, ac motioni Spiritus-sancti, qui libenter *humilibus dat gratiam, & requiescit super humilem, & trementem sermonem diuinum.*

6. In ipso ingressu Cathedræ, te ipsum & tuam propriam gloriam debes Deo immolare, paratus ad omnia, quæ Dei prouidentia permittet tibi accidere, siue confusionem, siue applausus & gloriam, quam in suam originem, Deum scilicet refundere debes: deinde humillimè Dei auxilium implora, te commendans B. Virgini Deiparæ, tuo Angelo tutelari, & sanctis Patronis Ecclesiæ in qua prædicaturus es, imo & Angelis custodibus auditorum, quos deprecari debes vt moueant eorum corda. Tandem cogita quòd inter tuos Auditores plures sunt te ipso doctiores, sanctiores, & magis illuminati, vt scias te eos debere tractare cum reuerentia.

7. In ipsa prædicatione verbi Diuini *ineptas & aniles fabulas deuita: attende tibi, doctrinæ & exhortationi. Seniores & presbyteros ne increpaueris, sed obsecra vt patres; Iuuenes, vt fratres; anus, vt matres Iuuenculas, vt sorores;* peccatores autem *argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina;* nihil proferens quod risum excitare possit, id enim contrarium est grauitati, & sacræ majestati diuini verbi: abstine à longioribus & politis nimium periodis, quia obscuræ sunt; à cantu seu vocis modulatione; à verbis antiquariis, aut barbaris; à gestibus puerilibus, dissolutis, atque etiam vehementioribus, seu insolentibus. Si tibi Prædicanti aliquid ingratum aut in commodum acciderit, v. g. aliquod murmur, aut strepitus campanarum, pueri vagientis, fenestræ aut portæ quæ aperiuntur, caue ab iræ motibus, & a verbis durioribus, ne per exemplum malum destruas quod per sermonem ædificare tentas. Si noueris aliquem de te malè locutum, caue ne tua imprudentia

1. Tim. 4. Ibid. cap. 5.

malum ſecretum reddas publicum, publicè in Cathedra conquerendo de eo, ſed potius tuo humili ſilentio *vince in bono malum*, meditans illud Pſalmi, *benè patientes erunt vt annuntient.* Tandem *prædica verbum opportunè*, prudenter, grauiter, ſuauiter, & ſimpliciter, *non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione & doctrina ſpiritus & virtutis Dei; quia fides noſtra non eſt in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei: nos autem non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, quæ & loquimur.*

1. Cor. 2. 4. v. 12. 13.

8. Poſt prædicationem quatuor ſunt facienda à Prædicatore Euangelico. Debet enim 1. Se-ipſum humiliare coram Deo, ab eoque veniam petere pro defectibus in ea commiſſis per temeritatem, per imprudentiam, per vanam gloriam, atque aliquando per puſillanimitatem, & vanos humanos reſpectus, *in multiloquio enim non deerit peccatum.* 2. Gratias Deo referre pro acceptis ab eo illuſtrationibus, & affectibus ſanctis, & pro fructu ab auditoribus percepto. 3. Recogitare cum pia ſuper ſe ipſum reflexione, præcipuas veritates, vt & ipſe ex eis ſalutarem fructum percipiat. 4. Deo optimo commendare ſe-ipſum, & ſuos auditores, vt dignetur eos illuſtrare cœleſti lumine, & corda eorum perfectè conuertere, atque eorum animis diuinum ſuum verbum prædicatum firmiter imprimere; ita vt nunquam excidat è cordibus eorum. 5. Tandem, poſt prædicationem ne ſit otioſus, ſed aut legat, aut oret, aut ſancto vacet operi, ne Dæmon gloriæ tentet eum, & in eo vanam excitet complacentiam; ſciens *quod neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.*

1. Cor. 3. 7.

Digitized by Google

CAPVT XVIII.

Modus facilis componendi, disponendi, & amplificandi Materiam Prædicationis.

1. QVia *Deus dat verbum Euangelizantibus virtute multa*, & qui orationi incumbunt perseueranter & humiliter, *accipiunt virtutem superuenientis Spiritus-sancti, edocturi eos omnem veritatem*; antequam quidquam aggredi tentes, vaca orationi, humilia spiritum tuum coram Deo, & implora auxilium diuinum per Antiphonam, *Veni sancte Spiritus*, &c.

2. Præuia oratione, lege Epistolam, vel Euangelium, aut quodlibet aliud Capitulum, vel Psalmum Scripturæ sacræ, vnde debes haurire textum & materiam tuæ Prædicationis: Lege, inquam, & perlege attentè & deuotè cum reflexione super tibi propositum subiectum Prædicationis faciendæ; collige sententiam breuem & fœcundam, quæ, si fieri potest, contineat diuisionem tui subiecti, siue per varios gradus, siue per diuersas rationes, quæ continentur in ea. Verbi gratia, si vis prædicare de morte, sume D. Pauli hoc effatum Rom. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt.* In hoc textu habes tres veritates de morte prædicabiles. 1. Quod peccatum est causa triplicis mortis, corporalis, spiritualis, & æternæ. 2. Quod nemo inter homines est immortalis, sed *decretum est omnibus hominibus semel mori, quia omnes in Adam peccauerunt* lege communi, & sic morti condemnati fuerunt, iuxta illud, *morte morieris*. 3. Quod peccatum est malorum om-

nium terribiliſſimum ; quia eſt cauſa mortis , quæ eſt horrenda & terribilis ſupra modum , ex ipſo Ariſtotele.

3. Poſt electionem fœcundi textus, & in eo formatam ſermonis diuiſionem, meditare tua exordia, & concluſionem, ſeu affectus & reſolutiones, aut fructum quem debes elicere aut colligere, ad temporalium bonorum contemptum , ad odium peccati, ad amorem pœnitentiæ.

4. Primum Præludium ſit facilis introductio, quaſi per quandam figuram , & abbreuiatam dicendorum imaginem , quæ debet terminari per inuocationem Sancti-ſpiritus , per B. Virginis interceſſionem: Verbi gratia, ſi de morte ſermonem ſis habiturus, potes primum exordium ſumere ex eo quòd nihil ſit communius morte , & nihil rarius eius matura recordatione , ita vt viuant communiter homines quaſi nuſquam morituri, quia videtur Dæmon ſeu ſerpens dicere filiis Adam, quod dixit eorum parentibus, *nequaquam moriemini:* hinc contra eius falſas ſuggeſtiones neceſſarium eſt diuinum Spiritus-ſancti auxilium , per interceſſionem eius quæ contriuit caput ſerpentis.

5. Alterum Præludium ſit apertio materiæ ſermonis , per quandam veritatem communem , vnde orietur diuiſio materiæ : Verbi gratia , ſi de morte agendum , poteris afferre cauſas eius facilis obliuionis, ſcilicet quia 1. Homines alliciuntur tantum viſibilibus bonis. 2. Quia abhorrent à cogitatione eorum quæ triſtitiam & dolorem mouent, atqui *amara eſt mortis memoria homini pacem habenti.* 3. Quia veniunt volucres ſeu Dæmones , & ſemen bonum auferunt de cordibus eorum. 4. Quia omnes ferè ſe innocentes æſtimant, non autem peccatores; & ſic ſibi quaſi non morituris congratulantur. Verum non ita eſt. Sed 1. Omnes verè peccatores ſunt.

2. Atque ideò *statutum est omnibus hominibus semel mori*, nam verè peccatum est causa triplicis mortis prædictæ. 3. Vnde colligitur, quantum malum sit peccatum, & quàm horrendum & terribile, cùm sit causa mortis, & nihil sit in effectu quod non sit in causa, idque in gradu eminentiori.

6. Exordia seu præludia potes sumere. 1. Ex sententia graui Scripturæ sacræ, aut Patrum, vel etiam Philosophorum, quæ tractat de materia futuri sermonis. 2. Ex figura aliqua, vel etiam historia sacræ Scripturæ. 3. Ex veritate quadam communi. 4. Ex parabola, ænigmate, vel etiam fictione graui & grata: sanctiora tamen & grauiora sumuntur ex aliqua figura, vel historia simul veteris aut noui Testamenti. Sint autem præludia breuia, & dilucida, ne palatio major sit ianua; & illa debent etiam habere suas morales conclusiones, vt nihil vanum & sterile dicatur in prædicatione.

7. Potest Prædicator Euangelicus amplificare singula puncta seu partes sui sermonis, iisdem modis quos attulimus superiùs vbi de amplificatione orationis: sed præsertim 1. Per subdiuisiones. 2. Per tria testimonia Scripturæ, aut Patrum. 3. Per rationes quæ probent propositam veritatem. 4. Per varias figuras de quibus superius in compendio Rhetoricæ Christianæ. 5. Per interpositionem sanctorum affectuum. 6. Per variam expositionem alicuius testimonij sacræ Scripturæ.

8. Poteris amplam sermonum materiam in hoc Speculo Christianæ Religionis colligere, præsertim de Deo, eiusque perfectionibus, & de quatuor nouissimis in priori libro; de Religione, Fide, Spe & Charitate, & vitiis oppositis, in secundo, tertio & quarto libro; de præcipuis Fidei Christianæ mysteriis, de septem Ecclesiæ Sacramentis, & punctis Controuersiæ cum Hæreticis nostri tempo-

ris, in quatuor primi libris, ſed præſertim in quarto libro; imo ſingula Capitula horum quatuor librorum poſſunt eſſe vtiliſſima materia tot Prædicationum; cùm nihil contineant præter veritates, ſubiecta & ceremonias noſtræ Religionis.

9. Si hæc Capitula attentè & diligenter perlegeris, inuenies communiter totam Prædicationem cum ſuo Exordio & ſua concluſione efformatam; ita vt Exordium ſit primus articulus; intermedij verò, Partitionem & diuiſionem tibi ſuppetant; & vltimus, Epilogum [& Concluſionem. Tibi reſtabit teſtimonium aliquod è ſacra Scriptura colligendum, conforme materiæ Capituli, cum primo Exordio quod diſpones iuxta regulas articuli ſexti huius Capituli præſentis.

10. Omnes veritates Chriſtianæ, quæ pertractantur in hoc Speculo, probantur Scriptura, traditione, & ratione naturali; en partitio tui ſermonis, ſi velis hanc ſequi. Habet autem in primo cuiuſque Capitis articulo, aliqua teſtimonia Scripturæ, Patrum, aut Philoſophorum, vel aliquam communem veritatem omnibus notam, aut figuram veteris Teſtamenti, quæ poſſunt Præludiis inſeruire. Supereſt Concluſio, quæ ſæpè in vltimo continetur articulo Capituli.

Caput XIX.

De quatuor generis Prædicationibus Euangelicæ, ſcilicet Paſtorali, Controuerſario, Miſſionario, & Catechiſtico.

1. *Omnis Scriptura diuinitus inſpirata*, inquit B. Paulus, ad *vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia*: vti- 2. Tim. 16.

lis est, inquam, ad docendum veritatem ad arguendum falsitatem, ad corripiendum delinquentes, ad erudiendum plebeios & simplices. Vides ergo in hoc Textu D. Pauli, quatuor genera Prædicationis Euangelicæ, scilicet 1. Prædicationem Pastoralem, ad docendum veritates Euangelicas familiariter, doctè tamen, vt ex eis eruantur Conclusiones morales ad rectè viuendum secundùm Regulam Euangelicam. 2. Controuersiam, ad arguendum falsitatem, errores seu hæreses, & hæreticos arguendos falsitatis. 3. Prædicationem feruentem Missionariorum, ad corripiendum delinquentes, & prauos mores corrigendos. 4. Catechisticam, ad erudiendos pueros, simplices, & plebeios.

2. Nil autem Paulus dicit de Prædicatione pompatica, seu oratoria, imò in pluribus locis videtur eam condemnare in iis *qui se ipsos prædicant, non Christum; qui in sublimitate sermonis, in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, in obscura verborum ac nimium composita serie, & aliis eiusmodi formulis *adulterant verbum Dei*, quod est simplex veritas; sapientiæ enim diuinæ *sermocinatio est cum simplicibus*: vnde etiam innuit, Prædicatores Euangelicos debere sacram Scripturam, non autem *doctas fabulas*, aut quæ ad rem non pertinent, prædicare, & populo exponere, vt *perfectus fiat homo Dei* audiens prædicationem, *& ad omne opus bonum sit instructus.*

3. Licet quatuor hi modi Prædicationis diuersi sint in se, nil tamen vetat quin Pastor aut Prædicator iis simul vtatur in vnica etiam Prædicatione secundum temporis opportunitatem, & conditionem variam auditorum. Potest enim eandem veritatem Euangelicam aliquando tractare iis quatuor modis, eandem explicans doctè, populariter, simpliciter, moraliter, atque etiam per modum controuersiæ; & tunc ad euitandam confusionem, Prædicationem in

tria vel quatuor puncta diuidet, quorum primum erit doctrinale, alterum controuerſiæ, tertium morale, ac etiam quartum familiare, & inſtructiuum.

4. Cum Paſtor prædicat, libenter auditur ab ouibus ſeu parrochianis propriis, ſicque multum fructum faciet, ſi triplicem habet authoritatem; primam, ſui muneris; alteram, morum, & bonæ famæ; tertiam, doctrinæ ſanæ & non mediocris. Controuerſiſta multum etiam fructum afferet, & diſponet multos hæreticos ad conuerſionem; ſi vltra hanc triplicem authoritatem, ſit dilucidus in ſermone & probationibus; ſi abſtinet ſe à verbis durioribus, & iniuriis aduerſus hæreticos; quin imo ſi eos tractat humaniter, ac benignè, cum honore & charitate; ac tandem ſi preces feruentes ad Deum pro eorum fundat conuerſione. Miſſionarius, vt fructum afferat, debet eſſe ſublimioris famæ, à proprio commodo alienus, feruens in ſermone, popularis, & prudenter patheticus. Ac tandem Catechiſta, ſi velit rectè erudire ſimplices, plebeios, aut pueros, debet 1. Se-ipſum & ſermones ſuos accomodare eorum captui. 2. Clarè & ſimpliciter eis exponere fidei articulos. 3. Sæpius vti ſimilitudinibus communibus & aptis ad myſteriorum explicationem. 4. Etiam hiſtoriis ſermonem contexere. 5. Sæpius eos interrogare de iis quæ expoſuit. 6. Nec ſemel, ſed pluries repetere expoſitionem veritatum, quas tractat. 7. In fine Catechiſmi, recapitulationem breuem facere omnium quæ expoſuit. 8. Concluſiones morales eruere ex iis quæ dixit. 9. Laudare & extollere eos qui ſe diligentes, attentos & modeſtos præbent, eiſque pia munuſcula præbere. 10. Ac tandem nuſquam nouam veritatem exponere in ſequenti Catechiſmo, quin prius per ſe, vel per alium repetierit breuiter præcedentem materiam expoſitam. Meminerit ergo harum ſententiarum Diui Pauli:

Pauli : *Omnia omnibus factus sum, vt omnes lucrifaciam. Insipiens factus sum propter vos. Vos me coëgistis ; vobis tanquam paruulis lac dedi, non solidum cibum.* Nihil hic de Controuersia dicam, eam breuiter expositurus inferius. 2. Cor. 12. 11.

CAPVT XX.

De Pronao pastorali, & parrochiano.

1. PArs illa Missæ publicæ & parrochialis, quæ communes preces, & Christiani officij doctrinam complectitur, vsitato iam nomine *Pronaum* appellatur, vel *Pronum* ; Pronum quidem, ab inclinatione quæ debet fieri ab omnibus, dum fiunt publicæ preces. Rectiùs verò dicitur *Pronaum*, à naui Ecclesiæ, in qua secundum Diuum Chrysostomum fieri solitum erat, & adhuc fit. Homil. lia 3. de Dei natura.

2. Huius Pronai forma, prout vsque hodie in parrochiis obseruatur, prorsus ad Apostolicæ institutionis, & sanctorum Conciliorum Regulam expressa est, sicut & forma Missæ parochialis, quæ est antiqua synaxis, vt patet ex sequentibus verbis Tertulliani : *Corpus*, inquit, *sumus de conscientia Religionis, & disciplinæ vnitate, & spei fœdere. Coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum quasi manu-facta, precationibus ambiamus orantes : hæc vis Deo grata est. Oramus etiam pro Imperatoribus, pro Ministris eorum & potestatibus, pro statu sæculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Cogimur ad diuinarum litterarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere. Certè fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus densamus. Ibidem etiam ex-* In Apologetico.

hortationes, castigationes, & censura diuina. Nam & iudicatur magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu: summumque futuri iudicij præiudicium est, si quis ita deliquerit, vt à communione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur.

3. Itaque in *Pronao* tria facere debet Pastor. Primò enim, debet communes preces Deo offerre. Secundò, debet communes & singulares Leges Ecclesiæ promulgare, & ea omnia quæ ad politiam sacram pertinent: Verbi gratia, statuta & præcepta Dei & Ecclesiæ; & illud præsertim de audienda Missa parrochiali, cuius frequens denuntiatio est de communi, & antiqua consuetudine Ecclesiæ. Festa & iejunia seruanda, Matrimonia contrahenda, Monitiones excommunicationum ferendarum, admonitiones ad suscipiendos Ordines, publicationes indulgentiarum, denuntiationes excommunicatorum, & alia id genus. Tertiò, debet prædicare, & exponere populis aliquid de eo quod in Epistola, vel Euangelio lectum est, iuxta præceptum Concilij Tridentini, cuius hæc

Sess. 5. cap. 2. sunt verba. *Quicumque*, inquit, *parochiales Ecclesias obtinent, per se, vel per alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum breuitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas sectari oporteat,* &c.

Sess. 22. cap. 8. Et alibi. *Mandat sancta Synodus pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, vt frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera, sanctissimi huius sacrificij mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis, & festis.*

4. Ex quibus verbis tria debemus colligere. Primum, Pastores seu Parrochos teneri singulis Domi-

Digitized by Google

nicis & festis inter Missarum solemnia siue per se, siue per alios si legitimè fuerint impediti, prædicare familiari seu populari modo, quia verba Concilij sunt expressa. Alterum, in hac prædicatione, seu exhortatione eos debere abstinere ab inutilibus quæstionibus, & à nimia speculatione, aut etiam à nimio verborum ornatu, ne ad ingenij sui ostentationem dicendo, tempus ad salutem populi datum eximant; quinimò oportet eos paterno affectu velut circumfusæ familiæ salutarem doctrinam, quasi cibum spiritualem ad vitam animæ necessarium, simplici & affectuoso sermone tradere. Tertium, ideo etiam parrochianos teneri adesse singulis Dominicis & festis suæ Missæ Parrochialis & pronao: mutua est enim Pastoris & ouis obligatio; pastoris quidem pascere, ouis verò pasci: vide etiam addit idem Concilium Tridentinum, *teneri vnumquemque parrochiæ suæ interesse, vbi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* Adde quod in Pronao omnia quæ superiùs notauit, denuntiantur Festa, ieiunia, monitiones & quæcumque Episcopus mandare voluerit, quæ ideò debent sciri vt seruentur. Atqui *ignorans ignorabitur.*

CAPVT XXI.

De materia Pronai, seu pastoralis prædicationis, quæ potest desumi ex hoc Speculo Christianæ Religionis, & vtiliter pertractari inter Missarum solemnia, singulis Dominicis & festis solemnibus totius anni.

1. CVm hoc Speculum Christianæ Religionis, sit quoddam Compendium sacræ Theologiæ, continens diuina mysteria quæ sunt fidei nostræ

obiectum, ſpei noſtræ fundamentum, diuinæ Charitatis incentiuum, veræ cordis conuerſionis vrgens motiuum, & omnium virtutum quæ ſunt ad ſalutem neceſſariæ, cœleſte quoddam ſeminarium, nihil in eo cernitur quod non poſſit eſſe vtiliſſima paſtoralis prædicationis aut Catechiſmi materia; ita vt ſingula fere capita poſſint vtiliter pertractari, tanquam propria materia ſingularis Prædicationis, exhortationis, aut Catecheſis: Et vt faciliùs poſſis deligere conuenientes opportunitati temporum materis exhortationnm & Catecheſeon, præſtat tibi eas exponere per ordinem, ac ſimul capitula ex quibus illas haurire poteris.

2. Itaque ſi vis per totum Aduentum prædicare de congrua tempori materia.

1. Prædicatio ſit deſumpta ex cap. 22. primi libri, quod eſt de peccato originali, ſeu prima corruptione naturæ humanæ. Pro Themate habes textum D. Pauli. *Per peccatum mors venit in mundum*, &c. Pro Præludio, *Homo cum in honore eſſet, non intellexit*, &c. Pro Diuiſione, habebis probationem ex triplici parte. 1. Eſt ex Deo reuelante per Scripturam ſacram. 2. Ex Traditione, eiuſque præcognitione apud omnes populos & Philoſophos. 3. Ex effectibus eius, & ratione naturali, quæ illud ſaltem probabile reddit.

Rom. 5. 12. Pſ. 48.

2. Prædicatio. Ex cap. 23. eiuſdem libri, de odio, & iuſta punitione peccatorum per Deum iuſtum iudicem.

3. Prædicatio. Ex cap. 16. lib. 3. de prædictione & prophetiis futuræ Incarnationis.

4. Prædicatio, in feſto Conceptionis B. Virginis. Ex cap. 31. lib. 3. de ſanctis & illuſtribus fœminis, quæ Virginem Deiparam præfiguraruntꝰ

5. Prædicatio. Ex cap. 30. lib. 3. De Patriarchis, Prophetis, & illustribus viris, qui in vita & actibus Christum Messiam præfiguratunt.

6. Prædicatio. Ex cap. 14. lib. 4. De recreatione & reparatione humani generis per Christum Messiam.

7. Prædicatio. Ex cap. 15. lib. 4. De ipsamet incarnatione Filij Dei.

8. Prædicatio. Ex cap. 16. lib. 4. De Virginali Christi conceptione, per operationem Spiritus-sancti in sinu B. Mariæ virginis.

9. Prædicatio. Ex cap. 17. lib. 4. De admirabili Christi Natiuitate, per omnes Creaturarum ordines signata.

10. Prædicatio. Ex cap. 18. lib. 4. De conuenientia circumstantiarum Natiuitatis Christi.

11. Prædicatio, vel in festo Circumcisionis. Ex eodem capite circa medium. De Circumcisione Christi.

12. Prædicatio, vel in epiphania. Ex eodem capite. De Christi adoratione per Magos: & sufficientem materiam reperies in cap. 15. lib. 2. De prænotionibus Christianæ Religionis, in Perside, Chaldæa, & Arabia, & eorum Magis.

13. Prædicatio, vel in festo SS. Innocentium. Ex eodem capite 18. lib. 4. articulo 6. De persecutione Christi per Herodem, & cæde Innocentium.

14. Prædicatio. Ex cap. 7. lib. 4. De admirandis Christi operibus.

15. Prædicatio. Ex cap. 8. lib. 4. De sapientia Christi.

16. Prædicatio. Ex cap. 9. lib. 4. De Bonitate Christi.

17. Prædicatio. Ex cap. 24. lib. 1. De iustitia diuina apparente in iudicio animæ separatæ à corpore.

18. Prædicatio. Ex cap. 24. lib. 4. De vltimo Christi summi omnium iudicis aduentu.

19. Prædicatio. Ex cap. 29. lib. 1. De Iudicio extremo, vltimo actu publico diuinæ iustitiæ.

20 Prædicatio. Ex cap. 30. lib. 1. De Cultu animæ.

3. Si vis prædicare per totam Quadragesimam.

Prima Prædicatio poterit desumi in die Cinerum ex cap. 22. lib. 1. De morte, & aliis effectibus peccati originalis.

2. Prædicatio. Feria 5. Ex cap. 23. lib. 1. De odio Dei contra peccatum, & peccatores.

3. Prædicatio. Feria 6. Ex cap. 24. lib. 1. De iudicio particulari animæ

Dominica 1. 4. Prædicatio. Dominica 1. Quadragesimæ. Ex cap. 8. lib. 4. De Christi sapientia.

5. Prædicatio. Feria 2. Ex cap. 29. lib. 1. De iudicio extremo.

6. Prædicatio. Feria 3. Ex cap. 24. lib. 1. Vel ex cap. 45. De Purgatorio.

7. Prædicatio. Feria 4. Ex cap. 25. lib. 1. De iustitia diuina damnante impios.

8. Prædicatio. Feria 5. Ex cap. 26. lib. 1. De Diuina misericordia, & bonitate in remuneratione iustorum, seu de gloria æterna.

9. Prædicatio. Feria 6. Ex cap. 28. lib. 1. De fine mundi.

Dominica 2. 10. Prædicatio. Dominica 2. Ex eodem capite. De conflagratione & innouatione mundi. §. 11.

11. Prædicatio. Feria 2. Ex cap. 1. lib. 1. De necessitate, dignitate, & antiquitate Religionis.

12. Prædicatio. Feria 3. Ex cap. 2. lib. 2. De falsis Religionibus, seu potius superstitionibus.

13. Prædicatio. Feria 4. Ex cap. 7. lib. 2. De vnitate veræ Religionis.

Digitized by Google

14. Prædicatio. Feria 5. Ex cap. 8. lib. 2. De vera Religione in lege Naturæ.

15. Prædicatio. Feria 6. Ex cap. 9. lib. 2 De ortu veræ, & Christianæ Religionis in Cœlo, & in lege Naturæ.

16. Prædicatio. Dominica 3. Ex cap. 10. lib. 2. De statu Christianæ Religionis in lege Naturæ. Dominica 3.

17. Prædicatio. Feria 2. Ex cap. 11. lib. 2. De Prænotionibus Christianæ Religionis ante diluuium.

18. Prædicatio. Feria 3. Ex cap. 12. lib. 2. De respersione & propagatione veræ fidei & Religionis per omnes Nationes.

19. Prædicatio. Feria 4. Ex cap. 1. lib. 3. De Electione Abrahami à Deo, vt sit pater fidei.

20. Prædicatio. Feria 5. Ex cap. 13. lib. 2. De prænotionibus Christianæ Religionis in Ægypto.

21. Prædicatio. Feria 6. Ex cap. 15. lib. 2. De prænotionibus Christianæ Religionis in Persida, & Arabia.

22. Prædicatio. Dominica 4. Ex cap. 21 lib. 2. De prænotionibus Christianæ Religionis apud Gallos, & Occidentales populos. Dominica 4.

23. Prædicatio. Feria 2. Ex cap. 22. lib. 2. De Druidarum Religione, & solemni sacrificio, quod fuit illustris figura duplicis Christi sacrificij.

24. Prædicatio. Feria 3. Ex cap. 3. & 12. lib. 3. De Moysis missione & electione ad promulgationem Legis scriptæ, quæ fuit figura mysteriorum Christi.

25. Prædicatio. Feria 4. Ex cap. 41. lib. 3. De Traditione mysteriorum fidei Christianæ, quam Iudæi vocant *Cabalam.*

26. Prædicatio. Feria 5. Ex cap. 5. lib. De adorando Dei nomine, indicante sacro-sanctum Trinitatis mysterium.

27. Prædicatio. Feria 6. Ex cap. 7. lib. 3. De sacrosancto nomine IESV.

Dominica Passionis.

28. Prædicatio. Dominica Passionis ex eodem cap. 7. lib. 3. num. 3. & 4. De Tabulis lapideis, in quibus Lex digito Dei insculpta erat, & de Tabernaculo fœderis, prout fuerunt figuræ Christi mysteriorum, eiusque Ecclesiæ.

29. Prædicatio. Feria 2. Ex eodem cap. 7. lib. 3. De Virga mirabili Moysis & Aaronis, asseruata in Tabernaculo veteri, prout fuit excellens figura Christi, & Passionis eius.

30. Prædicatio. Feria 3. Ex eodem cap. 7. lib. 3. num. 5. De Manna, prout fuit Christi figura, præsertim in Eucharistia.

31. Prædicatio. Feria 4. Ex cap. 17. lib. 3. De sacrificiis veteris Legis, prout fuerunt figura duplicis Christi sacrificij.

32. Prædicatio. Feria 5. Ex cap. 19. &c. lib. 3. De Purificationibus triplicis Legis.

33. Prædicatio. Feria 6. Ex cap. 30. lib. 3. De tribus SS. Patriarchis, scilicet Abel, Isaac, & Ioseph, qui Christum præsertim in Passione sua præfigurarunt.

Dominica Palmarum.

34. Prædicatio. Dominica Palmarum. Ex eodem cap. 30. lib. 3. De duplici Christi sacerdotio, præfigurato in Melchisedech & Aaron.

35. Prædicatio. Feria 2. Ex eodem cap. 30. lib. 3. De tribus aliis sanctis Patriarchis, scilicet Iob, Samsone, & Dauide, qui Christum patientem præfigurarunt.

36. Prædicatio. Feria 3. Ex cap. 14. lib. 4. De reparatione humani generis per Christum Messiam, qui ex Scripturis & Traditione veterum, est via salutis, veritas æterna, & vita beata.

37. Prædicatio. Feria 4. Ex cap. 19. lib. 4. De circumstantiis vitæ Christi, & mysteriis sub iis contentis.

38. Prædicatio. Feria 5. In Cœna Domini. Ex cap. 34. lib. 4. De veritate sacrificij Melchisedechiani, à Christo oblati.

Digitized by Google

39. Prædicatio. In die Passionis. Ex cap. 20. lib. 4. De Passione & morte Christi.

40. Prædicatio. In Sabbato sancto. Ex cap. 26. vel 27. lib. 4. De Baptismo, & aqua eius materia, quæ hodiè benedicitur.

41. Prædicatio. Dominica Resurrectionis. Ex cap. 22. lib. 4. De gloriosa Christi Resurrectione. Dominica Resurrectionis.

42. Prædicatio. Feria 2. Ex cap. 27. lib. 1. De communi corporum Resurrectione futura, probata per Naturæ exempla, & veterum Traditionem.

43. Prædicatio. Feria 3. Ex eodem cap. 27. lib. 1. De eadem futura Resurrectione, probata per Scripturam & rationes congruas.

44. Prædicatio. Dominica in Albis. Ex cap. 7. lib. 4. De admirandis Christi operibus; præsertim de totius mundi conuersione ad Religionem Christianam. Dominica in Albis.

4. Si velis per Octauas sanctissimi Sacramenti prædicare, habes materiam abundantem in libro 4. à cap. 32. vsque ad caput 40.

5. Si vis per singulas Dominicas totius anni prædicare, non deerit tibi sufficiens materia in hoc Speculo. Nam præter eam materiam quam notaui in Aduentu & Quadragesima, poteris:

Dominica 1. Post Epiphaniam, tractare de Baptismi Sacramento, occasione Baptismi Christi. Quære in cap. 26. lib. 4. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.* Ioan. 1.

Dominica 2. De sacramento Matrimonij. cap. 42. lib. 4. *Nuptiæ factæ sunt in Cana.* Ioan. 20.

Dominica 3. De Pœnitentiæ sacramento. cap. 31. lib. 4. *Si vis, potes me mundare.* Matth. 8.

Dominica 4. De Fide, & materiam sufficientem

reperies cap. 1. lib. 2. puncto 3. & cap. 9. lib. 2. & cap. 12. lib. 2. & cap. 5. & 59. l b. 4.

Dominica 5. De Hæresi. 1. Quid sit. 2. Vnde ortum habet, nempè à Sophistica Philosophia. 3. Scindit Ecclesiæ vnitatem. 4. Sibimet opposita & contraria. Vide cap. 5. lib. 2. *Non-ne bonum semen seminasti in agro tuo? vnde ergo habet zizania?* Matth. 8.

Dominica 6. De Ecclesia, quæ primò, ortum habuit cum mundo, in cœlo nata. cap. 9. lib. 2.

2. Quid sit. Cap. 41. & 50. lib. 4. *Est Regnum cœlorum* corpus Christi, *castrorum acies*, ac proinde vnica. cap. 7. lib. 2. & cap. 4. lib. 4.

3. Eius admirabilis cultus, siue exterior, siue interior. *Simile est regnum cœlorum grano synapis.* Matt. 13.

Dominica Septuagesimæ. *Exiit primò manè conducere operarios in vineam suam.* Matth. 20.

1. De Fidei & Religionis luminis effusione per omnes Nationes. cap. 12. lib. 2.

2. De Missione Abrahami & Moysis cap. 1. & 3.

3. De Conuersione mundi per Apostolos. cap. 25. lib. 4. puncto 9.

Dominica Sexagesimæ. Luc. 8. *Semen est verbum Dei.* De dignitate & excellenti virtute ministerij verbi Dei. cap. 13. lib. 5.

Dominica Quinquagesimæ. Luc. 18. *Consummabuntur omnia quæ scripta sunt de Filio hominis.* De complemento & impletione prophetiarum de Christo. cap. 16. lib. 3. & cap. 29. eiusdem libri, & cap. 32. eiusdem libri.

Dominica 1. Quadragesimæ. Matth. 4. *Et cum ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.* De ciborum abstinentia & ieiuniis. cap. 57. lib. 4.

Dominica 2. Quadragesimæ. *Faciamus hic tria tabernacula.* Matth. 17. De tribus Tabernaculis veterum Patriarcharum. cap. 13. lib. 3.

Dominica 3. Quadrageſimæ. Luc. 11. *Erat Ieſus eijciens Dæmonium, & illud erat mutum.* De Dæmonibus & eorum peccatis, eiuſque effectibus. cap. 19. lib. 1.

Dominica 4. Quadrageſimæ. Ioan. 6. *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* De diuina prouidentia, omnia gubernante. cap. 6. & 7. lib. 1.

Dominica Paſſionis. Ioan 8 *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* De ſapientia Chriſti. cap. 8. lib. 4. Vel de eius bonitate. cap. 9. lib. 4.

Dominica Palmarum. Matth. 21. *Soluite & adducite mihi.* De tribus partibus Pœnitentiæ. cap. 31. lib. 4. num. 6. & ſequentibus.

Feria 5. In Cœna Domini. Ioan. 13. *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos* De ſacra Communione Corporis Chriſti. cap. 35. lib. 4.

Feria 6. Paſſionis. Ioan. 19. *Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit ſpiritum.* De conuenientia Chriſti Paſſionis & mortis in eius circumſtantiis. cap. 21. lib. 4.

Dominica Reſurrectionis. Marci 16. *Surrexit, non eſt hîc.* De Chriſti glorioſa Reſurrectione. c. 22. l. 4.

Feria 2. poſt Paſcha. Luc. 24. *Non ne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum aperiret nobis Scripturas?* De ſacræ Scripturæ antiquitate, dignitate, & virtute. cap. 24. &c. lib. 3. Vel dignitate & virtute miniſterij prædicationis euangelicæ. cap. 13. lib. 5.

Feria 3. poſt Paſcha. Luc. 24. *Pax vobis.* De pace vera quæ in vita perfecta conſiſtit, quam Chriſtus verè docuit, & præſtitit ſuis fidelibus. cap. 2. lib. 4.

Dominica in Albis. Ioan. 20. *Pax vobis* De veritate Chriſtianæ Religionis quam Chriſtus inſtituit, proponens ſuis fidelibus verum finem vltimum, & vera media ad illum aſſequendum, cum vera pace animæ, & conſcientiæ. cap. 3. lib. 4.

Dominica 2. post Pascha. Ioan. 10. *Ego sum pastor bonus.* De sapientia, potentia, & bonitate Christi in suorum regimine. cap. 7. 8. & 9. lib. 4. Vel de conditionibus Prædicatoris euangelici. cap. 16. lib. 5.

Dominica 3. post Pascha. Ioan. 16. *Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit.* De diuinæ prouidentiæ iustificatione in aduersitate & persecutione iustorum, & impiorum prosperitate. cap. 8. lib. 1.

Dominica 4. post Pascha. Ioan. 16. *Arguet mundum de peccato.* De odio Dei, eiusque iusta vltione in peccatores. cap. 22. lib. 1.

Dominica 5. post Pascha. Ioan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* De naturali instinctu creaturarum ad Deum deprecandum cap. 1. lib. 2. De suspiriis veterum, siue Patriarcharum, siue Philosophorum aspirantium ad Christum reparatorem. cap. 14. lib. 4. Vel de Officio diuino & sacris ceremoniis. cap. 53. lib. 5.

Ascensio Domini. Marc. 16. *Assumptus est in cœlum.* De admirabili Christi Ascensione.

Dominica 6. post Pascha. Ioan. 15. *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre,* &c. De Processione Spiritus-sancti, & à Patre, & Filio, vt amor, vt vita, vt sacer nexus. cap. 12. lib. 4.

Dominica Pentecostes. Actorum 2. *Repleuit totam domum, vbi erant sedentes.* De visibili missione Spiritus-sancti. cap. 25. lib. 4.

Feria 2. Pentecostes. 2. Corint. 1. *Qui confirmat nos in Christo.* De sacramento Confirmationis. cap. 30. lib. 4.

Dominica Trinitatis. Matth. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* De adorando Trinitatis mysterio. cap. 10. 11. 12. & 13. lib. 4.

In festo SS. Corporis Christi. Ioan. 6. *Ego sum*

panis viuus. De veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. cap. 32. lib. 4.

Dominica infra Octauam SS. Corporis Christi. Luc. 22. *Hoc est corpus meum*, &c. *Hic est Calix noui Testamenti in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* De Transsubstantiatione. cap. 33. lib. 4. &c.

Feria 5. In Octaua SS. Corporis Christi. Matt. 26. *Hoc facite in meam commemorationem.* De sacrificio Missæ. cap. 34. lib. 4.

Dominica 3. post Pentecosten. Luc. 15. *Erant appropinquantes ei publicani, & peccatores.* De bonitate diuina. cap. 17. lib. 1. De bonitate Christi. cap. 9. lib. 4. De reparatione humani generis per Christum. cap. 14. lib. 4.

Dominica 4. post Pentecosten. Luc. 5. *Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil cœpimus. Duc in altum, & laxate retia vestra in capturam.* De abusu ministerij Prædicationis. cap. 14. lib. 5.

Dominica 5. post Pentecosten. Matth. 5. *Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & Pharizæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* De Lege Mosaïca, per comparationem ad Legem Christianam. cap. 12. lib. 3. & cap. 1. lib. 4.

Dominica 6. post Pentecosten. Marc. 8. *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me.* De diuina misericordia & bonitate in remuneratione iustorum, qui per triduum pœnitentiæ eum sustinuerant. cap. 26. lib. 1.

Dominica 7. post Pentecosten. Matth. 5. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* De iustitia diuina, damnante impios. cap. 25. lib. 1. Vel de Merito bonorum operum. cap. 6. lib. 4.

Dominica 8. post Pentecosten. Luc. 16. *Redde rationem villicationis.* De iudicio particulari. cap. 23. lib. 1.

Dominica 9. poſt Pentecoſten. *Domus mea, domus orationis eſt.* De Officio diuino, & ſacris ceremoniis. cap. 53. lib. 5.

Dominica 10. poſt Pentecoſten. Luc. 18. *Dixit ad quoſdam, qui in ſe confidebant, & aſpernabantur ceteros.* De ſuperbia, quæ eſt fidei & pietatis magnum obſtaculum. cap. 13. lib. 1. cap. 3. & 5. lib. 2. cap. 58. lib. 4.

Dominica 11. poſt Pentecoſten. Marc. 7. *Adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.* De effectibus peccati Originalis, quæ ſunt, ſurditas ſpiritalis, obcœcatio, & poſſeſſio Dæmonis. cap. 21 lib. 2. De Conditionibus veri Prædicatoris Euangelici, vt *ſurdos faciat audire, & mutos loqui.* cap. 16. & 17. lib. 4.

Dominica 12. poſt Pentecoſten. Luc. 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex & tota anima tua & ex totis viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum ſicut te ipſum.* De præcepto dilectionis in triplici Lege. cap. 8. lib. 2. cap. 13. lib. 3. cap. 2. lib. 1. Vel de Charitate. cap. 62. lib. 4.

Dominica 13. poſt Pentecoſten. Luc. 17. *Oſtendite vos ſacerdotibus.* De ordinis Sacramento. cap. 41. lib. 4. De Confeſſione. cap. 31. lib. 4.

Dominica 14. poſt Pentecoſten. Matth. 6. *Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius.* De fine vltimo, & mediis eum aſſequendi, quæ nobis Chriſti Religio proponit. cap. 3. lib. 4. De cultu animæ cap. 30. lib. 1.

Dominica 15. poſt Pentecoſten. *Acceſſit, & tetigit locum.* De Crucis viuificæ myſterio, per Chriſtum in ea pendentem. cap. 20. lib. 4.

Dominica 16. poſt Pentecoſten. Luc. 14. *Recumbe in nouiſſimo loco.* De motiuis humilitatis. cap. 22. & 23. lib. 4.

Dominica 17. poſt Pentecoſten. Matth. 22. *Quid*

vobis videtur de Christo, cuius filius est? De diuinitate Christi cap 7. lib. 4. & cap. 15. eiusdem libri.

Dominica 18. post Pentecosten. Matth. 9 *Fili, remittuntur tibi peccata tua; surge, tolle lectum tuum.* De pœnitentia, & præsertim satisfactione. cap. 31. lib. 4.

Dominica 19. post Pentecosten. *Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo.* De matrimonio, & nuptiis spiritualibus. cap. 42. lib. 4.

Dominica 20. post Pentecosten. Ioan. 4. *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* De necessitate & vtilitate miraculorum, ad fidei confirmationem. cap. 7. lib. 4. Et in epilogo lib. 4.

Dominica 21. post Pentecosten. Matth. 18 *Iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoad vsque redderet vniuersum debitum.* De Purgatorio. cap. 45. lib. 4.

Dominica 22. post Pentecosten. Matth. 22. *Abeuntes Pharizæi, consilium inierunt, vt caperent eum in sermone.* De victoria Dei, Veritatis, Religionis & virtutis in impios, & omnes hypocritas, aut infideles & hæreticos. cap. 22. lib. 1. num. 1. &c. cap. 7. lib. 4. præfatio lib. 4. & cap. 1, 2, 3. &c. eiusdem lib. 4.

Dominica 23. post Pentecosten. Matth. 9. *Si tetigero tantum vestimentum eius, salua ero.* De veneratione sanctarum Reliquiarum. cap. 48. lib. 4.

Dominica 24. post Pentecosten. Matth. 24. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa, & majestate.* De vltimo Christi aduentu, vt summi omnium iudicis. cap. 24. lib. 4.

In festo omnium Sanctorum. Apocal. 8. 3. *Data sunt illi incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium.* De cultu, & inuocatione Sanctorum. cap. 47. lib. 4.

In Commemoratione Defunctorum. 1. Corint. 3. *Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Ipſe autem ſaluus fiet quaſi per ignem.* De iuſtitia diuina purgante animas è corporibus migratas, cap. 24. lib. 1.

Tempore Iubilæorum & Indulgentiarum. 2. Cor. 2. *Cui aliquid donaſtis, & ego; nam & ego, quod donaui, ſi quid donaui, in Chriſti perſona propter vos.* De Indulgentiarum virtute, & ſancto vſu. cap. 44. lib. 4.

In Tranſlatione Sanctorum. Actor. 19. 12. *Virtutesque non quaſlibet faciebat Deus per manum Pauli; Ita vt etiam ſuper languidos deferrentur à corpore eius ſudaria, & ſemicinctia, & recedebant ab eis langores, & ſpiritus nequam egrediebantur.* De cultu & virtute ſanctarum Reliquiarum. cap. 48. lib. 4.

BREVIS METHODVS DOCENDI diuina myſteria, ſiue Atheos, ſiue Infideles, ſiue etiam Hæreticos, vel cum eis diſſertandi.

Caput XXII.

Regulæ generales obſeruandæ in diuinis myſteriis edocendis ad conuerſionem Infidelium.

Cvm omne datum optimum & omne donum perfectum deſurſum ſit, deſcendens à Patre luminum, & omnis ſapientia fluat à Domino Deo, cuius Verbum diuinum dicitur fons ſapientiæ in Altiſſimis: ante omnia debet oratio humilis, quæ cœlos penetrat, præcedere, vt in ea de fonte diuino hauriamus quæ debemus effundere: Itaque nihil aggrediendum

aggrediendum, consulto Deo, per feruentem & humilem orationem.

2. Vnde in docente diuina Mysteria quatuor requiruntur. 1. Vocatio diuina. 2. Doctrina sufficiens. 3. Oratio. 4. Recta intentio. *Vocatio* quidem diuina siue ordinaria, siue extraordinaria, vt detur nobis à Spiritu sancto, inspirante quos vocat, in illa hora quid loquamur. *Doctrina* sufficiens, ne temere in periculum erroris inducamur, vel alios inducamus in errorem. *Oratio*, vt à Deo instruamur de iis quæ docere debemus. Tandem recta *intentio* Deo placendi, & salutis proximi procurandæ, non autem nostræ ventilandæ scientiæ, & vanæ cuiusdam æstimationis compatandæ, aliàs Deus non dabit virtutem Euangelizantibus.

3. In ipso doctrinæ sanctæ exercitio quatuor adhuc sunt obseruanda. 1. Attendere debemus personas edocendas, cuius sint ingenij, eruditionis, temperamenti, conditionis, ætatis, & vitæ, seu morum probitatis, aut malitiæ, vel prauitatis, vt sciamus prudenter conuersari cum eis, & colloquia miscere eorum captui coaptata. 2. Debemus nobis edocendos conciliare verbis humilibus, gratiosis nutibus, modesto vultu, sed præcipuè charitate non ficta. 3. Debemus eos libenter & patienter audire sine vlla interruptione, licet misceant blasphemias & insolentia verba, quia *in patientia nostra possidebimus animas nostras.* 4. Debemus ab omni præcipitatione sermonis, à zelo indiscreto, qui non est secundùm scientiam, & à verbis durioribus abstinere, quia *responsio mollis frangit iram.* Prouerb. 15.

4. In ipso sermonis aditu proponendæ sunt æternæ quædam veritates ab omnibus notæ, quæ timorem Dei excitent, & conscientiam moueant: v. g. mors ineuitabilis, extremæ vitæ horæ ignorantia, pericula imminentis subitaneæ mortis; mundi va-

nitas, vitæ præsentis breuitas; virtutis decus, meritum & pax, vitij & peccati turpido, pœna & dedecus; Diuinitas mali vltrix, & boni remuneratrix, ab omnibus Gentibus & sapientibus, & iustis confessa & culta; animæ rationalis immortalitas; remunerationis & pœnæ æternæ post hanc vitam publica omnium populorum & sapientum confessio; conscientiæ stimuli vltores peccati commissi, &c. vt per hæc *timor Domini* in eorum cordibus excitetur, & fiat *initium sapientiæ*.

5. Cauendum est in concertatione ne diuertatur sermo, quasi volitans ab vna quæstione ad aliam; sed firmiter standum est in vna aut altera veritate plenè exponenda, & probanda per rationes conuenientes personis, quæ edocentur; nec ab illa ad aliam debet fieri transitus, priusquam clara, aut saltem probabilis concedatur.

6. Indifferens est incipere à solutione obiectionum, vel à stabilienda veritate: prudenter tamen interrogandus est edocendus, de præcipuis, quas habet contra Fidem, difficultatibus, & quibus innitatur rationibus, vt se disponat audiens Doctor ad responsa: ideo sibi ipsi præsens esse debet, & attentè audire, ac mente intenta concipere difficultatum nodos, & simul modum illas dissoluendi, interiectis ad Deum oratiunculis, ad lumen diuinum exposcendum.

7. Si autem graues & difficiles sint obiectiones, quibus clarè & facilè vix respondere possit, ex tempore, seu in promptu; prudenter dissimulet, respondeat ad faciliores, contrariam astruat veritatem, & in aliud tempus remittat audientem, vt ipsemet docens, Deum per orationem consulat, libros reuoluat, & à doctioribus petat solutionem, quam postea ipse referet: sed præsertim in oratione & concertatione humilem se coram Deo & homini-

bus præbeat, quia *Deus abscondit sua mysteria diuina à sapientibus & prudentibus huius seculi, & reuelat ea paruulis.*

CAPVT XXIII.

Quomodo cum Atheis *&* Politicis, *seu* Philosophis *differendum est vtiliter ad eorum conuersionem.*

1. OPtimè notat Apostolus duplicem impietatis & infidelitatis causam, *superbiam* scilicet in mente, & *immunditiam* in corpore: hæc etiam sunt duo præcipua Fidei & sapientiæ diuinæ obstacula, quia ipsa *non intrat in malenolam* aut superbam *animam, neque habitat in corpore subdito peccatis. Cùm*, inquit, *Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt; propter quod tradidit illos* (permissiuè) *in passiones ignominiæ.* Hinc etiam quia *insipientes dicunt in corde, Non est Deus, corrupti sunt, & abominabiles facti sunt.* Vnde vt ipsamet experientia constat, superbia & luxuria sunt inseparabiles ab atheismo & impietate, cuius sunt simul causa & effectus; sicut octauus gradus caloris, respectu formæ ignis, vel sicut actus perfectæ contritionis respectu gratiæ habitualis. Rom. 1. v. 21. 26. Psal. 13.

2. Ideo necesse est vt Doctor Catholicus dissertaturus cum *Atheis & Politicis*, se primùm disponat ad destructionem superbiæ & immunditiæ in iis quos vult instruere, ipsis proponendo motiua quibus excitentur ad humilitatem, & puritatem, vt eorum facies impleantur ignominia, & confusi de suis abominationibus, quærant nomen Domini. Itaque differat

de propria cognitione sui ipsius, siue quoad animam, siue quoad corpus : exponat creaturæ nihilum, & vanitatem ; animæ ignorantiam, malitiam, & infirmitatem quasi naturalem : ipsis dicat cum D. Bernardo : *Vnde superbit homo cuius conceptio culpa, nasci pœna, labor vita, necesse mori ? post hominem vermis, post vermem fœtor & horror ? quid fuit homo ? stercus, cœnum, & nihil : quid est homo ? peccator, miser, vapor ad modicum patens, fortunæ ludus, puluis quem proijcit ventus à facie terræ, vas stercorum : Quid futurus est homo peccator ? esca vermium & dæmonum, atque pabulum mortis æternæ, & ignis inextinguibilis, nisi conuertatur.* Probet si fieri potest, ignorantiam eius cum quo disserit, per rationes experientiæ : etenim facile est *Atheos* conuincere de ignorantia, quia nihil verè sciunt certò, & ignorant communiora, quæ ab hominibus illuminatis & piis tenentur. Ostendat, quod sicut omnis pars cum suo toto non conueniens, instar monstri est; ita & illi contradicentes toti generi humano, eiusque societatem perturbantes, sunt Monstra naturæ.

3. Postquam confudit superbiam impij, ostendat *turpitudinem* vitæ mollis & effœminatæ, & quantum sit à ratione & à fide aliena, sicut etiam à vera Philosophia, cum homo sit major, & ad majora natus, quâm vt sit mancipium corporis sui : probet dominium animæ in corpus tot tantisque exemplis veterum, siue sanctorum Martyrum, siue etiam prophanorum ; & quanta sit confusio ancillam dominari, & dominam ancillari. Proponat infames morbos à voluptate fluentes, opprobria exprobrantium, propriæ conscientiæ stimulos, alioſque funestos effectus effrenatæ concupiscentiæ, & passionum inordinatarum, ac cætera motiua quæ poterit afferre ad excitandum huius vitæ animalis horrorem.

4. Cum autem aliquatenus mouerit conscientiam

Digitized by Google

& voluntatem *Atheorum*, proponat rationes, siue Philosophicas, siue populares, siue etiam morales, quæ Diuinitatem, prouidentiam, & animæ immortalitatem astruunt; & ex omnibus quæ in primo libro habentur, seligat fortiores, & magis accomodatas iis, cum quibus sermonem habet.

5. Ostendat 1. Nullam esse contradictionem admittere prouidentiam Numinis, ac proinde esse eam possibilem; & cum in æternis idem sit posse ac esse, illam verè existere. 2. Inter omnia entia quæ sunt, Vnum primum necessariò admittendum esse, cùm non sint infinita numero. 3. Necessitatem admittendi aliquod Ens independens, ac necessariò existens essentialiter per se, à quo omnia alia entia dependeant siue in esse, siue in operari: aliàs admittenda essent plura Entia increata ac independentia, & summa, quod est contradictorium. Plures alias rationes potest desumere ex *lib. 1. cap. 4. 5. & seqq.* & ex *cap. 50. lib. 4.*

6. Cum *Politicis* agendum est eodem fere modo, quo cum Atheis; sed præsertim necessitas, dignitas, & antiquitas Religionis comprobandæ sunt: tractandum est de falsis Religionibus, seu superstitionibus; & probandum est quod necessariò vnica est vera Religio, extra quam vana est salus & nulla veritas, quia veritas est immutabilis, æterna, indiuisibilis: quæ omnia tractauimus *lib. 2. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.* ac tandem proponendæ erunt rationes, quas attulimus *lib. 4. cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9.* ad probandam veritatem Christianæ Religionis.

7. Tandem cum *Philosophis* agendum est philosophicè; verùm quia tument superbiâ, prius humiliandi sunt, est enim Philosophus *animal gloriæ*: humiliter ergo cum iis disserendum est, quia contraria contrariis curantur. Tum exaltanda est, & magnificanda summi & primi Entis, quod vocamus *Deum*,

ſumma & adoranda majeſtas. Dein eius profundæ cogitationes plus à noſtris exaltatæ quam cœlum à terra ſit eleuatum; infinita eius eſſentia, & opera inſcrutabilia & incomprehenſibilia: ac tandem humana ignorantia citanda eſt quæ plura neſcit, de aliis dubitat, & pauciſſima clarè cognoſcit, nec ſine aliquo dubio, vnde niſi per fidem iuuetur & firmetur, vix poteſt aliquid de diuinis myſteriis cognoſcere; hinc tot ac tanti errores veterum Philoſophorum emerſerunt ſiue in theoria, ſiue in praxi, ſiue in ſacris, ſiue in prophanis, ſiue in politicis, ſiue in moralibus.

8. Ex quibus concludetur neceſſitas Fidei ad veram Religionem. 1. Quia ſolùm per diuinam Fidem intellectus humanus poteſt Deo ſubjici; quod neceſſarium eſt ad verum Dei cultum, & hoc iuſtiſſimum eſt. 2. Quia in vera Religione ea vera cognitio neceſſaria eſt, quæ humanam rationem excedat, & quæ omnia argumenta fallacia ex ea petita vincere, & contra eorum impetus, hominis mentem firmam, & inconcuſſam tenere poſſit: Hæc autem cognitio alia eſſe non poteſt, quàm Fidei diuinæ, quæ ſcilicet innititur authoritate Dei reuelantis. 3. Quia omnibus omnino hominibus, doctis & indoctis, iunioribus & ſenioribus, &c. communis debet eſſe cognitio de rebus ſacris certiſſima; quia omnes homines æqualiter ſunt debitores veræ Religionis, in qua Deum colant, & ſalutem æternam conſequantur per media conuenientia; at ſola Fides diuina poteſt eſſe cognitio certiſſima, communis omnibus hominibus. 4. Quemadmodum Deus ipſe factor noſter & author eſt, finis quoque & beatitudo noſtra; ita nobis ad capeſſendam Religionem, & viam ſalutis ineundam, dux eſſe debet, quod fit per reuelationem & Fidem diuinam: id enim poſtulat ordo vniuerſi, vt nulla natura ſuam perfectionem vltimam

Digitized by Google

possit acquirere, nisi à superiori natura, cui subordinatur. 5. Fidei diuinæ necessitas in Religione vera probari potest ex consensu omnium, qui Religionis sensum aliquem habuerunt, siue docti, siue ignari, siue etiam ipsi Reges & Imperatores fuerint; ij enim omnes ea quæ ad Religionem, & Dei, vel Deorum cultum spectabant, petenda esse censuerunt, non à Philosophis, sed ab Oraculis, Antistitibus sacrorum, & hominibus, quos diuinos, Deique interpretes arbitrabantur.

CAPVT XXIV.

Qualiter dissérendum sit cum Idololatris.

1. NOtandum est quatuor esse genera hominum *Idolis* seruientium. 1. Doctorum, & Philosophorum. 2. Alterum communis plebis. 3. Regum, & Principum. 4. Stupidorum, barbarorum & agrestium. *Philosophi*, & docti colunt Idola non quidem sincerè, & ex corde, sed tantùm apparenter, & exteriori solum cultu, vt se Regibus, Principibus & populo conforment; sciunt enim, si verè docti sunt & Philosophi, necessariò admittendum esse vnicum, verum Deum, optimum, maximum, omnium rerum principium, æternum, infinitum & incomprehensibilem. *Populus* ignorans Idola colit, falsâ illusus patrum suorum traditione, sine vllo examine veritatis & originis: *Reges* verò & Principes si ignari sunt, eâdem illusi traditione, sed præcipuè, Mystarum, & Sacerdotum suasione, quia exinde non exiguum ipsi percipiunt emolumentum de oblationibus factis Idolis. Tandem stupidi & ferini, quales sunt *Canadenses*, *Brasilienses* & *Insulares nigri*, colunt simulachra dæmonum, ne sibi no-

ceant, ad hoc inducti à Magis eorum Sacerdotibus.

2. Illi omnes prudenter abducendi ſunt ab hoc ridiculo, abſurdo, ac deteſtando Idolorum ac dæmonum cultu, & per Theoremata & rationes conuenientes cuilibet hominum generi, paulatim ducendi ſunt ad cognitionem vnius tantùm veri Dei, infiniti, optimi, omnipotentis, Creatoris, ac Rectoris totius mundi, & omnium quæ in eo ſunt, æterni, beatiſſimi, immutabilis, &c. qui quidem ſi talis non eſſet, qualis antea oſtenſus eſt, indigeret, vt talis eſſet. Quis enim ſanus mente admiſerit Deum indigentem? cum indigentia ſit imperfectio & miſeria, quæ in Deum cadere non poſſunt; vide quæ diximus *lib. 1. cap. 5. 6. 7. 8. 9. & 10.* & *lib. 4. cap 50. in Epilogo.*

3. Facile eſt hanc veritatem vnius Diuinitatis *doctis* præſertim probare, & ſuperſtitionem eorum refutare. 1. Si rationes Philoſophicæ ſuperiùs allatæ explicentur. Etenim *pluralitas Deorum*, inquit Tertullianus, *nullitas Deorum eſt*; & tanta vis eſt diuinitatis, ac tam profundè innata, & inſculpta eſt animis hominum Religio, vt nulla gens ſit tam ignara & tam barbara, quæ etiamſi ignoret, qualem Deum habere deceat, non tamen habendum ſciat. Vnde multi maluerunt falſum, quàm nullum habere Deum. 2. Si ab iis petantur origines, & rationes ſuorum Deorum, & fictorum myſteriorum, ſeu potius ſuperſtitionum: & certiſſimè poſſumus iis dicere quod Paulus Apoſtolus dixit Athenienſibus: *quod ignorantes colitis, hoc ego annuntio vobis*, ſcilicet mundi Creatorem, cæli ac terræ Dominum, *qui non in manufactis templis habitat, nec manibus humanis colitur indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, inſpirationem, & omnia, in quo ſcilicet viuimus, mouemur & ſumus.*

4. *Ignari* paulatim ſunt edocendi, & à viſibili-

bus ad inuisibilia Dei cognoscenda eleuandi; iis rationes populares sunt proponendæ, & absurda, quæ de Diis suis narrantur, ostendere conuenit: tum proponenda sunt motiua Fidei nostræ quæ attulimus *lib. 4 in primis decem capitibus, & in Epilogo*: sed antea excitanda est eorum conscientia, inducendus timor Numinis iusti, probanda est animæ immortalitas; tum hominis prima corruptio, quam experimur ab ipsa infantia; necessitas diuini remedij, & Saluatoris nostri Dei; ac tandem paulatim deueniendum est ad explicationem & probationem mysteriorum *Trinitatis*, & *Incarnationis* Filij Dei, & aliorum, de quibus in toto hoc volumine disseruimus, præsertim *lib. 1. 2. & 4.* suadendæ sunt vitæ puritas, mentis humilitas, & oratio feruens, quibus à Deo veram Fidem possumus obtinere.

CAPVT XXV.

De Iudæorum *confutatione, & ad Fidem reductione.*

1. QVia magna est *Iudæorum* obcœcatio & obduratio in pœnam Deicidij ab eorum patribus admissi; ideo difficile est eos ad veritatem Euangelicam inducere. Vnde non debemus eos aggredi, & cum eis in congressum venire, nisi præuia longâ & feruenti oratione, qua Deum humiliter deprecemur, vt tollat velamen de cordibus eorum. Ad hoc enim opus arduum necessaria est absolutè non communis tantùm Dei gratia, sed extraordinaria, siue indocente siue in discipulo, vel in aduersario, qui, vt aiebat Stephanus, sæpe *resistit Spiritui sancto*. Itaque non in nobis, sed in Deo confidentes, quando se præbebit occasio, prudenter, humiliter & benignè debemus. *Iudæos*

inſtruere, & permotâ priùs eorum conſcientiâ per Dei timorem, ac futurum iudicium diuinum, cui omnes adſtare debemus, audituri ſententiam vltimam vitæ, vel mortis æternæ, paulatim motiua credibilitatis exponere, & rationes, quæ veritatem Chriſtianæ Religionis probant, afferre.

2. His iam expoſitis, debemus inſtare in eorum conuictione, proponendo certa quædam, & ab omnibus conceſſa, quibus ipſimet non audeant aſſenſum denegare, ſcilicet 1. *Meſſiam* Redemptorem mundi, atque Doctorem in Scripturis ſacris, præſertim Deuteronomij cap. 18. & alibi promiſſum eſſe, & à Prophetis prædictum, quem Doctorem, & ſimul ipſorum Regem ipſi præſtolabantur. 2. Ipſius *Meſſiæ* conditiones in iiſdem Scripturis eſſe prænunciatas, de qua ſcilicet ſtirpe, quoue loco, ac tempore ſit naſciturus: quam inſuper vitam, doctrinamque tradere, quidue agere debeat, &c. 3. Perſpicuum eſſe, innumeriſque Codicibus diuulgatum, ſacras Scripturas veteris Teſtamenti eam recipere interpretationem, vt conditiones omnes ad ipſum *Meſſiam* tantùm pertinentes, *Ieſu Nazareno*, quem ipſi crucifixerunt, adeo conueniant, vt nil omnino ex lege Moyſis, ex Pſalmis & Prophetis relinquatur, quod non aptiſſimè ipſi *Ieſu Chriſto* reſpondeat, eiuſque geſtis, ſiue ante, ſiue poſt obitum; adeo vt, niſi ſciretur hos Prophetas antiquiſſimos extare, ipſis Hebræis per vniuerſum diſperſis fidem circumferentibus, fortè dubitare quis poſſet talia Chriſtianos fuiſſe commentos ad ipſorum fidem ſimulatâ authoritate confirmandam.

3. Iam ergo à Iudæis quærendum eſt, *an Ieſus ſit verus Meſſias, an non?* Si eſt, cur eum non ſequuntur, & Chriſtiani non fiunt? cùm teneantur, ex Dei præcepto ipſum audire, ac ſequi ſub pœna mortis. Si verò non eſt, poſtquam Deus pollicitus

est se missurum Virum sanctissimum, cuius conditiones descripsit, & ab omnibus obseruatum iri præcipit: quomodo dehinc omnia hæc permisit in altero adimpleri? poterat enim id impedire, ne deciperentur homines. Verè nos Christiani à Deo non possumus redargui, quod *Iesum Nazarenum* sequamur, cui scilicet omnia sacra Oracula, omnes Prophetiæ, omnes figuræ accommodatissimè congruunt, & in eo adimplentur tota lex, & Prophetæ. Quod si is non est *Messias*, frustra de alio sollicitum esse oporteret; cum huic similem dari posse credere stultum sit.

4. Adde quod tempus in Scripturis præscriptum de aduentu *Messiæ*, iam à plusquam sexcentis supra mille annis transierit: etenim iuxta vaticinium Geneseos, *ablatum fuit sceptrum de Iuda, & Dux de fœmore eius*, quod non debuit fieri, donec venerit *Messias* mittendus, & futurus expectatio gentium. Prophetia quoque Danielis *de septuaginta annorum hebdomadibus*, impleta est cum omnibus eius circumstantiis in Christo completis, cuius prophetiæ hæc est expositio naturalis. *Septuaginta hebdomades* (annorum scilicet) *abbreuiatæ sunt*, seu à Deo decretæ *super populum tuum, & super sanctam tuam vrbem*: quia primùm Christus prædicauit Iudæis, *vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & adducatur iustitia sempiterna* (quæ omnia, vt constat, in toto orbe impleta sunt) *& impleatur visio & prophetia, & vngatur* (scilicet Spiritu-sancto) *in sua conceptione Sanctus Sanctorum*. Scito igitur, & animaduerte. *Ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Ierusalem vsque ad Christum Ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexagintaduæ* (quia in principio Septuagesimæ Christus prædicare cœpit palam, & in medio huius Septuagesimæ hebdomadis occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est, quando scilicet Iudæi dixerunt

Pilato, *non habemus Regem nisi Cæsarem*; & additur pœna tanti criminis; *& ciuitatem, & sanctuarium seu templum dissipabit populus* (Romanus) *cum Duce venturo* (scilicet Vespasiano, & Tito,) *& finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio*, (quæ vsque ad hoc tempus cernitur ab omnibus.) *Confirmabit autem pactum multis*, scilicet credentibus, *hebdomas vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio*: quæ omnia iam completa sunt ab annis plusquam sexcentis supra mille; quod etiam confirmat eorum continuata captiuitas, cuius nulla alia causa excogitari potest, quàm crimen Deicidij in Iesum Christum patrati per Iudæos, qui à Deo reprobati fuerunt, quia suum verum *Messiam* Regem ipsi primi reprobarunt, & occiderunt, & in eorum locum Gentes ad fidei veritatem adductæ fuerunt substitutæ, iuxta prophetiam Malachiæ cap. 1. *Non est mihi voluntas*, dicit Dominus, *& munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim Solis vsque ad Occasum magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, seu iuge sacrificium altaris*, id est, corpus & sanguis Christi; vide quæ superius *in tertio libro* attulimus, & *decem prima capita libri quarti* ad confirmationem Christianæ veritatis.

Caput XXVI.

De modo differendi cum Mahumetanis, *eosque ad Fidem adducendi.*

1. Mahumetana superstitio, potius quàm Religio, omnium Hæreticorum errores coacerauit, quibus Iudæorum Circumcisionem, & quæ-

dam præcepta Legis naturalis immiſcuit; vnde facilis eſt pugna contra eam, ſi ratione, non verò ſi armis fiat concertatio. Vnde *Mahumetes gladio*, non verò rationibus inſtructus, pollicitationibus primùm, malaque arte homines rudes ac impuros ſibi adſciuit, quibus paulatim alios in ſuam laſciuiam, fabuloſamque ſectam pellexit, armiſque peruagante licentia imbellem multitudinem ſubegit. Ipſe enim (vt certa tradit hiſtoria) prorſus irrationabilis, ſceleratus, adulter, & populorum prædator fuit; cumque Epileptico morbo ſæpe correptus collaberetur, interrogatus cur id ei contingeret, ſe Angeli colloquio tunc frui referebat; ipſe etiam non abſimiles impios, ſed verſutos apoſtatas, *Sergium Monachum* eiectum è ſuo Monaſterio; & alios adiunxit, quorum vſus eſt conſilio, & ope ad conficiendum ſuum *Alcoranum*. Quis hæc ſciens ignorare poſſit ſectæ impietatem, cuius tam ſceleratus fuit ortus? Cum ergo peſſima fuerit origo, neque à Deo cœpiſſe, neque bono poteſt fine concludi.

2. Cum itaque in congreſſum aliquis voluerit cum *Mahumetanis* deſcendere, eis primam ſectæ originem aperiat, neceſſe eſt: tum debet eorum mouere conſcientiam ſtimulis mortis, diuini iudicij, horroris peccati, & mortis æternæ imminentis iis qui veram Religionem non fuerint ſequuti: poſtea probare debet veritatem vnius diuinæ Religionis, quæ à Deo fuerit ab origine mundi indita & reuelata, & ad finem vſque mundi perſeueret ſancta, innocens, impolluta, non aduerſa rationi naturali aut virtuti: quæ conſurgens, velut aurora ſub vmbra Legis naturalis, adhuc obſcura; ſub figuris legis Moſaïcæ clariùs micans; tandem creuit, in perfectum diem, Sole clarior in lege Euangelica, per ipſum iuſtitiæ & gloriæ Solem Chriſtum Dominum, quem ipſe *Mahumetes in Alcorano*, prædicat

natum de Virgine, à Deo Prophetam missum, & clarum miraculis, cui ideo debetur fides.

3. Ostendat postea, quod vera Religio aut à naturali, aut à supernaturali lumine debet proficisci; sed *Mahumetana* superstitio penitus confusa à neutro lumine prouenit, cuius scilicet author non tantùm impius, sed etiam ignarus, & illiteratus librum suæ Legis, quem *Alcoranum* vocat, id est *præceptorum collectionem*, adeo confusè tradidit, vt à nemine ordinem vllum in eo deprehendi posse existimem. Tot in eo præterea fabulæ, totque contra finem vltimum, & bonos mores imperata, vel permissa continentur; vnde *Auerroës & Auicenna*, licet Arabes & Mahumetani, censuerunt *Aristotelem* saniorem tulisse sententiam de vltimo fine hominis, & beatitudine, quàm *Mahumetem*. Neque etiam à supernaturali lumine prouenit, quod scilicet longe perfectius est: nec à naturali, quia illi aduersatur.

4. Cum in *Alcorano* Euangelium & vetus Testamentum probet & confirmet *Mahumetes*, ex iis sacris libris sumenda sunt argumenta confirmatiua nostræ Religionis Christianæ, & destructiua fabularum *Alcorani*: quid enim insipientius est, quàm eadem affirmare, & negare, nec eam quam probat doctrinam, sed contrariam sequi? Longe enim alienum est à ratione, quod ipse *Mahumetes* gratis fingit, Euangelium cum veteri Testamento à nobis esse deprauatum; cùm veritas sacræ Scripturæ quam habemus præ manibus, confirmetur multis perantiquis exemplaribus, & codicibus Hebraïcis, Chaldaicis, Arabibus, Syriacis, Samaritanis, Æthiopibus, Græcis & Latinis, citatis eodem tenore, textu & sensu apud veteres Patres Ecclesiæ, & apud *Rabinos*, quoad vetus Testamentum.

5. Postea Doctor Christianus ostendat veram eam esse Religionem, quæ ad bene beatéque viuendum, &

ad cordis puritatem, veritatisque contemplationem est ordinata: sectam vero *Mahumetanam*, terrena tantùm sapientem, nullâ virtutis aut veræ beatitudinis habitâ ratione, docere vitam carnalem, & infamem, atque etiam belluinam quamdam voluptatem, & ventri consentaneam post hanc vitam polliceri, tanquam finem vltimum, non solùm parabolicè, sed verè & litteraliter; cum ipsemet *Mahumetes* in *Alcorano* testetur, *nihil in figura à se traditum esse inter tot deliramenta.*

6. Addat, *nihil diuinum aut mirabile in hac secta reperiri, cùm eius author asserat Christo concessam esse virtutem Miraculorum ad mundi conuersionem, sibi verò Gladij potestatem; & ad hoc se missum esse, vt per vim ad fidem suam populos compellat, perinde ac si per tyrannidem, voluptatesque efficiat Deo acceptabile sacrificium.* Ostendit contradictiones & insanias quæ in *Alcorano* leguntur: v. g. cum eius author fatetur *se nescire vtrum ipse, & sui sint in via salutis, & neminem inter mortales haberi, qui Alcoranum intelligat*, &c. vnde non mirum si prohibeat disputare de sua Religione & fide, nisi gladio & armis, propriæ insciitiæ, & prauitatis conscius.

7. Quod si Aduersarius opponat innumeros populos hanc impiam & stultissimam sectam sequi, etiam è Christianis apostatis. *Respondeas* eam esse mali naturam, vt malum plurimi amplectantur, pauci verò virtutem, vt quotidie cernimus. Nec enim mirum si hanc sectam sequantur libidinosi homines, quia tota carnalis est: vide quæ diximus *lib. 2. cap 6.* & Nicolaum Chusanum *in libris cribrationis Alcorani.*

8. Sed ex ipso *Alcorano* potest Doctor Christianus *Mahumetanos* conuincere de fabulis in ipso contentis, & præcipuis Christianæ Religionis mysteriis: fatetur enim vbique hic liber vetus Testamentum & Euangelium: ergo quæ affert contraria his sanctis

libris, quos dicit *veritatem Dei continere*, vt fabulosa censenda sunt, quia vnica est veritas, nec sibi contradicens. Quod autem sanctos libros laudet tanquam à Deo probatos, patet ex principio cap. 5. (seu *soret mam*) vbi *Deus*, inquit, *pius & misericors, viuus & altissimus, præter quem non est alius, qui prius vetus Testamentum & Euangelium, deinceps rectas vias hominibus tradidit*, &c. Si ergo sunt rectæ viæ; quare ab iis deflectit? Mandatur etiam cap. 7. *Quod omnes boni Deo seruiant, vt Christus Iesus Mariæ filius persuasit*: & alibi ait *librum Euangelij omnium librorum perfectissimum*. Et cap. 4. *Omnium*, inquit, *Prophetarum alio super alium per me sublimato, & eorum quibusdam cum Deo locutis, Christo Mariæ filio animam nostram propriè conferentes, vim, atque virtutem præ cæteris præbuimus*. Ait etiam alibi *Euangelium esse lumen & confirmationem Testamenti, & castigamen & rectam viam Deum timentibus, & legis complementum*. Et addens: *O Maria, omnibus mulieribus & viris splendidior, mundior, atque iucundior; tibi summi nuncij gaudium, cum Verbo Dei, cui nomen est Iesus Christus, qui est facies omnium gentium, in hoc sæculo, atque futuro, sapiens, vir optimus ab vniuersitatis Creatore mittitur. Illa respondit: ô Deus, cum virum non tetigi, filium quomodo habebo? Inquiunt Angeli: Deo nihil occurrit impossibile, omnia vt vult operanti: ipse Filium tuum diuina virtute venientem, librum legiferum, omnisque magisterij peritiam & Testamentum, & Euangelium edocebit: ille mutos & cæcos curabit, morpheaticos & leprosos mundabit, mortuos Creatore cooperante viuificabit, quæ cuncta à credentibus in Deum miracula censentur; vetus Testamentum confirmabit, sed cum diuina virtute patefaciens, inquiet: Timentes Deum, me sequamini*, &c. Ex quo vnico testimonio, quod habetur in *Alcorano*, facile est probare veritatem Christianæ Religionis.

nis. Vide quæ superius lib. 4. de veritate fidei, & Religionis argumenta attulimus: nam si *Iesus* est Verbum, & Filius Dei à Deo missus, Propheta, & miraculorum patrator, cur ei non credunt in omnibus Mahumetani? cur ipsum non sequuntur & imitantur? cur eius Religionem non amplectuntur?

CAPVT XXVII.

De modo differendi cum Hæreticis, *& eorum errores conuincendi.*

1. INter Hæreticos alij sunt pertinaces, alij zelosi, alij frigidi, alij dubij & fluctuantes: diuersimode ergo cum iis tractandum est, prout dictat prudentia. Igitur 1. cum *Pertinacibus* non facilè disputandum est; quia cum sint superbi, licet conuinci possint, vix tamen conuertuntur; quia præcipuum Fidei obstaculum habent, nempe superbiam. Si tamen propter vtilitatem aliorum cum iis est agendum, tria sunt obseruanda. 1. Si fieri potest, prudenter humiliandi sunt, & palam confundendi & obiurgandi: modestè tamen hæc ignorantia vel malitia est detegenda. 2. Coërcendi sunt intra limites certæ alicuius materiæ, ne ex vna in aliam dissiliant, vt solent. 3. Restringendi sunt ad Scripturam sacram, quam dicunt *in Professione suæ fidei*, & *art. 5. confess. esse regulam totius veritatis & salutis*; vnde debent probare articulos suæ Professionis per aliquod testimonium Scripturæ, quod illos contineat: quod quidem nullo modo facere poterunt. 4. Si argumenta conficiunt, restringenda sunt ad formam Dialecticam, & in conclusione semper debet esse articulus contestatus iis verbis, quæ sunt expressa in eorum Professione: & in eorum syllogis-

mis debent duæ præmiſſæ deſumi ex Scriptura, quia traditiones reſpuunt; ſi enim altera ſolùm præmiſſarum ſit ex Scriptura, & altera à ratione humana deſumpta, cum concluſio ſequatur debiliorem partem, ex *Molinæo in Logica*, ipſa concluſio non poterit eſſe fidei diuinæ; quia ſemper concluſio ſequitur debiliorem partem. 5. Neceſſe eſt vt ipſi Hæretici primùm ſuos probent articulos conteſtatos, quatuor rationibus. 1. Quia ſe iactant modo extraordinario à Deo ſuſcitatos ad reformandam Eccleſiam, quam dicunt ruiſſe in deſolationem *art 31. eorum confeſſionis.* 2. Quia condemnant nos *art.* 28. 3. Quia fatentur *art.* 28. nos habere poſſeſſionem & præſcriptionem Eccleſiæ. 4. Quia ipſi ſe à nobis ſeparauerunt. 6. Idem ordo obſeruandus eſt in probationibus ex Patribus. 7. Non ſunt tractandæ quæſtiones Theologicæ, ſed ſolùm ex quæ de fide ſunt, vnde optimè diſtinguendæ ſunt. 8. Poſtquam confuſionem ſubierunt impotentes ad probanda ſua dogmata, admittendi ſunt ad noſtra refutanda: & primò neceſſe eſt vt ea prodant iiſdem verbis, quibus inſcribuntur in noſtra Profeſſione fidei, & debent contradictorium de Scriptura afferre, quod eſt impoſſibile; alioquin audiendi non ſunt. 9. Tandem iis confuſis, noſtra doctrina Fidei auditoribus exponenda eſt & probanda. 1. ex Scriptura ſacra. 2. ex Patribus & traditione, atque etiam ratione naturali per conuenientias. 10. Reſpondendum eſt ad eorum objectiones, per Scripturam expoſitam à Patribus, & per rationem naturalem.

2. *Zeloſi* qui non ſunt pertinaces, modeſtè ac benignè tractandi ſunt, nec tam rationibus aut ſubtilitatibus obruendi, quàm Deo per orationem commendandi ſunt: iis ſimpliciter veritas aperienda & probanda eſt ex Scriptura, Traditione, & Patribus, ex Conciliis, & ratione naturali: nec non ſuaden-

dum est, vt lumen fidei à Deo postulent, vt remoueantur obstacula, nempe peccata, præcipuè superbia, & luxuria, & vt attentè meditentur coram Deo rationes à nobis allatas.

3. *Frigidi* excitandi sunt ad contemptum omnium quæ pereunt bonorum; timore Dei, & salutis amore percutiendi sunt, propriis motiuis idoneis; cum iis seriò ac seuerè agendum est, ni velint resipiscere, & ad cor redire, tum eodem modo, quo zelosi, instruendi & conuincendi sunt de veritate nostræ Religionis.

4. *Dubij* denique ac fluctuantes, qui sincerè veritatem quærunt, humaniter ac benignè excipiendi sunt, & ad cuiusque captum accommodatè tractandi; excitandi quoque ad timorem Dei, & ad salutis propriæ amorem; explicanda est eis Religionis vnitas, sicut & Dei; exponenda quoque nouitas hæresis, fatuitas opinionum nouarum, futilis hæreticorum conuersatio, inconstantia dogmatum, præscriptio antiquitatis catholicæ veritatis; defectus successionis Ministrorum hæreticorum, & alia eiusmodi; ac tandem probandus est articulus fidei de quo dubitant, per Scripturam, Traditionem, Patres, &c.

5. Omnes Hæreticos vno ictu confodere facile est, *inquit Sauanarola lib. 4. triumphi Crucis, cap. 6.* si probauerimus oportere Ecclesiam ab vno tantùm capite gubernari; nam si Hæretici credunt homines, Ecclesiamque diuina regi prouidentia, pro qua Deus tot fecit mirabilia, concedere oportet Ecclesiæ regimen esse optimè ordinatum: vtpote ab eo dispositum, *per quem Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt.* Multitudinis autem regimen optimum est, si per vnum regatur; quod ex fine patet regiminis, qui est pax subditorum, & vnitas; huius autem rei causa, congruentior vnus est Hierarcha,

quàm multi: ideò Ecclesiæ regimen ita disposituni esse oportet, vt vnus toti præsit Ecclesiæ: & confirmari potest ex prætlaro regimine mundi in naturalibus, in quibus omnia & singula ad vnum reducuntur, sicut omnis multitudo ad vnitatem, quæ est eius principium, medium, & finis. Hinc Philosophus, *Entia*, inquit, *nolunt malè gubernari. Ergo Rex vnus esto.* Ergo etiam hic vnitatis ordo magis in supernaturalibus erit admittendus, quæ dignitate excellunt naturalia.

6. Militans quoque Ecclesia à triumphante per similitudinem deriuatur; inferiorum enim gubernatio superiorum ordinem imitatur, cui quantò fit similior tantò perfectior existit: triumphantis autem Ecclesiæ vnus est Rector, & Dominus, scilicet Deus; vnum igitur Ecclesiæ militantis Præsidem esse oportet, sicut testimonia veteris & noui Testamenti asserunt. Osée 1. *Congregabuntur filij Iudæ, & filij Israël pariter, & ponent sibimet caput vnum.* Et Ioan. 10. *Fiet vnum ouile & vnus Pastor.*

7. Neque id soli Christo rationabiliter tribuendum est, ita quod post suam ascensionem in cœlum absque Duce & Vicario Ecclesiam reliquerit: maxima namque confusio, sectioque in partes, & variarum opinionum, præsertim circa fidem, & bonos mores incerta determinatio sequeretur: non enim sciri posset quæ vt potissima esset tenenda sententia, nullaque iustitiam administrandi ratio aut facultas haberetur. Sed etiam Christi verbis repugnaret; quandoquidem singulariter Petro iniunxit, *Pasce oues meas.* Et iterum. *Petre, rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.* Quapropter Petrum Vicarium suum ostendit cum dixit, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non*

prævalebunt aduersus eam: & tibi dabo claues regni cælorum: & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.

8. Nec dici potest hanc dignitatem vni Petro, & non eius posteris esse concessam: cum Ecclesiam pari ordine vsque in finem sæculi duraturam Christus instituerit, iuxta illud, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi*; ac proinde etiam ministerium hoc perpetuâ successione tanquam ipsi Ecclesiæ perutile & necessarium ab ipso confirmatum esse oportet, vt omnes Petri successores eandem habeant Petri potestatem; cumque Episcopi Romanæ sedis, locum Petri teneant, manifestum est Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum esse ducem atque magistram, omniumque fidelium congregationem Romano Pontifici esse vniendam: qui ergo ab vnitate, Romanæque Ecclesiæ doctrina dissentit, procul dubio per deuia oberrans, à Christo recedit; vnde quia omnes hæretici ab ea discordant, ideo etiam à recto tramite declinant, neque verè Christiani possunt appellari, seu Catholici.

9. Hinc etiam fit quod Hæretici non tantùm à capite Ecclesiæ, sed etiam ab inuicem dissentiant, ita vt in nullo fere conueniant; quin-imo alternis se feriant iaculis, adeo vt nihil in eis solidi inueniatur, quia vera veris concordant, omniaque vera sese mutuò confirmant; ex quo cognoscitur quod à veritate sunt alieni. Romanæ autem Ecclesiæ doctrina in iis quæ sunt Fidei, & quæ ad bonos mores pertinent, vna est, cum innumerabiles fere Catholici Doctores in nullo ab ea, aut dissentiant, aut dissentire velint. Adde quod cum veritas sit æterna, Ecclesia, quæ est Regnum Christi, qui est veritas, firmiter mediis licet in persecutionibus stat, & stabit

vſque ad conſummationem ſæculi ; tunc enim ad cœlum vnde effluxit, coronanda transferetur : hæreſes verò ſtare non poſſunt, niſi ad tempus, quo elapſo euaneſcunt ; quia *rerum commenta delet dies, naturæ indicia confirmat*. Huc quoque adducendæ ſunt aliæ rationes, quibus Eccleſiæ Catholicæ & Romanæ veritas probatur, quas videre potes lib. 4. cap. 1. vſque ad vndecimum.

10. Finiamus hanc breuem methodum per admonitionem quam *Tertullianus* dat fidelibus initio lib. de præſcript. hæret. ne ſcandalum ſumant de ortu & progreſſu hæreſeon. *Non oportet*, inquit, *nos mirari ſuper hæreſes, ſiue quia ſunt, futura enim prænuntiabantur; ſiue quia fidem quorumdam ſubuertunt, ad hoc enim ſunt, vt fides habendo tentationem, habeat etiam probationem. Febrem vt malum, & de cauſa, & de potentia ſua vt notum eſt, abominamur potius, quàm miramur, & quantum in nobis eſt præcauemus, non habentes abolitionem eius in noſtra poteſtate. Hæreſes vero, mortem æternam, & majoris ignis ardorem inferentes, malunt quidam mirari quod hoc poſſint, quàm deuitare, ne poſſint, cum habeant deuitandi poteſtatem. Cæterum nihil valebunt, ſi illas tantùm valere non mirentur : aut enim dum mirantur, in ſcandalum ſubminiſtrantur : aut quia ſcandalizantur, ideo mirantur, quaſi quod tantùm valeant, ex aliqua veniat veritate. Mirum ſcilicet, vt malum vires ſuas habeat : niſi quod hæreſes apud eos multùm valeant, qui in fide non valent. In pugna pugilum, & gladiatorum plerumque, non quia fortis eſt vincit quis, aut quia non poteſt vinci, ſed quoniam ille qui victus eſt nullis viribus fuit : non aliter hæreſes de quorumdam infirmitatibus habent, quod valent, nihil valentes, ſi in bene valentem fidem incurrant. Solent quidem iſti infirmiores de quibuſdam perſonis ab hæreſi captis ædificari in ruinam : quare ille vel ille fideliſſimi,*

prudentissimi, & vsitatissimi in Ecclesia, in illam partem transierunt? Quis hoc dicens, non ipse sibi respondet; neque prudentes, neque fideles, neque vsitatos æstimandos, quos hæreses potuerint demeruare? Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si Vidua, si Virgo, si Doctor, si etiam Martyr lapsus à regula fuerit, ideo hæreses veritatem videbuntur obtinere? Ex personis probamus fidem? an ex fide personas? Nemo sapiens est, nisi fidelis: nemo major, nisi Christianus; nemo autem Christianus, nisi qui ad finem vsque perseuerauerit. De solis prædestinatis verba vltima intelligenda sunt: *Auolent quantum volent palea leuis fidei, quocumque afflatu tentationum, eo putior massa frumenti in horrea Domini reponetur.*

BVLLA S. D. N. D. PII, DIVINA prouidentia Papæ Quarti, super forma iuramenti professionis Fidei.

Cum Indictione probationum singulorum Articulorum qui sunt in Controuersia ex testimoniis sacræ Scripturæ.

Pius Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

INIVNCTVM nobis Apostolicæ seruitutis officium requirit, vt ea quæ Dominus omnipotens ad prouidam Ecclesiæ suæ directionem, sanctis Patribus, in nomine suo congregatis, diuinitus inspirare dignatus est, ad eius laudem & gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque iuxta Concilij Tridentini dispositionem omnes,

quos deinceps cathedralibus & superiotibus Ecclesiis præfici, vel quibus de illarum dignitatibus, canonicatibus & aliis quibuscumque beneficiis Ecclesiasticis, curam animarum habentibus prouideri continget, publicam orthodoxæ fidei professionem facere, seque in Romanæ Ecclesiæ obedientia permansuros spondere & iurare teneantur: Nos volentes, etiam per quoscumque, quibus de Monasteriis, Conuentibus, domibus & aliis quibuscumque locis regularium quorumcumque ordinum, etiam militiarum, quocumque nomine vel titulo prouidebitur, idem seruari, & ad hoc vt vnius & eiusdem fidei professio vniformiter ab omnibus exhibeatur, vnicaque & certa illius forma cunctis innotescat, nostræ sollicitudinis partes, in hoc alicui minimè desiderari, formam ipsam præsentibus annotatam publicari, & vbique gentium per eos ad quos ex decretis ipsius Concilij, & alios prædictos spectat, recipi & obseruari, ac sub pœnis per Concilium ipsum in contrauenientes latis, iuxta hanc & non aliam formam, professionem prædictam solemniter fieri auctoritate Apostolica tenore præsentium districtè præcipiendo mandamus, huiusmodi sub tenore.

Ego N. firma fide credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, Videliçet.

Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & inuisibilium, & in vnum Dominum Iesum Christum, filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu-

sancto ex Maria Virgine, & homo factus est, crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est, [a] *descendit ad inferos*, & resurrexit tertia die secundum scripturas, & ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, & iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos. Cuius regni non erit finis: & in Spiritum-sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur: qui locutus est per Prophetas: Et [b] vnam [c] sanctam [d] Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor [e] vnum baptisma in [f] remissionem peccatorum: & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

a Ioan. 3. v. 13. 1. Petr. 3. v. 19. 20. & c 4. v. 6. Ephes. 4. v. 8. 9. 10. b Ioan. 10. v. 16. 1. Ioan. 2. v. 18. 19. Eph. 4. v. 3. 4. 5. 11. 12. 13. 14. c Ephes. 5. v. 26. 27. d Rom. 1. v. 7. 8. Colos. 1. v. 5. 6. 23. e Necessitas Baptismi, Ioan. 3. v. 3. 4. 5. Ad Tit. 3. v. 4. 5. f Act. 2. v. 38. cap. 22. v. 16.

Apostolicas & Ecclesiasticas [g] traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiæ obseruationes & constitutiones firmissime admitto & amplector. Item [h] sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit & tenet sancta mater Ecclesia, [i] cuius est iudicare de vero sensu & interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto, nec eam vnquam nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam & interpretabor.

g 2. Thes. 2. v. 15. Ioan. 21. v. 25. h Scriptura Sacra difficilis intellectu 2. Petri 3. v. 16. i 2. Petr. 1. v. 20. Act. 15. v. 1. 2. 6. 28. 29. Ecclesia infallibilis Matth. 16. v. 18. 1. Tim. 3. v. 15. Ioan. 16. v. 13.

Profiteor quoque septem esse verè & propriè Sacramenta nouæ Legis à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, [k] Confirmationem, Eucharistiam, [l] Pœnitentiam, [m] Extremam vnctionem, [n] Ordinem & [o] Matrimonium; illaque gratiam conferre, & ex his

k Act. 8. v. 12. 14. 15. 16. 17. l Ioan. 20. v. 22. 23. Matth. 18. v. 18.

e. 2. v. 6. Act. 19. v. 18. Baptiſmum, Confirmationem & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe.

m Iac. 5. v. 14. 15. n 1. Tim. 4. v. 14. 2. Tim. 1. v. 6. De cælibatu & votis. 1. Tim. 5. v. 9. 10. 11. 12. 1. Cor. 7. v. 1. 5. 7. 8. 32. 33. 34. 37. 38. Matth. 19. v. 12. Pſal. 76. v. 12. Act. 18. v. 21. lege Titulum eiuſdem capitis, hoc loco probari poteſt poſſe vouerí & fieri peregrinationes. o Epheſ. 5. v. 22. vſque ad finem. 1. Tim. 2. v. 15. 1. Cor. 7. v. 7. matrimonium ſolui non poteſt Matth. 19. v. 5. 6. Luc. 16. v. 18.

Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſuppradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio & admitto.

Omnia & ſingula quæ de peccato originali, & de iuſtificatione in ſacro-ſancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio.

p Malachiæ 1. v. 10. 11. Dan. 9. v. 26. 27. Matth. 24. v. 15. Sacerdotes. Ierem. 33. v. 14. 15. 17. 18. 20. 21. 22. vide titulum eiuſdem capitis. Apocal. 20. v. 6. Altaria Matth. 5. v. 23. 24. Hebr. 13. v. 10. Tranſlato Sacerdotio neceſſe eſt vt Legis tranſlatio fiat. Hebr. 7. v. 1. 2. 3. 4. 6. 7. 9. 11. 12. 13. 17. 21. Chriſtus mutauit legem Matth. 26. v. 26. 27. 28. q Ioan. 6. v. 51. 53. 54. 55. 56. 57. 58. Matth. 26. v. 26. 27. 28. 1. Cor. 11. v. 27. 28. 29. r Ioan. 6. v. 51. Matth. 26. v. 26. 27. 28. Ioan. 2. v. 9. ſ Act. 2. v. 24. cap. 20. v. 7. 11. Lucæ 24. v. 30. 31. 32. 35. 1. Cor. 11. v. 27. Ioan. 6. v. 50. 51. 57. 58.

Profiteor pariter in p Miſſa offerri Deo verum, proprium & propitiatorium ſacrificium pro viuis & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento eſſe verè, q realiter & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem, vnà cum anima & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, fierique r conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia Tranſſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub ſ altera tantum ſpecie, totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi.

s 1. Cor. 3. v. 11. 12. 13. 14. 15. Matth. 12. 32. Non omne peccatum eſt mortale. 1. Ioan. 5. v. 16. 17. Nihil coinquinatum intrabit in Regnum cælorum. Apoc. 21.

Constanter teneo t Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium u ſuffragiis iuuari.

Digitized by Google

v. 27. Dimisso peccato, remanet pœna soluenda Num. 14. v. 20. 21. 22. 23. 29. 30. 32. 33. 34. 2. Reg. 12. v. 13. 14. & Matth. 23. v. 14. 2. Maccab. 12. v. 42. & sequentibus.

Similiter & sanctos vnà cum Christo regnantes, * venerandos atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum *y* reliquias esse venerandas, * Ioan. 12 v 26. Intercessio sanctorum.

Apocal. 5. v. 8. cap. 8. v. 3. 4. Angeli inuocati. Gen. 19. v. 1. 2. 15. 17. 18. 19. 20. 21. Defuncti sancti inuocati. Gen. 48. v. 15. 16. Luc. 16. v. 22. 23. 24. 26. 27. Angeli cognoscunt. Luc. 15. v. 10. Sancti in hac vita cognoscunt 2. Reg. 6. v. 11. 12. Act. 5. v. 3. Sancti defuncti cognoscunt 1. Reg. 28. v. 8. 14. 15. 18. 19. 2. Paralip. 21. v. 8. 12. 13. 14. 15. 1. Cor. 13. v. 8. 9. 10. 12. Dan. 8. 13. 14. Sancti similes Angelis Matth. 22. v. 30. *y* 2. Reg. 13. v. 21. Act. 19. v. 12.

3063	4	7	Ieſabel occidit Prophetas 3. Reg. 17. Elias mittitur in Sarephtam. ibid.	
3064	5	8	Ioram Iudæus putatur, nunc primum cum patre regnaſſe 4. Reg. 8. v. 16.	
3065	6	9	Hoc an. finitur ſiccitas. 3. Reg. c. 1. v. 1. Elias occidit impios Prophetas. 3. Reg. v. 18.	

Anni mundi.	Iuda	Israel.	
3066	7	10	Fuga Eliæ. 3. Reg. 19.
3067	8	11	Ochoſias Iudæus naſcitur. Vocatio Eliſæi. 3. Reg. 19. v. 19.
3071	12	15	
3072	13	16	Elias in Carmelo cum diſcipulis.
3073	14	17	Bellum Achabi cum Syro. 3. Reg. 20. liberatur Samaria.
3074	15	18	Achab parcit Syro, & reprehenditur à Propheta, 3. Reg. 24.
3075	16	19	
3076	17	20	Ochoſias Iſraëlita cum patre. Ioram Iudæus cum patre. Nabothi vinea.
3077	18	21	
	19	22	
			Hic annus 3. videt Principes. Si fractiones expendas, refert biennium: licet, non integrum. Suppleri etiam poſſit hoc ex aliis annis.
			Ioram poſt mortem fratris & patris regnat. 4. Reg. 1.
	20	23	In 1. vel 2. an. Ioram, incidiſſe videtur tranſlatio Eliæ, cuius rei hiſtoriam belle proſequitur Salianus an. 3139. certè in expeditione, quæ iam parabatur à Ioramo Iſraëlita & Ioſaphato contra Moabitas, hi duo reges Elizæum conſulunt. 4. Reg. 3. v. 12.
3081	21	Ioram 1	

Digitized by Google

Anni	Iuda	Iſrael.	
	22	2	Elizæi miracula de olei multiplic. & reſuſcitato filio Sunamitidis.
	23	3	Amarias Pontifex.
	24	4	Ioram Iudæus iterum Rex nominatur, cum inſtaret mors patris.
	25	5	Fames 7. annorum ſub Elizæo.
3085	Ioră. 2	6	Hic Ioram Iudæus cœpit regnare cum patre, 5. anno patris: & nunc ſolus rex nominatur.
	3	7	Iam finitur 4. annus, ex quo Ioram iſte regnat cum patre.
	4	8	Anno 4. famis obſidetur Samaria à Benadab.
	5	9	
	6	10	Hunc aliqui vocant annum 8. Ioram. Intellige, ex quo regn. cum patre.
	7	11	Ceſſat fames, redit Sunamitis.
	8	12	Ochoſias aliquot menſibus regnat in Iuda. Homerus moritur anno 272. poſt captam Troiam.
3093	Atalia. 1.	Iehu. 1	Athalia regnat 6. annis. Ioiada Pontifex. Iehu verò annis 28.
3094	2	2	
3098	6	6	
3099	Ioas. 1	7	Ioas regnat annis 46.

Anni	Iuda	Israel.	
3100	2	8	
3108	10	16	Carthago condita à **Didone** : sed postea iterum, ac proinde bis condita. Astrapas Assyriæ.
3120	20	28	
3121	23	Ioachas. 1.	Ægyptiorum Dynastia 22. durat annis 49.
	24	2	
	25	3	
	26	4	Licurgi leges feruntur. **Pedaias** Zachariæ frater, Pontifex.
	27	5	
	28	6	
	29	7	
	30	8	
3129	31	9	Hazel Syrus expugnat Geth, 4. Reg. 12. v. 17.
3130	32	10	
3131	33	11	
3134	36	14	
	37	15	Hazeli Syro succedit **Benadab.4.Reg.13.v.24**
	38	16	Ioas vincitur à Syro. 2. Par.24. v. 24.
	39	17	Mors Zachariæ. 4. Reg 12. in atrio Templi.
3138	40	Ioas. 1	

3193

Digitized by Google

Anni	Iuda	Iſrael		
3139	Amaſias. 1	2	Sedicias Pontifex.	
	2	3		
	3	4		
3142	4	5	Moritur circa hunc annum Elizæus: quo etiam anno Ieroboam incipit regnare cum patre. 4. Reg. 14. v 1.	
3147	9	10		
	10	11	Hoc etiam an. atque inſequente Iſraëlita Rex vincit Syros.	
	11	12		
	12	13	Amaſias bellum mouet contra Idumæos, & vincit.	
	13	14		
	14	15	Amaſias vincitur à Ioa. Naſcitur Oſias. 4. Reg. 14.	
3135	15	16		
3153	16	Ieroboã. 1	Ieroboamus ſecundus.	Sardanapalus, Rex Aſſyr. Vltim⁹
3155	17	2	Ionas paulo poſt in Niniuem miſſus.	
	18	3	Vienna Allobrogum extincta ab Affricano exule.	
	19	4		
	20	5		

Anni	Iuda	Israel.		
	24	9		
	29	14		
3168	Osias 1	15	Hic Osias dictus Azarias. Ioël Pontifex.	
3169	2	16	Circa hunc an. incipiunt prophetare, Hoseas, Ionas, & Ioël: postea vero, Isaias circa annum 43. Oziæ.	
3170	4	19		
	5	20	Ægypt. Dynastia. 23. durat an. 44.	
3173	6	21		
3175	8	23	Assyriorum Monarchia deficit in Sardanapalo.	Medorum regnũ & Babylonicũ in Phul Babilonio, & Arbace Medo.
	11	26	Ozias post tutelam per se regnum administrat.	
3194	26	41	Moritur Ieroboam, successoris nominationem impediunt intestina bella: sequitur interregnum: Amos prophetat.	
3195	27	0	Terræ motus in Israël. Interregnum in Israël 12. an.	
	28	0	Nascitur Ioathan: quamuis non primogenitus.	
	30	0		
3206	37	0	Macedonicum regnum incipit.	Macedonicũ.
3207	38	Zacharias.	Nunc tantum regnasse Zachariam habes. Reg. 4. c. 15. v. 8. In eo finitur generatio quarta Iehu.	

Digitized by Google

Anni	Iuda	Iſrael.		
3208	39	Sellum Manahem.		
3209	40	2	Non ante hunc an. Oſias fit leproſus, ex 4. Reg. c 15. v. 5.	
	44	6	Aſſyrij incipiunt venire in terram Iſrael, & an. 3232.	Aſſyrij in Iſraëlitas
3214			Dynaſtia 24.	
	49	11	Achas filius Ioathami naſcitur. Vixit an. 36. Oſiæ lepra nunc tantum videtur accidiſſe.	
3218	50	Phaccia 1	Eſaias ab hoc vel præcedenti an. incipit prophetare.	
3219	51		Tobiam ſeniorem nunc natũm colligunt aliqui.	
3220	52	Phaces 1	In hunc an. incidit prophetia illa quæ eſt Iſa. c. 6.	
3221	Ioathã. 1	2	Ioathan nunc agit annum 25. ſi extrema includas. Ioathan Pontifex.	Ruben & Gad trãſlati.
3222	2	3	Corinthiorum regnum deficit, & Lydorum incipit.	4. Reg. 15. v 29.
3226	5	6	Olympiadum initium in hunc annum 5. Ioathan, vel in annum ſextum incidit.	regna
3227	6	7	Michæas prophetat ſub Ioathan, Achas, & Ezechia. Mich. 1.	Olympiadum initium an. 40/. ab exciſa Troia
3228	8	8	Mirum videtur ab Acha filio Ioathan, & tantum duodeni, genitum hoc anno Ezechiam: ſed rarũ eſt.	

Anni.	Iuda	Israel.		
3231 3232	10	11	Thealath, Poulassor Babylonius an. 4. occupat Galilæam.	Hesiodus moritur
1236	16	17		Babyloni Phul
3237	Achas 1	18	Aretinus poëta Homeri discipulus. Onias Pontifex. Phacea & Syrus obsident Ierusalem, sed frustra. 4. Reg. 15. v. 15.	imperat.
	2	19		
	3	20	Assyrius euocatus ab Acha, Syriam vastat, Rasin occidit, nec Iudæis amicis parcit.	
3240	4	Ozeas 1	An Ozeas nunc tantum sub tutela regnet, certatur.	
3241	5	2	Iuda & Israel tributa pendunt Assyriis, Philistiim vexant Iudam. 2. Paral. cap. 28.	Sozarmus apud Medos regnat.
	6	3	Theglath nunc cladem intulit regno Israel postremam sub Ezechia.	
	12	9	Ozeæ primus annus regni secundo inchoati, iam sequitur.	Ephori Lacædemoniorum an. 3245
	13	10	Ozeę 1	
	14	11	2 Cinathã Telegoniæ auctor.	Athenienſiũ decennale imperium.
	15	12	3	
3251	Ezechias. 1	13	4 Regnat Ezechias an. ætatis 25. præclara præstat, 4 Reg. 18. Theglath Phalasar moritur. Salmanassar incipit	

Digitized by Google

Anni	Iuda	Iſrael.			
				regn. Nerias qui & Azarias Pontifex.	
3252	2	14	5	Roma condita.	Roma.
	3	15	6	Ab hoc ferè anno incipit Tobiæ hiſtoria.	
	3	18	7	Deficit iam regnum Iſrael.	
3257	4	0	0	Obſeſſa Samaria à Salmanaſſare, deportantur 10. tribus in Aſſyriam. Vide 4. Reg. 18. v. 10. & 13.	Nabonaſſarus ab aliis vocatur.
	Iuda	Rom.			
3258	5			Cyrene condita. Ægypti Dynaſtia 25.	Cyrene
3259	6	Romuli. 8		Samaria capitur an. 3. obſidionis à Salmanaſſare.	
3261	8	10		Raptus Sabinarum, & bellum.	
3264	11	13		Sennacherib Babylonius regnat an. 7.	
3265	12	14		Artecarmus apud Medos.	
				Sub hoc rege Ezechia Syracuſæ conditæ; & Naxus in Sicilia, anno Romuli 16. Item Tobiæ hiſtoria. Sennacherib obſidet Ieruſalem. 4. Reg. c. 18. bellum Peloponneſiacum.	
3271	18	20		Rex Babiloniæ Aſſaradon, filius Sennacherib.	
3273	20	22		Dum Aſſaradon bello fraterno implicatur in Aſſyria, Merodach Dux Babyloniæ ſe regem facit.	
				Merodach miſit munera ad Ezechiam 4. Reg.	

Anni	Iuda	Rom.	
3288	Manaſſes an. 8	Romul 37	Gyges Lydorum Rex Ozaias ſeu Odeas Pontifex.
3289	9	Numa. 1	
3302	20	13	Apud Ægypt. redit Dynaſtia quæ eſt 26.
3307	25	18	Iudithæ hiſtoria. Ioachim Pontifex.
3325	43	36	Ben Merodach Rex Babylonius mortuo patre Merodacho.
3333	51	Tullus. 1	Abacuc Propheta. Sellum Pontifex.
3338	Amō. 1	6	Corynthij Corcyram inuadunt.
3340	Ioſias. 1	8	Sephonias Propheta. Helcias Pontifex.
3346	7	14	Artines Medorum rex 7. regnat, mortuo Deiace Patre. Nabopolaſſarus ab aliis Nabuchodonoſor primus regnat annis 28. pater eſt Nabuchododoſor magni.
3357	18	25	Ioſias celebrat Phaſe. 4 Reg. 22. poſt an. 30. Ezechiel viſionem habet ad fluuium Chobar, Ezech. c. 1. v. 1.
3364	25	Ancus. 1	Breui regnauit Artabanus apud Medos.
3371	Ioachas.	8	Azarias Pontifex. Sararias Pontifex.
3374	4 Captus	11	Initium Captiuitatis Babylonicæ quam infra habes deſcriptam. lib. 4. reg. c. 24. & quæ

Digitized by Google

intelligi non poteſt ſine hoc temporum, regnorum & principum compoſito ordine & comparatione.

VI. Tabula, continens hiſtoriam ſacram à captiuitate vſque ad Chriſtum.

Anni mundi.	Cyri ann. 30	Pontifices.	Ductores.	
3444	1			Soluta captiuitas.
3445	2	Ioſue 1	Zerobabel. 1	Redeunt Iudæi in patriam & ivrbes occupant.
3446	3	2	2	Inchoatur templi ædificatio. annus celebris. Solonis & Cræſi colloquium.
3449	6	5	5	Hoſtes variis artibus impediunt opus templi. Philoſophi Parmenides & alij.
3473	29	28	28	Vltimus Cyri annus, Herodotus victum putat à Tomyride, incertum eſt.
3474	Cambiſes 1	29	29	Cambyſes vehementius etiam quam vivente patre impedit templum. Dicæarchia in Apulia per Samios.
3481	8	37	37	Cambyſes moritur in Ægypto victor, in flore ætatis, moritur Polycrates.
3482	0	38	38	Certatur à Magis de Perſico Imperio.
3483	Dar. Hiſtaſpis 1	39	39	Hyppias propter tyrannidem pulſus Athenis venit ad Darium vel an 3494. poſt aliquot annos redit dux ad pugnam Marathoniam.
3483				Deinceps ſeu ab anno mundi 3483. vſque ad annum 3828. qui eſt Machabæorum

Anni mundi.	Cyri anni.	Pontifices.	Ductores	
				ſub Perſis, Græcis ac Romanis, nihil ferè ex his libris habemus.
3484	2	40	40	Zorobabel iterum inchoat templi ſtructuram.
3488	6	44	44	Completur templum interius, & fit dedicatio.
3491	9	47	47	Completa templi exteriora ædificia, ac proinde 46. annis extructum.
3495	13	51	51	An vltra hunc an. manſerit Hieroſolymis Ierobabel incertum eſt. Putatur poſt aliquod tempus obiiſſe in Babylonia.
3507				Primus Romæ dictator.
3518	Xerxes Darij filius. 1			Circa hunc an. videtur mortuus Ierobabel. Imo & Ioſue. Hippocrates tyrannus in Sicilia.
3531	13	Ioachim. 1		Artaxerxes Longimanus, vt eſt quorumdam ſententia incipit, regnare cum patre.
3537	19	7	Eſdras	Eſdras venit Babylone' Ieruſalem: Eſdr. 7. v. 1. 6. & 7. anno 7. Longimani regnantis cum patre.
3538	20	8		Artabanus Xerxem & Darium filium natu maximum occidit.
3539	Lõgimanus ſolus. 1			An Longimanus regnauerit cum patre, non eſt omnino certum: & à quibuſdam improbatur.
3540	2	Eliaſib.		Hunc Pontificem Euſebius ponit filium Ioachimi & ſub Longimano.

5558

Anni mundi.	Cyri anni	Pontifices.	Ductores	
3558	20		Nehemias	Nehemias obtinet facultatem veniendi Ierusalem. Romæ leges 12. tab.
3559	21			Exitus sermonis ædificandi Ierusalem 70. Hebdom. Nehemias missus præest operi. 2. Esdræ c. 2.
3572	34			Completis muris Nehemias redit ad Longimanum annis 12. post aduentum.
3578	40		Iterum.	Mortuo Longimano redit Nehemias in Ierusalem.
3540		Ioiada		Romani hoc primum anno extra Italiam pugnant.
Anni mundi.	Assueri	A Roma cõdita.		Ordo rerum gestarum ad notitiam historiæ Esther.
3643	2	392		Nunc contigit somnium Mardochæi. c. 11 v. 2. Esther.
3644	3	393		Conuiuium Assueri.
3645	4	394		Pulsa Vasthi, Esther ducitur ad palatiũ.
3646	5	395		Esther biennio hæret cum ancillis.
3647	6	396		
3548	7	397		Esther introducitur ad regẽ. c. 2. v. 17.
3649	8	398		
3650	9	399		
3651	10	400		Aman magnus apud regem.
3652	11	401		Mardochæus non adorat Amanem. Hinc

Anni mundi.	Aſſueri	Rom.		
3653	12	402	Ioſeph Dux.	an. 12. edictum in Iudæos, menſe Adar (qui eſt Februarius.) Eſther poſt conuiuium prævalet. Suſpenditur Aman: filij in carcere. Poſt duos menſes à priore edicto exit nouum edictum de occidendis hoſtibus Iudæorum poſt aliquot menſes: hoc eſt eodem die quo debebant occidi Iudæi.
3654	13	403 Pontifices. Ionatã		Hoc anno Aſſueri occiduntur hoſtes Iudæorum menſe Adar, eodemque tempore quo debebant occidi Iudæi per prius edictum. ex cap. 16. v. 20. & c. 13. v. 6. de filiis Aman.
3660			Abner	Abner Semeidux Iudæorum.
3661	Arſes.			An. 17. Philippi Macedon. reg. Ariſtoteles docere incipit Alexandrum natũ an. 13. an. verò 20. naſcitur Epicurus.
3666				Arſes Rex Perſarum, 3. an. Diod. l. 17.
3668	Darius.	Iaddus		Alexander Magn. Rex 23. Macedon. incipit regnare annos natus 20. regn. an. 12. menſibus Aliquot Arian. occiſus Philippus à Pauſania an. 1. Olimp. 3. Diod. l. 16. Alexander vincit Illyricos, Triballos, Thebanos, &c.
3669				Darius filius Arſis vltimus Rex Perſarum regnat an. 6. Inchoatis. Templum in monte Garizim à Sannaballat conſtruitur.
3670				Alexander placatur à Iaddo Pontifice.
3671			Mathathias.	Mathathias Elith dux Iudæor.

Anni mundi.	Aſſueri	Rom.	
3674 3660			Alexander Imp. Græcorum Monarchiæ, moritur an. imperij 6.
3681			Aridæus præeſt Macedonibus. Ptolomeus Lagi Ægypto. Antigonus Aſiæ in Phrigia.
3683			Aſarmapat dux Iudæorum.
3688			Caſſander Rex Macedonum annis 19. Agatocles incipit regn. in Sicilia. Iuſtinus.
3692		Artaxad nagit. an. 10.	Seleucidarum regnum in Syria incipit. Seleucus regnat an. 33. Vide Euſeb.
3702	Onias Pontifex.	Agaieh an. 8. Philo.	
3710			
3716	Primum bellum Gallorum in Macedonia, in quo Ptolomeum Regem occiderunt, Duce Belgio, in Græcia Duce Brenno, an. 3717.		
3717	Amos Sirach Dux Iudæor.		
3718	Brennus vult ſpoliare templum Delphicum, ſed fruſtra nam victus fuit & plagis affectus à Græcis nec tamen occiſus.		
3725	Bella Gallorum in Scythas & Triballos, & ſecundum eorum bellum in Macedonios. Iidem Galli ducibus Leonorio & Lutario regulis, qui à Brenno de fecerant. In Aſia Monarchiam Galaticam ſeu Gallo-Græciam fundant poſt multas		

Anni mundi.		
	victorias. Initium perſecutionis Machab. ſub Antiocho. 1. Expeditio eius in Ægyptum. 2. Exp. eſt templi prophanatio 3. Mors Eleazari & 7 fratrum. Bella primo duce Matathia. 4. Bella Iudæ. Purgatio templi.	
3725	Galli qui duce Brenno Græciam inuaſerant, ſpoliant templum Delphicum, periere ferè omnes. Polyb. l. 4. Antiochus Soter Rex Syriæ an. 19.	Gallo Græci victi abantigono.
3731	Mathathias Siloach dux Iud. an. 10. Phil.	
3741	Ioſeph iunior dux Iud. an. 60.	
3744	Antiochus Theos Syriæ Rex. an. 15. Euſeb.	
3759	Seleuchus Kallinicus Rex Syriæ an. 20. Euſeb.	
3762	Arienni Galoſi à Gallis victi.	
3779	Seleucus Oxerannus Rex Syriæ an. 3. Euſeb.	
3782	Antiochus magnus Rex Syriæ, an. 36. Euſeb.	
3801	Hircanus dux Iudæorum. 16. Philo.	
3808	Gallo-Græci victi ab Attalo Rege Pergami.	
3815	Celtiberi victi à Romanis.	
3817	Interregnum Iudæorum. an. 20.	
3838	Seleuchus Philopator Rex Syriæ an: 12. de quo Daniel c. 11. 20.	
3830	Antiochus Epiphanes Rex Syriæ. 11. Euſeb.	
3838	Deſolatio in templo. Matathias conſurgit & opponitur impiis. Iudas ei ſuccedit. Qui etiam eſt Pontifex.	
3839		

Anni	mundi.	
	3841	Antiochus Epiphanes moritur: ſuccedit Eupator Antiochus an. 8.
	3844	Demetrius regnat in Syria. Gallo-græci victi à Romanis.
	3845	Ionathas dux & Pontifex Iudæor.
	3847	Romæ primum horologium in vſu, authore Scipione Naſica cenſore.
	3853	Alexander filius Epiphanis regnat in Syria.
	3858	Carthago deleta eſt an. 3. belli tertij Punici.
	3859	Demetrius iunior Rex Syriæ.
	3861	Diodorus Triphon inuadit regnum.
	3862	Simon dux & Pontifex Iudæor.
	3868	Antiochus Sedetes inuadit regnum Syriæ.
	3869	Ioannes frater Simonis dux & Pontifex Iudæor. vocatur Hircanus.
	3875	Demetrius Nicanor Rex Syriæ.
	3898	Cicero naſcitur.
	3900	Ariſtobulus Rex primus poſt captiuitatem ſuccedit ſuo patri in pontificatu & principatu.
	3901	Iamnæus ſeu Alexander ſuccedit fratri ſuo Ariſtobulo in principatu & pontificatu.
	3928	Alexandro in pontificatu ſuccedit Hircanus filius, in principatu vero vxor Alexandra.
Iulius Cæſar	3936	Alexandræ ſucceſſit in principatu filius eius Hircanus Pontifex, ſibi conteſtante fratre Ariſtobulo.

Anni	mundi.		
	3941	Templo expugnato à Pompeianis, confirmatur Hircanus in pontificatu à Pompeio.	
Octauianus Augustus Cæsar.	3964	Herodes Romæ obses Rex Iudeæ à Senatu renunciatur.	
	3967	Herodes Ascalonita capta Ierosolima regnum Iudæorum vsurpat illegitimus successor, ac proinde auferetur dux de femore Iudæ.	
	3985	Herodes, templum Ieroſolimitanum restaurat & ampliore ambitu adornat.	
	3998	Beata Virgo Maria nascitur.	
	4001	Angelus Gabriel annuntiat B. Virgini Mariæ Incarnationis mysterium. Et hoc anno Christus Iesus nascitur filius Dei factus homo.	
Anni Christi.	1	Christus circumciditur, adoratur à Magis in templo præsentatur, fugit in Ægyptum. Infanticidium Innocentium.	
	8	Herodes moritur diuina vltione percussus.	
	9	Christus reducitur in Palæstinam.	
	12	Iesus Christus remansit in Ierusalem, in medio Doctorum inuentus à parentibus.	
	17	Tiberius Cæsar Imperator.	
	31	Christus baptizatur. Prædicat, & miracula edit. Eligit 12. Apostolos. Primum Pascha.	Ioan. 2. & 4. 45.
	32	Ioannes Baptista martyrium subit. Alterum Pascha. Ioan. 5. v. 1.	

Digitized by Google

Anni mundi.		
33	Tertium Paſcha. Ioan. 7. 1.	Mat. 26 Marc 14 Luc. 22. Ioan. 18
34	In quarto feſto Paſchatis crucifigitur Chriſtus anno ætatis 34. incoato per tres menſes circiter.	
	Hoc eodem anno reſurgit, docet Apoſtolos, Petrum ſuum Vicarium conſtituit tradens ei claues Regni Cœlorum, aſcendit in cœlum, mittit Spiritum ſanctum.	

Digitized by Google

Septima Tabula continens breuem Chronologiam ſummorum Pontificum, & Scriptorum veterum, vel etiam Doctorum.

Summi Pontifices.	*Anni mundi*	*Doctores ſacri.*	*Doctores prophani.*
1. Adam.	1.	Adam accipit à Deo per infuſionem omnes ſcientias diuinas & humanas. Vide quę de eo dicta ſunt l. 2. c. 11 p. 136.	
2. Seth.	2.	Seth naſcitur, primus fuit legis naturę Pontifex, ob Adami patris excommunicationem & interdictū. Vide ſuperius l. 2. c. 11. pag. 138. & cap. 12 p. 142. plures libros ſcripſit.	
	687	Mathuſalem naſcitur qui potuit ab Adamo doceri.	
	874	Lamech pater Noë naſcitur, qui etiam ab ipſo Adamo doceri potuit.	
	930	Adam anno ætatis 930. & Lamech 56. moritur.	
		Quatuor Scriptores ſacri priorum temporum fuere Adam, Seth, Henoch, & Noë. De Adamo, huius (inquit Suidas v. Adam) ſunt Artes, & litteræ, huius ſunt ſcientiæ rationales & non rationales, huius prophetiæ ſacrorum-	

quę

Summi Pontifices.	Anni mundi	Doctores ſacri.	Doctores prophani.
		que operationes, huius leges ſcriptæ, & non ſcriptæ, huius inuentiones. De Seth Kircherus in Obeliſco teſtatur eum ſcriptis mandaſſe ea, quæ a patre didicerat.	
	987	Enoch natus anno 622. hoc anno tranſfertur, huius ſcriptorum meminit S. Iudas in Epiſt. Item Tertul. & alij. Vide l. 2. c. 11. pag. 139. de Enoch ita Auguſtinus l. 15. de Ciuitate Dei c. 23. ſcripſiſſe diuina nonnulla Enoch negare non poſſumus, nam & B. Iudas in Epiſtola 5. 14. mentionem facit eius ſcriptorum. Ac tandem Noë teſte Beroſo l. 3. Selden. de iure naturali, & aliis, conſcripſit horrendã diluuij hiſtoriam & ſuum teſtamentum cum benedictionibus filiorum ſuorum.	
3. Iared.	1042	Iared ſuccedit Seth hoc anno mortuo in pontificatu.	
4. Noë.	1056	Noë naſcitur, à patre ſuo Lamech edoctus eſt tum pietatem, tum ſcientias. Etenim Lamech fuit propheta. Vide l. 2. c. 11. pag. 139. Fuit autem Noë octauus præco diuinę	

Summi Pontifices.	Anni mundi	Doctores ſacri.	Doctores prophani.
		iuſtitiæ. l 2. cap. 11. pag. 139 ſucceſſit autem in ſummo pontificatu legis naturæ Iared anno mundi	
	1656	1422. Diluuium. Noë tunc erat ann. 600.	
	1787	Circa hæc tempora in natiuitate Phaleg accidit linguarum confuſio, ſeu nouarum linguarum infuſio, Hebraïca in familia Heber manente.	
	1978	Abraham naſcitur qui potuit edoceri à Noacho, cum quo vixit an. 28. circiter.	Sunt qui ſub hęc tempora ponunt Zoroaſtren Regem Bactrianorum, primum magicæ artis inuentorem: inter quem & Belum primum Aſſyriorum Regem bellum cruentum fuit. Verum de eo conſule quæ diximus libro 2. cap. 16. pag. 153.
5. Sem, ſeu Melchiſedech.	2006	Noë anno ętatis 950. à diluuio 350. ætatis Abrahæ 28. mortuus eſt cui in pontificatu ſucceſſit Sem. Hæc omnia præcedentia colliguntur ex Geneſi c. 6. & 9.	
	2078	Naſcitur Iſaac anno patris 100. edoctus à Patre.	
	2138	Naſcitur Iacob anno Iſaac 60. potuit ab Abraham edoceri.	
	2150	Sem ſeu Melchiſedech in pontificatu ſucceſſit Iſaac.	
6. Iſaac.	2153	Abraham moritur anno ætatis ſuæ 175. Iacob autem 15. cui ſucceſſit Iſaac in pontificatu, & huic ſucceſſit Iacob anno mundi 2256.	

Summi Pontifices.	*Anni mundi*	*Doctores ſacri.*	*Doctores prophani.*
7. Iacob.	2229	Ioſeph an. ætatis patris 97. naſcitur. Colligitur ex eo quod poſt annum 30. factus eſt Princeps Ægypti, ſub quo principatu exactis 7. annis fertilitatis & 7. famis, Iacob deſcendit in Ægyptũ anno vitæ 130. vixit Ioſeph annis 110.	
	2259	Ioſeph factus princeps Ægypti edoctus ipſe in omni ſcientiarum genere, docet prudentiam ſeniores Ægypti.	
8. Caath.	2285	Iacob moritur exactis 17 annis in Ægypto. Cui ſucceſſit in ſummo pontificatu Caath filius Leui qui à patre interdictus & ſuſpenſus fuit à miniſterio ſacro propter cædem Hemor & Sichimitarum, vt probat Bolducius libro 3. de Eccleſia ante legẽ c. 11.	
	2290	Circa hæc tempora Iob in omni Philoſophia & Theologia eruditus. Colligitur ex Saliano, Bellarmino & Pinneda, qui eum paulo antiquiorem faciunt.	
	2300	Circa hæc tempora florent inſignes Philoſophi, Eliphas Themanites, Baldad Suhites, Sophar Nahamati-	

Digitized by Google

Summi Pontifices.	*Anni mundi*	*Doctores ſacri.*	*Doctores prophani.*
		tes: quibus addas Eliud Hæc ex libro Iob. Porrò idem Iob ex Bellarmino & Saliano, librum ſuum ſcriptis mãdauit. Cui initium, & finem apposuit Moyſes.	
	2338	Ioſeph moritur.	
		Moyſes naſcitur. Eruditur in omni ſapientia & ſcientia, ex S. Stephano in Act. Apoſt. tum à Patre Amram, quem Prophetam multi tradunt fuiſſe, tum ab aliis.	Eo tempore quo Moyſes natus eſt, floruit Athlas Aſtrologus, Promethei Phyſici frater, ac maternus auus maioris Mercurij, cuius nepos fuit Mercurius vocatus Triſmegiſtus. Ex Marſilio Ficino. in lib. Merc. Triſm.
9. Amram.	2388	Hoc an. Caath mortuo, ei ſuccedit Amram in pontificatu.	
	2421	Aaron ſuccedit in pontificatu Amram defuncto.	
	2443	Moſes quadragenarius inuiſit Iſrael, &c. librum Iob reddit lingua Hebraïca, additis fine & principio, ad conſolationem Iſraelitarum.	
Pontifices legis Moſaicæ.			
1 Aaron qui pontificatũ legalẽ tenuit an 39. cui ſucceſſit filius eius.	2483	Iob moritur, ex Saliano.	
	2524	Moſes ſcripto Pentatheucho moritur. Succedit Ioſuë tum in principatu, tum in magiſterio & doctrina.	
2. Eleazar, qui pontificatũ tenuit ann. 8. cui ſucceſſit filius eius.	2549	Ioſuë ſcripto libro qui eius nomine dicitur, obit. ex Gordonio.	Mercurius Triſmegiſtus poſt Moiſen ex D. Aug. de Ciuit. l. 18. Vide ſup. l. 2. c. 14. p. 148.
3. Phinees per annos 40. ſub			

Summi Pontifices.	*Anni mundi*	*Doctores sacri.*	*Doctores prophani.*
iudice Othoniel eique succeſſit eius filius.	2646	Circa hæc tempora, Subſolate Aſſyriorum rege, & Aod Iudice Iudæorum.	Cadmus litteras & doctrinam ex Phœnicia in Græciam infert, & Thebas Parthię condit. Herodotus.
4 Abiſnec per annos 56. ſub Aod iudice cui ſucceſſit filius eius.	2679	Delbora prophetiſſa vxor Lapidoth. Iudic 5. cap. 31.	
	2696		Primæ Sybillæ ſub Delbora & Abimelech.
5. Boccus per an. 13. ſub eodem Aod iudice cui ſuccedit.	2758		Orpheus, Linus, Muſæus ſub Gedeone.
6. Ozias per an. 40. ſub Barac & Delbora, cui ſucceſſit filius.	2813		Sybilla 5. dicta Erythræa, ſub iudice Abeſan prædixit Troiæ excidium. Lactan. lib. 2. de vera religione.
7. Zaraias per annos 40. ſub Gedeone iudice cui ſucceſſit.			
8. Maraioth per an. 33. ſub Abimelech iudice &c.	2810		Troiæ excidiũ.
	2828		Draco Athenienſium legiſlator.
9. Amazias ei ſucceſſit per an. 36.			Quo anno Æneas moritur, Mopſus diuinator viuit. Calchas ei contemporaneus. Cic. 1. de diuin. Strab. l. 9. & 14.
10. Achitob ei ſucceſſit per an. 20. ſub Samſone.	2878	*Sub Iudice Elon.* Samuel Propheta incipit iudicare populum.	
	2918	Samuel moritur, eſt auctor libri Iudicum, Ruth & Regum. ex Iren. lib. 6. Orig. c. 2.	
11. Heli Iudex & Pontifex ſucceſſit per annos 40.	2819	Dauid eligitur Rex in Hebron.	
12. Achitob nepos eius ſucceſſit per an 22.	29.6	Dauid regnat in Ieruſalem puſis Iebuſæis, prophetant Gad & Nathan.	
13. Achias vel Achimelech filius eius ſucceſſit per an. 13. ſub	2957	Dauid auctor libri Pſalmor. Moritur ſuc-	

Summi Pontifices.	*Anni mundi*	*Doctores sacri.*	*Doctores prophani.*
Saule Rege, & filius.		cedit Salomon.	
14. Abiathar	2988	Sub Salomone rege.	Nascitur Homerus
successit per an	2999	Moritur Salomon au-	anno ab exidio Ilij
46 sub Saule,&		thor librorũ Sapien-	168. ex Herod. in
Dauide.Cui suc		tiæ, Prouerbiorum,	vita eius.
cessit.		Ecclesiastis, & Canti-	
		ci Canticorum.	
15. Sadoch in-	3000	Sub Roboamo pro-	
unctus per Na-		phetat Achias.3. Reg.	
than Prophetã		cap. 11. & Semeias 2.	
loco rebellis A-		Par. c. 2. 3. Reg. 12.	
biathar degra-		& Addo 2. Par. cap.	
dati, regnauit		9.	
autem an. 19	3019	Sub Asa prophetat	
sub Salomone,		Azarias. 2. Par. 15. 1.	
eque successit	3023	Sub Baasa rege Israel	
16. Achimaas		prophetat Ananias. 3.	
per ann. 17. cui		Reg 17. 7.	
successit.	3060	Sub Iosaphat & Achad	
17. Azarias per		prophetant Elias &	
an. 78. sub re-		Gehu. 3. Reg. 17. &	
gibus Asa,& Ba-		18.& 16. 1. & Eliezer.	
sa.		2. Par. 20. 17.	
18 Iohanã succedit per an.26.	3079	Sub Iosaphat & Ioram prophetat Eli-	
sub Asa & A-		zæus.4.Reg. 2. v. vlt.	
chab.		& 3. 1.	
19. Azarias succedit per an. 17.	3092	Anno septimo Ioram regis Iuda.	Homerus moritur an ætatis 104 anno 272.
sub Iosaphat	3155	Sub Ieroboam Re-	post captam Troiam.
Rege.		ge Israel prophetat	& 16. ante Vrbem
20.Amarias succedit per an 15.		Ionas. 4. Reg. 14. &	conditam. Solin. c.
sub Ioram.	3170	Ion. 3.	43.Vide Herodotum.
21. Ioiadas succedit per an.34.		Sub Ozia rege Iuda prophetant Ozeas &	
sub Ioa & Ioa-		Amos.	
cha.	3212	Anno Oziæ 52. pro-	
22. Pedaias succedit per an. 12.		phetant Isaias vsque ad Manassen. Item	
sub Ioa.		Michæas Mich. 1. &	
23 Sedecias suc-		Obed. 2 Par. 28. &	
		Abdias.	

Summi Pontifices.	*Anni mundi*	*Doctores ſacri.*	*Doctores prophani.*
cedit per an. 29.	3227	Anno quarto Ionathan.	Olympiades incipiſſit celebrari æſtiuo. Heſiodus ſub initio Ozix obit, Sem paulo poſt, Solin. cap. 45. poſt Homerum circiter 138.
ſub Amalia, &	vel		
Ieroboam.	3228	Sub Ionathan, Ioë	
24. Ioë. ſuccedit per an. 51.	3230	prophetat.	
ſub Ozia	3251	Sub Achas anno regni 4.	
25. Ioathan Rex	3254	Anno 1. Ezechiæ incipit prophetare Nahum.	Roma condita eſt anno, 1. Olimp. 7. menſe Aprili. Liuius, Diony.
& Pontif. ſuccedit per an. 16.	3268	Hiſtoria Tobiæ ſub Sennacherib, qui tranſtulit Iſraëlem.	
26. Vrias ſuccedit per an. 14.			
ſub Achia.	3285	Sub Manaſſe prophetat Abacuc. Ribera prælud. 2.	
27. Nerias ſuccedit per an. 29.			
ſub Ezechia.	3290	Sub Manaſſe.	Numa Pompilius 2.
28. Oſaias ſuccedit per an. 6	3307	Hiſtoria Iudith. Cuius auctor eſt Eliacim	Rex Roman. incipit regnare, dicitur caſtigato anno adieciſſe menſes Ianuarium
ſub Manaſſe.		Sacerdos, ex Bellarmino.	
29. Ioachim ſuccedit per an. 49.	3338	Sub Ammon filio Manaſſes prophetat Sophonias, vel potius ſub Ioſia. Sophon. 1. 1.	& Februarium.
dictus fuit etiã Eliachim.			
30. Sellum per 2. an.	3352	Anno Ioſiæ 13. inchoat prophetare Hieremias. Ierem. 1.	
31. Heleias ſuccedit an. 31. ſub			
Ioſia.	3371	Circa hæc tempora Vrias Propheta de	
32. Azarias ſuccedit per an. 10		quo Ierem. 26.	
ſub Ioachim Rege Iudæ.	3374		Incipit Nabuchodonoſor magnus. Hinc ad Cræſi tempora floruerunt Sapientes Græciæ, ſunt enim ad Cræſum captum anni 86.
33. Saraias ſuccedit per an. 11.			
ſub captiuitate Iudæorum.			
34 Ioſedech ſuccedit per annos	3388	Incipit prophetia Ezechielis.	Incipit regnare Tarquinius Priſcus apud
70. tempore captiuitatis Babilonicæ ſub Iechonia & Sala-			Rom. cuius an. 33. Solon dedit leges, id eſt eas perfecit Athe-

Summi Pontifices.	Anni mundi	Doctores sacri.	Doctores prophani.
thiel.			nienſibus, abrogatis Draconis legibus, antiquiſſimi legiſlatoris.
35. Ioſue ſuccedit in pontificatu poſt ſolutam captiuitatẽ Babilonicam & reuertitur in Ieruſalẽ cum Zorobabel duce, & vterque templũ cum vrbe reſtaurant. Anno ſecũdo Cyri Imperatoris Perſarum. Vterque regnarunt, primus in Pontificatu, alter inducatu ſeu regimine per annos 31. hic eſt autem Ioſue ſeu Ieſus filius Ioſedech de quo fit mentio in Prophetiis Aggæi c 2.	3393	Ieruſalem capitur & fit vltima captiuitas, ceſſat regnum Iudæorum.	Nunc etiam venit Romam Sybilla Cumæa. Altius Nouius diuinator. Cic. 1. diu.
	3397	Tempore captiuitatis prophetant Baruch & Daniel.	
	3411		Solonis leges incipiunt anno Vrbis 1. & 4. Olymp. 46. Euſeb.
	3419		Arion Muſicus floret, vel vt alij, ſub Ioſia. Eodem tempore Ariſtoxenus & Archilochus. Euſ. imò & Simonides de quo Euſeb an. 3483.
	3440		Æſopus occiditur à Delphis.
	3441	Sub Balthaſſar, & Olymp. 62.	Florent nunc Epimenides Cretenſis qui putatur auctor illius inſcriptionis, *Ignoto Deo*, & Anacharſis, ex Suida.
36. Ioacim dux & Pontifex ſimul regnat 22. an.	3444	A Cyro remittitur captiuitas Iudæorum. Prophetant ſub Zorobabel Aggæus & Zacharias.	Colloquium Solonis & Cræſi.
37. Eliacib dux & Pontifex regnat an. 40. in pontificatu & 7. annos inducatu.	3446		
	3456	Flet Eſdras, ſacra volumina Scripturæ ſacræ reparat, & in eo ordine, quo ea nunc habemus, diſtribuit	Thales Mileſius moritur Olymp. 58. ætatis 90. inſtitutor ſectæ Ionicæ.
38. Ioiadas dux & Pontifex regnat 20. an.	3470	Nouos Characteres linguæ Hebraicæ format.	Sybilla 8. Heleſpontica ſub Tarquinio ſuperbo, ex Lact. lib. 1. de vera relig.
39. Ionathã dux & Pontifex annos 40. regnauit.	3476		Sub Tarquinio floruerunt Sapho Leſbia

Digitized by Google

Summi Pontifices.	*Anni mundi*	*Doctores ſacri.*	*Doctores prophani.*
40. Ieddo qui & Iaddus dux & Pontifex regnauit an. 40.			bia, de qua Herod. p. 73. Alcæus Poëta Mytilenæus, Phaylides, Suid.
41. Onias Pontificatum tenet an. 24.	3476	Eſdras accipit ab Artaxerxe Rege Perſarum regendi Iudæos poteſtatem & Ieroſolimam ampliandi. Viuebat tunc Eſther in Gineræo Artaxerxis. Viuebat &	Theognis Megarenſis è Græcia, vt notat Scaliger ad annum Euſeb. 1470. Anaximander horologiorũ & ſphæræ inuentor. Zeno, Parmenides & Epicharmus, Laërt.
42. Simon Pontificatum tenet an. 12.			
43. Eleazar põtificatum tenet an. 32.			
44. Manaſſes pontificatũ tenet an. 9.		Nehemias qui cum Eſdra rexit Iudæam ſub Pontifice Eliacib.	Item Romæ Publius Papyrius, Iuriſconſul. qui leges à regibus datas in vnum collegit.
45. Onias ſecũdus pontificatũ tenet an. 14.	3483	Florẽt Rabbi Iehuda, & Rabbi Salomon.	Ex Euſebio, florent Simonides qui vixit annos 89. & Anacreon poëta qui fuit Polycrati familiaris.
46. Simon ſecundus pontificatum tenet an. 25. ſub finem põtificatus fuit etiam dux.	3495 vel		Pythagoras Samius auctor ſectæ Pythagor. nunc venit in Italiam an. vrb. 244. Solin. c. 21. Strabo lib. 14. Gel. 16. c. 21.
47. Onias tertius dux & Pontifex annis 36.	3496		
Iaſon & Menelaus eius pontificatum vſurparunt.	3503	Sub Reſu & Xerxe.	Florent Herodotus & Heracleus Hiſtorici. Empedocles & Agrigentinus (Euſeb.) Anaxagoras Clazom. eius periclis præceptor, & Socratis & Thucididis incipiunt florere, paulò poſt naſcitur Euripides poëta. Ariſtides nunc viuebat.
48. Mathatias, dux & Pontifex anno vno.			
49. Iudas Machabæus dux & Pontifex an. 6.			
50. Ionathas dux & Pontifex annis 19.	3525		
51. Simon dux			

Digitized by Google

Summi Pontifices.	Anni mundi	Doctores sacri.	Doctores prophani.
& Pontifex annis 8.	3534		Sophocles an. vrbis 283. primam fabulam docet iuuenis adhuc.
52. Ioannes Hircanus dux & Pontifex an. 31.	3560	Hic annus est 20. Darij Longimani à quo incipiunt 70. Hebdomad. Danielis. Nehemias vrbem restaurat sub Rasal. Eliasib sub Ioanne duce Iudæorum.	
53. Aristobolus Rex & Pontifex an. 1.			
54. Ianneus Pōtifex an. 26.			
55. Hircanus secundus Pontif.	3571		Metom Astronomus edidit exeunte Olimpiad. 86. ἐνιαυσιηρίδα, seu famam magni anni illius qui continet annos 19. & emboliſmos aliquot qui quoquomodo distet ab aureo numero, & quæ sit forma eius. Vide Scalig. lib. 2. de emend. Huius periodi initium putatur à solstitio cancri.
49. pontificatum gessit sub Herode Ascalonita.			
56. Ananetus Pontifex succedit per annos 6.			
57. Iesu Pontifex 1. annum, Simon Pontifex factus ab Herode qui pontificatum tenuit an. 21.	3573	Sub bello Persico viuit adhuc Nehemias, reditque ad Xerxem.	Isocrates orator incipit florere, & Plato nascitur an. 3. huius belli. Nunc floret Hippocrates Medicus, nempe sæculo Socratis, Parmenidis, Melissi & Sophoclis poëtæ tragici.
58. Matthias Pōtifex per an. 2. sub quo Christus natus est.			
59. Ioazar Pontifex 1. an.	3600		
	3616		
60. Eleazar Pōtifex 3. an.	3656	Sub finem ducatus Ioanna.	Socrates occiditur. Confusius Philosophus Sinensis floret.
61. Iesu Pontifex an. 3.	3621	Sub Iosepho Iudæorum duce.	Appelles pictor floret. Suidas in Eupomp. nascitur Aristoteles. Olimp. 99. Euseb. florent De-
62. Ananus seu Annas Pontifex per annos 6 cui successerunt Ismael 1. cui Elea-			

Digitized by Google

Summi Pontifices.	*Anni mundi*	*Doctores ſacri.*	*Doctores prophani.*
zer 1. an. Simon vno anno. Ioſeph Caiphas ſub quo Chriſtus paſſus eſt anno 15. eius pontificatus.			moſthenes & Plato. Didymus Rex Indor. Philoſophus floret.
	3664	Sub Abner duce Iudæorum.	Epicurus naſcitur an. 20. regni Philippi Macedon.
	3694	Sub Artaxad duce Iudæorum.	Hoc anno vrbis 443. annulorum vſus apparet.
	3711	Sub Maparnahum duce Iudæorum. Floret Iehoſuas ſeu Ieſus Sirach quem dicũt fuiſſe vnum de 70. interpret.	Florent Euclides Megarenſis, Menander poëta, & Theocritus Bucolici carm. ſcriptor.
	3723	Verſio 70. interpretum ſub Ptolomæo Philadelp. an. 3. reg. Eleazar ſacerd. & Amos Syrach duces Iudæorum.	
	3759	Ariſtheas & Ieſus Syrach auctor libri Eccleſiaſtici, ſub Ptolemæo Euergeto.	Calippus Aſtrologus
	3767		Ennius naſcitur an. 3. poſt belli Punici finem & poſt 30. ann. ſomniat. Lege Ennium & Merulam anno vrb. 524. florent Archimedes Syracuſanus qui occiſus eſt anno 7. belli 2. Punici, & Eraſthenes Athenienſis.
	3777		
	3801	Anno ante Chriſtum 160. Ariſtobulus Iudęus Philoſoph. Peripat. Ptolemæi Philometoris hortatu ſcripſit commentarios in libr. Moſis. Galat. lib. 2. c. 3.	Florent nunc Cetegus coſ. Suada, Medulla, Plautus & Nœuius qui carmine ſcripſit 1. bellum Punicum.

Anni mundi	Doctores ſacri.	Doctores prophani.	
3832	Floruerunt poſtea Rabbi Iodam & Rabb. Idda, & poſtea.	Initio regni Antiochi Epiph. Mutius Scæuola.	
3839	Iudas Machabæus.		
3845	Ionathas, fratres eius.	Moritur Terentius vrbis an. 595.	
3847		Romæ 1. horologium in vſu authore Scipione Naſica.	
3851		Diogenes Stoicus, Carneades Academicus, & Criſolaus Peripatet. ab Athenienſ. mittuntur legati Romam. Vertente an. vrbis 599. Polybius lib. 12. initio.	Gellius libr. 16. & Plutar. Sueton.
3862	Simon frater eius.		
3869	Ioan. Hircanus ſuccedit, creditur author libr. Machab. ex Bell. & alijs.		
3876		Hipparcus Aſtrologus.	
3893	Rabbi Simeon Ben-Iohai. Rabbinus Haccados qui videtur quaſi Euangeliſta.	Cicero naſcitur menſ. Ianuario, Seprono & Serrano coſſ. exeunte ann. vrbis 646 nec non ex aliquibus Pompeius menſ. ſept. Archius poëta.	
3904	Rabbi Neſennas eius filius.	Iulius Cæſar naſcitur menſe Iunio an. vrb. 653.	
3907	Eodem fere tempore, ſc. anno ante Chriſtum circiter 42.	Floret M. Antonius orator.	
3910	Ionathan Ben-Vziel, auditor & condiſcipulus	Floret Licinus Craſſus orator.	
3919	Simeonis iuſti ſenis qui Chriſtum vlnis excepit.	Trimit. Mut. Sceuola totũ ius ciuile in 18. lib. peculiari methodo redegit.	
3939	Hic eſt auctor Targum ſeu tranſlationis Chaldaicæ tantæ apud Hebræos	Naſcitur Veran. Catullus & Saluſtius.	
3962	auctoritatis. Floret Onkelon.	Naſcitur Horatius. Cicero occiditur. Naſcitur Ouidius, floret Virgi-	

Anni mundi	*Doctores ſacri.*	*Doctores prophani.*
3975		lius. Floret Majula poëta.
3977	Rabbi Gamaliel.	Auguſt. 17. Plancus cum re-
4002	Rabbi Haccanas qui vt ipſe teſtatur in Chriſtum credidit, ſcripſitque eius geſta prout ipſe viderat,	geret comatam Galliam, condidit Lugdunum. Miſſus eſt Gabriel Ang. ad Mariam.

Digitized by Google

SECVNDA PARS

CHRONOLOGIÆ.

PRIMVM SÆCVLVM.

Anni Christi	Imperatorũ.	*Res sacra.*	*Res profana.*
1	Octauiani Aug. Cæsar. 41	ANno à creatione mundi 4001. Christus conceptus die 25. mensis Martij de Spiritu sancto ex Maria Virgine nascitur in Bethlehem Iudæ die 25 Dec. vel potius ipsa nocte hunc diem præcedente; vt sicut prima dies creationis mundi incœpit à tenebris sic etiam prima dies eiusdem reparationis à tenebris incipiat ad significandam mysteriorum incomprehensibilitatem, *& lux fiat & luceat in tenebris.* Luc. 2. Ioan. 1. Octauo à natiuitatis die Christus circumciditur, & vocatur Iesus. Luc. 2. 21.	OCtauian⁹ Augustus, filius adoptatus, & successor Iulij Cæsaris primi Romanorum Imperatoris, ipso Christi nati die interdicit vt ne ipsum quis deinceps Dominum nominet. Orosius lib. 6. cap. 22.
		Magi paulò post veniunt ab oriente adorare eum. Mat. 2. 1. die 40. post partum Maria Virgo puerum Iesum sistit Domino in Templo. Luc. 2. 24.	Circa tempora Christi natiuitatis, multa prodigia facta sunt in multis prouinciis, vt notat Baron. & præsertim in regno Sinensi vt Martinius scribit; in quo pax facta est longa, vnde Pingus Rex Sinarum, qui tunc regnabat, voluit vocari pacificus. Martinius l. 10. hist. Sin.
		Exinde Ioseph admonitus ab Angelo defert puerum Iesum in Ægyptum. Matth. 2. 13.	
		Herodes Iesum puerum volens perdere illusus à	Florent Scriptores profani Asi-

Digitized by Google

Anni	Chriſti	Imperatorũ.	*Res ſacræ.*	*Res profanæ.*
			Magis omnes pueros qui erant in Bethlehem, &c. occidit à bimatu. Matth. 2. 16.	nius Pollio orator. Athenodorus Tarſenſis Philoſophus.
	4	44	Defuncto Herode Ioſeph reducit puerum Ieſum in terram Iſraël & habitauit Nazareth vnde Nazareus dictus eſt Ieſus, Matth 2.	Socio Alexandrinus Philoſophus, Magiſter Senecæ.
	5	45		
	6	46		Feneſtella Hiſtoricus.
	12	52	Huius anni Paſchate, Chriſtus anno ætatis 12. in templo medius inter Doctores ſedens, audiens & interrogans eos à parentibus inuentus eſt. Luc. 2. 46.	Titus Liuius Hiſtoricus. Valerius Maximus.
	14	54		M. Meſſala Coruinus. Herodes poſt infanticidiũ morbo correptus eſt, ac tandem multis erumnis, morbis, & calamitatibus oppreſſus per aliquot annos deſperatus & conſumptus vermibus animam euomuit in inferno cruciãdam in perpetuũ. Vide Euſeb. an. 6. cui in regno ſucceſſit Archelaus. Matth. 2.
	16	56		Octauianus Auguſtus hoc anno Chriſti 16. Imperij ſui 56. obit. Nolæ in eodẽ cubiculo quo pater eius Octauius die 19. Auguſti. Cui

a	Anni Christi	Tiberij	Res sacræ.	Res profanæ.
				succeſſit Claudius Tiberius, qui & Nero cognomine, filius vxoris Auguſti, & non multo poſt Auguſti gener, ab eodem adoptatus, qui etiam Domini nomen abnuit. Baron. anno 16. num. 10.
	17	1		Colonienſis vrbs ſupra Rhenum à Germanico eſt vocata Colonia Agrippina in gratiã coniugis Agrippinæ. Vign. an. 16.
	18	2		
	19	3		
	29	13	Hoc anno cœpit Ioannes baptizare, & pœnitentiam prædicare. Circa 19. Octobris vt probabile eſt. Luc. 3.	Herodes rapit Herodiadem vxorẽ fratris ſui Philippi, repudiata filia Aretæ Regis Arabum, qui propterea congregato exercitu inuaſit armis Galilæam & ingentem ibi edidit ſtragem. Ioſeph l. 18. c. 7. & 9.
	31	15	Cum iam duos annos & aliquot menſes prædicaſſet Ioannes implens curſum ſuum, Act. 13. Chriſtus ad eum venit, & ab eo baptizatus eſt. Luc. 3. Matt. 3. Marc. 1. idque die ſexta Ianuarij, vt conſtat ex traditione.	Herodes miſit Ioannem in carcerem ac tandem decollauit propter zelum iuſtitiæ quo ſanctus hic præcurſor eũ arguebat de raptu Herodiadis & vxoris repudiatione,
			Hoc quoque anno primum Paſcha Chriſtus celebrauit, poſt ieiunium quadrageſimale, & electionem ſeu vocationem duodecim Apoſtolorum, cum quibus communem vitam degit & prima jecit fundamenta vitæ communis	

&

Anni	Chriſti	Tiberij	*Res ſacræ.*	*Res profanæ.*
			& religioſæ cum omnium temporalium abdicatione. Ioan. 2. 13 Mat 3. 4. & 5.	
			Ab hoc anno primus annus ſeptuageſimæ & vltimæ hebdomadis Danielis incipit, in quo fœdus confirmatum eſt multis. Daniel 9. 27. Mat. 26. 28.	
	32	16	Secundum Paſcha miniſterij Chriſti, Ioan. 5. 1. à quo ſecundus annus ſeptuageſimæ hebdomadæ Danielis.	Nunc floret Philo natione Iudæus natus Alexandriæ alter Plato.
	33	17	Tertium Paſcha miniſterij Chriſti, Ioan. 6. 4. à quo tertius annus 70. hebd. Dan. incipit.	Tiberius crudelitatem exercet in viros Principes quos habuit conſulatus ſui ſocios eos morte afficiēs & inter illos Seianum. Tacit. l. 5.
	34	18	Quartum & vltimum Paſcha in quo Chriſtus immolatus eſt ineunte anno quarto ſiue medio poſtremæ hebdomadis Danielis. Dan. 9. 27.	Iudas Iſcariotes primus hæreſiarcharum Patriarcha, impugnans veritatem Corporis & Sanguinis Chriſti, & ſacroſanctæ Miſſæ ſacrificij, ex Chriſoſtomo Hom. 46. in cap. 6. Ioann. Auguſtino tract. 27. in Ioan. & aliis. Patiente Ieſu Chriſto euentus permulti admirabiles. Oroſius l. 7. c. 4.
			Reſurgit Rediuiuus, apparet multis, cum iis conuerſatur familiariter, ac tandem aſcendit in cœlum, ipſis videntibus tum Apoſtolis & Diſcipulis, cùm etiam multis aliis numero quingentis teſtibus; dein ſedens ad Patris dexteram, mittit Spiritum ſanctum in Pentecoſte multis prodigiis. In hunc annum	
34	1	18	incidit B. Petri principatus, cui ſcilicet Chriſtus primò promiſerat, tum poſt reſurrectionem verè commiſit ſummum ſuæ Eccleſiæ regimen. Iuxta illud	Pilatus mittit Epiſtolam ad Tiberium de Chriſti

Digitized by Google

Anni Christi	B. Petri	Tiberij	*Res sacra.*	*Res prophanæ.*
			Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cælorum, &c.* & Ioan. 21. v. 15. & 16. *Pasce agnos meos, pasce oues meas. Alias oues habeo, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile & vnus pastor.* Et primò ministerium suum incepit ab electione Mathiæ in locum Iudæ proditoris in primo Concilio habito post Christi Ascensionem. Act. 2. ac deinde in alio Concilio de quo Act. 15. hoc eodem anno septem Diaconi fuerunt electi ab Apostolis; B. Stephanus martyrium subiit, conuersus est D. Paulus & sanctus Iacobus Minor ordinatus est Episcopus Ierosolymitanus	miraculis, rebusque ab eo gestis ex Tertulliano in Apologetico c. 5. & 21. & aliis.
			Festa Paschatis, Ascensionis, & Pentecostes instituta sunt ab Apostolis. Clem. l. 8 Const. Apost. c. 33. Aug. Epist. 118. ad Ianuarium. Idem dicendum de Dominico die, de die Natiuitatis, Epiphaniæ, &c. ibid.	Apostolis Euangelium prædicantibus obmutescũt idola, Theodor. l. 10. de cur. Græc. affect.
				Florent Scriptores profani, Ouidius Naso Eques Romanus Poëta, natus an. 3. Augusti Imp.
				Iulius Hyginus.
				Strabo Cappadox.
				Xistus Philosophus.
				Lucius Annæus Seneca.
				Apion Alexandrinus.
				Dionysius Halicarnassæus.
				Hæretici primi sæculi.
				Iudas Iscariotes.
				Simon Magus.
				Alexander Ærarius.
35	2	19	Dispersi sunt Discipuli præter Apostolos, per regiones Iudææ & Samariæ. Act. 8. 1. & per Phœniciam, Cyprum, & Antiochiam. Act. 11. 19. Philippus Diaconus concionatur	Hymenæus.
				Diotrephes.
				Menander.
				Cerinthus.

Digitized by Google

Anni Christi.	B. Petri	Tiberij	*Res sacra.*	*Res profana.*
			in Samaria magnis editis miraculis, & inter alios baptizatur Simon Magus, Act. 8. v. 5. 7. 9. 13. Ideo mittuntur Petrus & Ioannes ad confirmandos Samaritanos per manuum impositionem. Act. 8. 17.	
36	3	20	Cyprianus Epist. 73. ad Iubaianum. Hieron. contra Luciferianos, & Philippus Angeli monitu instruit, & baptizat eunuchum Candacis Reginæ Æthiopiæ.	Apparuit hoc anno Phœnix auis in Ægypto sub consulibus Paulo Fabio, & Vitellio. Tacitus. l. 6. annalium.
38	5	22	Saulus venit Ierosolymam videre Petrum. Gal. 1. disputat de fide Christum prædicans Act. 9.	Obit hoc anno Tiberius Cæsar, cui succedit Caius ex patre Germanico.
39	6	Caij 1	B. Petrus visitat Ecclesias, & fundat Antiochenam vbi sedem fixit, hanc tenens Cathedram per 7. annos Euseb. in Chronico.	Herodes Antipas Tetrarcha à Caio Imp Lugdunum in exilium missus est, cum Herodiade, & in summa egestate & miseriis amboperiunt, vbi & filia eorum saltans super glaciem ab ipsa confracta decollatur. Nicephorus l. 1. hist. c 20. Pilatus Viennam in exilium missus misere obit.
40	7	2	B. Petrus Liddæ Æneam paraliticum sanat, & Ioppe Thabitam à mortuis suscitat, multosque dies apud Simonem Coriarium mansit. Act. 9.	
41	8	3	Cornelius Centurio à B. Petro conuertitur. Act. 10.	
42	9	4	S. Matthæus scribit Euang. D. Petrus fundat Ecclesias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Bithiniæ, Asiæ.	
43	10	Claudii 1	Paulus & Barnabas pergunt Anthiochiam, vbi magnus fidelium concursus factus est, & fideles ibi primum dicti sunt Christiani. Act. 11.	Caius Caligula trucidatur à corporis sui stipatoribus; cui succedit Claudius Drusus.

Anni Christi	B. Petri	Claudii	*Res sacræ.*	*Res profanæ.*
44	11	2	S. Iacobus frater Ioannis Ierosolimam Hispania reuersus, vt tradit Mariana, primus Apostolorum martyrium subit percussus gladio, & B. Petrus incarceratus, ab Angelo eripitur. Act. 12. & fundat Ecclesias Tyri, & Sidonis; Beryti, Bibli, Phœniciæ, Orthosiæ, Laodiceæ, &c. ac tandem venit Ierosolimam cum cæteris Apostolis, vbi Concilio habito Symbolum fidei fuit compositum, & exinde Apostoli per vniuersum orbem dispersi vbique terrarum fundarunt Ecclesias. S. Andræas in Achaia. S. Ioannes in Asia. S. Thomas in India. S. Philippus in Scithia. S. Bartholomæus apud Sinas & Iaponenses. S. Mathæus in Æthiopia. S. Simon & Iudas in Persida. S. Barnabas fundauit Mediolanensem. S. Marcus Alexandrinam in Ægypto. S. Paulus multas in Græcia & in insulis maris mediterranei, atque etiam in Gallia fundauit, & S. Petrus præsertim Romanam fundauit Ecclesiam Matrem aliarum.	*Reges Francorum primi huius sæculi.* Clogion. Herimerus. Marcomerus. Clodomerus. Autenor. Daterus vel Raterus. Rechimerus, de quibus eõsule Genebrardũ in chronico.
	B. Petri Rom. Pontif.			*Scriptores profani.*
45	1	3	S. Petrus Romam peruenit ac sedem suam ibi collocauit die 18. Ianuarij.	Plinius maior. M. Fabius Quintilianus.

Digitized by Google

Anni Chriſti	P. Petri	Claudii	*Res ſacræ.*	*Res ſacræ.*
			Euſebius in Petro, Tertul. Hier. Auguſt. & alij	Iulius Pomponius.
			S. Marcus ſcribit Romæ primo ſuum Euangelium Latinè, tum miſſus à B. Petro Alexandriam idem Euangelium Græcum facit & fundat Eccleſiam Alexandrinam cum ordine Clericali & Canonico: ita vt inter omnes Clericos & ſacros Miniſtros Eccleſiæ omnia eſſent communia, & nemo ſibi proprium dicebat ad inſtar Eccleſiæ Hieroſolimitanæ. Baronius an. 45 poſt Euſeb. Hieronymum in Philone, &c.	Valerius Flaccus. Serapion Philoſophus. Plutarchus Philoſoph. & Hiſt. Gabinius Rhethor. Iulius Hyginus Philoſ.
			Circa hoc tempus fundãtur Eccleſię Maſſilienſis à B. Lazaro, Aquẽſis à B. Maximino, Auenionenſis ab iiſdem, Britannicæ, & Anglicanæ à S. Ioſeph Arimathienſi, Cæſarienſis à B. Zachæo, Bracarenſis in Luſitania à S. Petro Raſtiaſtenſi ad fidem conuerſo & ordinato Epiſcopo per ſanctum Iacobũ, Tharſenſis à B. Petro Apoſtolo, & multæ aliæ ab Apoſtolis & eorum Diſcipulis: idque cum Clericali & Canonico ordine ac vita communi ad inſtar Hieroſolimitanæ & Alexandrinæ Eccleſiarum. Vide Gabrielem Pennotum in Hiſtoria Tripartita l. 2.	Herodes Agrippa concionans, inflatus populi fauſta acclamatione, ab Angelo percuſſus in Cæſarea iuſto Dei iudicio interiit. Act. 12.
46	2	4	D. Paulus raptus eſt in cœlum, &c. 2. cor. 12. Timotheum cum matre &	
47	3	5		

Anni Christi	B. Petri	Claudii	Res sacræ.	Res profanæ.
			tota familia conuertit ad fidem, in Derben. Act. 14 2. Tim. 1. & 3.	
48	4	6	S. Apollinaris Rauennatensem fundat Ecclesiam à	
49	5	7	B. Petro ordinatus. S. Eucherius à B. Petro missus fundat Ecclesiam Treuirensem.	
50	6	8	Circa hoc tempus B.	
51	7	9	Thomas Apostolus postquam Christum prædicasset Parthis, Medis, Persis, Hircanis, & Bactrianis apud orientalem Æthiopiã se contulit ex Chrisostomo, tum apud incolas insulæ Probanæ ex Nicephoro, fundatis vbique Ecclesiis cum ordine Clericali demum Indiam petit & Ecclesias Bengalensem, Angolensem, Bactricam, Congensem, Zeilanam, & Sinensem fundat. D. Petrus propter Claudij edictum Roma recedens in Africam nauigat ex Metaphraste, Thebanam, & Carthaginensẽ Ecclesias fundans, præficiens Thebanæ S. Rufum, & Carthaginensi S. Crescentem suos Discipulos in Episcopos consecratos. S. vero Barnabas fundat Ecclesiam Mediolanensem.	
52	8	10	D. Paulus Athenis Sylam, & Timotheum expectans, de Christo & ignoto Deo disceptat, Dionysiumque Areopagitam ad	Inter Galilæos & Samaritanos grauis conflictus, Ioseph.

Digitized by Google

Anni Christi	B. Petri	Claudij	*Res sacra.*	*Res sacra.*
			fidem conuertit. Act. 17. venit Corinthum & Epistolas ad Thessalonicēses scribit. Fundata autem prius Athenien.si Ecclesia Dionysium sacris mysteriis instructum primum Athenarum Episcopum ordinau.t.	
53	9	11		
54	10	12	Iudæus Apollo Ephesum perueniens docet diligenter ea quæ Domini sunt. Act. 18. D. Paulus Ephesum reuersus 12. discipulos Ioannis baptizat & confirmat. Act. 19. D. Philippus Apostolus omni fere Scythia ad Christum conuersa fundataque Ecclesia Hierapolitana martyrio coronatur. Euseb. in chron. an. 54.	
			Item S. Bartholomæus multis fundatis Ecclesiis in India, & Armenia viuus à barbaris excoriatus & capite amputato cœlos petit. Hieron. & Euseb. l. 5. hist. c. 10.	
55	11	13	Commorante D. Paulo Ephesi, septem filij Sceuæ Sacerdotis primarij ab energumeno vulnerantur. Qui fuerant curiosa sectati libros denariorum 50 mill. combusserunt conuersi ad fidem per Paulum qui primam Ephesi scripsit Epistolam ad Corinthios occasione schismatis nati inter fideles, sicut etiam scripsit ad Galatas qui post eius discessum seducti fue-	
56	12	14		
57	13	Nero. 1		Claudius Imperator veneno sublatus est machinante coninge Agrippina: cui successit Domitius Nero Agrippinæ filius à Claudio adoptatus, qui pri-

Anni Christi	B. Petri	Neronis.	*Res sacræ.*	*Res profanæ.*
			rant. Act 18. Galat. 1. 6. & paulo post cum de statu Corinthiorum certior esset factus per Titum ad eos secundam scribit Epistolam, in qua indulgentia concessa incestuoso Corinthio quem excommunicatum declarauerat, eundem à censura absoluit pœnitentem.	mos annos Imperij humaniter & juste transigit sub Senecæ præceptoris regimine: verum eo intemperantiæ, & crudelitatis erupit, vt nil intentatum reliquerit quod vtráque passionem nutrierit, proprię matri non parcens, nec amitæ, nec coniugi, nec præceptori. Quantominus Christianis in quos primam persecutioné mouit?
58	14	2	D Paulus ex Macedonia in Græciam profectus Corinthum venit vnde Epistolam ad Romanos scribit, cum collectis ex Achaia, & Macedonia profecturus in Ierusalem, quo cum peruenisset à fidelibus benignè exceptus est, sed à à Iudæis prope trucidatus est & coram Fælice, deinde coram Portio Festo suam agit causam. Act. 20. & 21. & 25. circa hoc tempus D. Lucas scribit Euangelium suum Græco idiomate.	
59	15	3		
60	16	4	D. Paulus auditus à Festo Cæsarem appellat, & iterum causam dicit coram Agrippa, & Berenice eius sorore, vinctus catenis mittitur Romam, in via fundat Ecclesiam Melitensem & Cretensem. Act. 28. S. Hermagoras fundat Ecclesiam Aquileiensem. D. Paulus ad Philippenses scribit. S. Matthias fundatis Ecclesiis in extrema Æthio-	

pia

Anni Chriſt	B. Petri	Neronis.	*Res ſacræ.*	*Res profanæ.*
			pia ſubit martyrium.	
61	17	5	D. Paulus Romæ in vinculis ſcribit ad Coloſſenſes, ad Philemonem, ad	
62	18	6	Hebræos, ad Epheſios; & expleto biennio illo, quo in libera cuſtodia Romæ docuerat. Act. 28. 30. manu miſſus iterum orientem, occidentemque luſtrat cũ ſociis Trophimo, Sergio Paulo, Aphrodiſio, & aliis pergit in Hiſpaniam, & in via S Trophimum Epiſcopum Arelatenſem ordinat, S. Sergium Paulum Narbonenſem, & S. Aphrodiſium Bitterrenſem.	
63	19	7	S. Iacobus Alphæi dictus frater Domini martyrium ſubit anno pontificatus 27 Ieroſolymis, lapidibus appetitus, è pinnac. templi præcipitatus, & capite illiſo fuſte fullonis. Ex eius Epiſtola habemus ſacramenti ſacræ Vnctionis illuſtre teſtimonium.	
64	20	8	S. Marcus Euangeliſta Hebræus natione, è genere ſacerdotali, fundata Eccleſia Alexandrina, & in ea vita communi & canonica inter ſacros Miniſtros à gentilibus necatus martyr occubuit. Baron. hoc an. cui ſucceſſit S. Anianus.	
65	21	9	Clades Hieroſolimitana prædicitur à Ieſu, Ruſti coquodam filio Anani, Ioſ.	Nero Romam incendit abolendoq; rumori ſub-

Anni Christi	B. Petri	Neronis.	*Res sacræ.*	*Res profanæ.*
			l. 7. de Bello Iud. c. 11.	didit reos Christianos quos ideo variis tormentis cruciat & afficit morte. Bar. Tasit.
66	22	10	D. Paulus Philippis in Macedonia scribit ad Timotheum primam Epistolam & vnam ad Titum, & Epheso secundam ad Timothæum scribit.	Plautinus Lateranus Consul designatus necatur, cuius palatium in Cælio monte postea cessit in possessione Christianorum, qui ibi Ecclesiam Lateranensem construxeruut. Bar.
67	23	11	SS. Sauinianus & Potentianus hoc circiter tempore fundant Ecclesias Senonensem, & Trecensem, & S. Altinus Carnotensem.	
68	24	12	SS. Petrus & Paulus redeunt Romam, & Petrus secundam scribit Epistolam Canonicam. Item S Iudas scribit suam Epist. Canonicam. D Petrus confundit Simonem Magum & suis precibus eum volare tentantem in cœlum præcipitat mortuum. Vnde Nero occasionem sumpsit, eum incarcerandi, sicut & D. Paulum carceri mancipauit ob conuersionem concubinæ suæ eiusdem Pauli persuasione prædicatione factã.	Multa apparent prodigia futuræ cladis Iudaicæ. Iudæi à Romanis deficiunt. Cœstius Ieroſolymam obsidet. Christiani inde recedunt.
69	25	13	D Petrus Christi Vicarius & visibile Caput Ecclesiæ per crucem subit martyrium: sicut & D Paulus Gentium Apostolus per capitis abscissionem. Item S. Andræas frater Petri in Achaia eadem martyrij corona per crucem decoratur. In cuius actis fit mentio sacrificij Missæ.	Templum profanatur Apollonius Tianæus magorum Coryphæus vir fictæ sanctitatis Romam venit.

Digitized by Google

Anni Chriſti	Lini.	Neronis.	*Res ſacræ.*	*Res profanæ.*
70	1	14	Linus Volateris in Hetruria natus, ſucceſſit B. Petro in ſummo pontificatu. Scripſit res geſtas, B. Petri. Bar. S. Maternus vnà cum beatis Eucherio, & Valerio fundat Eccleſias Treuirenſem & Leodienſem. Gal. Chriſt.	Nero Imperator fugiens paratum ſibi à Senatu ſupplicium an. Chriſti 70. Imperij 14. necem ſibi deſperatus infert. Bar. ſuccedente Galba à militibus proclamato per 7. menſes qui ab iiſdem interimitur; cui ſucceſſit Otho per tres menſes, & ipſe ſibi etiam manus violentas intulit, & huic ſucceſſit Aulus Vetellius, qui conſumptis 8. menſibus Imperij ſui in deliciis, gula, & luxuria ab hoſte captus, vinctiſque poſt terga manibus & fune in collum iniecto, trahitur, occiditur, & in Tiberim projicitur. Bar. an. 71. cui Flauius Veſpaſianus inuitus ſuccedit à militibus coactus imperare Bar. an. 71. &c.
		Galba.	S. Gilbertus diſcipulus Beati Martialis fundat Eccleſiam Burdigalenſem. ex Lurbæo.	
		Otho.		
		Vitellius.		
71	2	1	D. Thomas Apoſtolus fundatis Eccleſiis in India orientali, lancea à Brachmanis confoſſus martyrium ſubit.	
		Veſpaſiani.		
72	3	1	Vrbs Ieruſalem capitur à Veſpaſiano & Tito eius filio, qui iubent occidi quotquot inueniri poſſunt è familia Dauid.	
73	4	2	S. Mederanus fundat Eccleſiam Rhedonenſem; & S. Auſonius Eccleſiam Engoliſmenſem.	
74	5	3	S. Pancratius à B. Petro ordinatus fundat Eccleſias Sicilianas.	
75	6	4	S. Apollinaris primus Epiſcopus Rauennates martyrium ſubit. S. Bartholomæus Apoſtolus fundatis Eccleſiis Armeniæ citerioris, Indiæ, & Chinæ excoriatus martyr occubuit.	
78	7	5	S. Defenſor ad Chriſtũ conuerſus per S. Iulianum Cenomanenſem, & ordinatus fundat Eccleſiam	

Anni Christi	Lini.	Vespasiani.	*Res sacra.*	*Res profana.*
			Andegauensem. Gal. Chr. Democh.	
80	11	9	S Linus summus Pontifex capite truncato martyr occubuit, cui successit Cletus natione Romanus.	
	Cleti.			
81	12	10	S. Crescens B. Pauli discipulus fundata iam Ecclesia Viennensi, pergit Moguntiam & fundat eam Ecclesiam.	
			S. Abdias SS. Simonis & Iudæ discipulus fundat Ecclesiam Babylonicam in Persida. Scripsit eorum martyrium.	Vespasiano è viuis sublato alui fluxione succedit filius eius Titus post triumphum de excidio vrbis Hierosolimitanę.
		Titi.		
82	2	1	B. Anianus Patriarcha Alexandrinus fundat Ecclesiam Babylonicam in Ægypto. Aug. Ticinensis l. 2. Dilucidarij.	Tito Imperatori è vita sublato veneno vt creditur sibi parato à fratre Domitiano ingenti omnium mœrore, succedit crudelis hic fratricida Domitianus postquam fratrem adhuc spirantem feretro inclusit. Bar. Salianus. Niceph. l. 3. c. 11.
83	3	2		
		Domitiani.	S. Narnus nobilis Bergomensis à B. Barnaba conuersus, instructus de fidei mysteriis ordinatur primus Episc. Bergomensis. Antonius de Laine in vita sancti Narni.	
84	4	1		
85	5	2	Secunda persecutio in Christianos à Domitiano Imperatore.	
86	6	3	S. Viator conuersus, instructus & ordinatus à S. Barnaba fundat Ecclesiam Bricciensem. Alex. mon. in vita sancti Barnabæ.	*Scriptores præcipui profani.* M. Val. Martialis poëta. Iunius Iuuenalis poëta. Statius Papinius poëta.
89	9	6	Fundantur Ecclesiæ, Pentapoleos in Ægypto per S. Anianum successorem B. Marci, & Tolonensis per S. Gratianum ex Ferrario, & Augustino Ticinensi.	

Digitized by Google

Anni Chriſti	Cleti	Domitiani.	*Res ſacræ.*	*Res profanæ.*
			S. Antipas de quo Apoc. 20. martyrium ſubit.	Manlius Vopiſcus.
90	10	7	S. Barnabas Leuites nobilis qui & Ioſeph genere Cyprius, ad pedes Gamalielis cum Stephano & Saulo inſtructus, vnus è 72. diſcipulis, Salamimæ flammis traditus martyrio coronatur.	Sulpitia Matrona Romana poëticæ laude nobilis.
			Item S. Matthæus in Æthiopia inter ipſa tremenda myſteria occiſus eſt.	Euphrates Philoſophus Platonicus, doctrina, eloquentia, & probitate præſtans.
92	12	9	Bar. hoc anno,	Apollonius Tyaneus.
	Clementis.		S. Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta Romæ in ferentis olei dolium demiſſus illæſus relegatur in Patmos.	Philo Alexandrinus
				Ioſeph Iudæus.
93	1	10	S. Cletus Rom. Pontifex 12. creatis preſbyteris ſeu curatis in vrbe Roma per martyrij coronam migrat in cœlum Cui S. Clemens Romanus ſucceſſit an. 93.	
			S. Ignatius Patriarch. Antioch. damnatus ad beſtias, ſcribit Epiſtolas varias.	
			B Vrſinus qui & Nathanael, fundata Eccleſia Bithuricenſi euolat ad cœlum. mart. Rom. Item S. Eutropius fundata Eccleſia Santonenſi, & S. Gatianus Turonenſi	
97	5	14	D. Ioannes in Patmos ſcribit Apocalypſim.	
			S. Nicaſius fundat Eccl Rothomagenſem.	
			S. Photinus Lugdunenſe.	
			S. Lucianus Bellouacenſe	

Anni Christi	Cleti	Domitiani.	*Res sacra.*	*Res profana.*
			S. Taurinus Ebroicensem, ordinati & missi à sancto Clemente qui Romæ 7. Notarios constituit ad conscribenda gesta martyrum. Bar.	
98	6	15	Item S. Dionysius Atheniensis primo à B. Paulo ordinatus, hoc anno mittitur à S. Clemente in Gallias cum sanctis Rustico & Eleutherio, & fundat Ecclesiam Parisiensem cum clericali & canonico ordine. Martyrol. Gallic.	Domitiano Imperatori è viuis sublato à Stephano procuratore Flauiæ Domitillæ successit Nerua Coccceius, Senatus exercitusque voluntate electus qui interdixit ne Christiani amplius offenderentur.
99	7	Neruę. 1	D Ioannes scribit Euangelium & Epistolas.	

Scriptores sacri 1. seculi.

S. Mathæus.
S. Marcus.
S. Lucas.
S. Ioannes.
S. Paulus.
S. Iacobus minor.
S. Petrus.
S Iudas Apost.
S. Prochorus Diaconus.
S. Linus Papa.
S. Clemens Papa.
S. Hierotheus.
S. Dionysius Areopagita.
S. Ignatius martyr.
S. Martialis.
Hermas author Pastoris.
S. Polycarpus.
S. Abdias primus Episc. Babilonis.
Achaiæ Presbyteri.

Digitized by Google

SECVNDVM SÆCVLVM.

Anni Chriſti	Clementis	Neruæ Traiani Imper.	*Res ſacræ.*	*Res profanæ.*
100	8	1	S Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta anno ætatis 98 ſenio & meritis oneratus obit. Bar.	Nerua Imp anno 2. Imp. febri obiit poſtquam adoptauit Traianũ Vlpium & futurum ſucceſſorem deſignauit. Baro.
101	9	2	Flauia Domitilla martyrium ſubit.	
102	10 Anacletus.	3	S. Clemens Rom. Pontifex relegatus à Traiano in Cherſoneſum, ibidem martyr occubuit, eique ſucceſſit Anacletus Græcus natione.	
103	1	4		
104	2	5	Plinius ſecundus conſul ſcribit ad Traianum in fauorem Chriſtianorum conſulens eos vtpote puros & ſanctos moribus non amplius cruciandos ob religionem. Bar.	Iulianus tyrannus in Gallia perſecutionem mouet in Chriſtianos. Louuet de antiquit Beluacenſis vrbis.
105	3	6	Circa hoc tempus fundantur Eccleſiæ Macloudienſis à S Maclouio, Siluanectenſis à ſancto Regulo Toloſana à S. Saturnino; Toletana à S. Eugenio Gallic. Martyrol.	*Duces Francorum 2. ſæculi.* Odomarus Richimeri filius. Marcomerus II. eius filius.
109	7	10	S. Simeon Epiſc. Hieroſol. cruci affigitur. Item S. Parmenas è 7. D.ac. vnus Martyrium ſubit.	Clodomerus ſecundus Farabertus eius filius. Summus eius filius.
110	8	11	S. Ignatius Epiſc. Antioch martyr occumbit ſcriptis Epiſtolis variis, in quibus multæ habentur traditiones Eccleſiaſticæ de ſociatate virginum & viduarum, de ſingulis ordinibus, &c.	*Hereſiarchæ 2. ſæculi.* Saturninus. Baſilides. Carpocrates. Valentinus.
111	9	12	B. Anacletus Papa cum ſediſſet an. 9. menſibus	Gnoſtici. Anticactæ.

Anni Christi	Anacleti.	Traiani Imp.	*Res sacræ.*	*Res profanæ.*
			tribus diebus 2. martyriũ subit ; & cum sedes vacasset diebus 13. successit sanctus Euaristus natione Græcus, qui diuisit titulos seu parochias in vrbe Roma Presbyteris ; & 7. Diaconos ordinauit ad Episcopum prædicantẽ cu stodiendum.	Aquila & Theodosion, Nazaræi, Ophitæ, Caiani, Sethiani, Bassus, Ptolemæus Gnosticus, Secundus, Marcus.
			S Ereptiolus fundat Ecclesiam Constantiensem in Neustria, & S. Siagrius Cameracensem. Mart. Gal.	Pantheon templum fulmine crematur.
			Item S. Santinus, Meldensem.	*Hæresiarchæ 2. sæculi.*
119	8	20	Florent Scriptores Ecclesiastici.	Colarbasius, Heracleon, Cerdon, Marcion, Lucanus, Potinus, Basiliscus, Apelles, Hermogenes, Lucianus Apostata, Mõtanistæ seu Cataphryges, Quintiliani & Priscilliani, Ascodrogitæ seu Ascitæ.
		Hadriani.	S. Quadratus Athenens. Episc.	
			S. Aristides. S. Papias Ep. Hierap.	
120	9	1	Melito Sard. Ep. S. Hegesippus.	
	Alexãdri.		Athenagoras. S. Theophilus Patr. Antiochenus.	
121	1	2	S Euaristus Papa martyrium subit, cui succedit Alexander natione Romanus.	Traiano Imperatori sublato è viuis morte subitanea vel veneno succedit P. Ælius Hadrianus ab eodẽ adoptatus qui quartam persecutionem mouit in Christianos.
132	11 Xisti. 1	13	S. Iustinus Philosophus floret. S. Alexander capitis abscissione subit martyrium, cui succedit S Sixtus Romanus in pontific. qui ordinauit S Peregrinum Euangelij ministrum, hic fundauit Ecclesiam Altissiodorensem.	*Hæresiarchæ 2. sæculi.* Tacianistæ, Seueriani, Bardesanes, Adamitæ, Quartadecimani, S. Six-

Anni Chriſti	Xiſti.	Hadriani.	*Res ſacræ.*	*Res profanæ.*
139	8	20		Hadrianus Imp. dat pœnas ſuæ crudelitatis affiſtus profluuio ſanguinis, & cibo potuque abſtinens moritur; cui ſuccedit Antoninus Pius eius filius.
		Antonini Pij.		*Illuſtriores profani Scriptores 2. ſæculi.*
140	9	1		Plinius Iunior.
141	10	2		Cornelius Tacitus.
	Teleſphori			Solinus. L. Florus Hiſt.
142	1	3	S. Sixtus Rom. Pont. cum ſediſſet an. 10. martyrio coronatur, cui ſuccedit S. Teleſphorus Græcus Anachoreta.	Lucianus Apoſtata.
				Dion Pruſicus.
				Priſcus Iabolenus.
145	4	6	S Firminus fundat Eccleſiam Ambianenſem, & S. Cerasius Auſcienſem.	Iuuentius Celſus.
				Fauorinus Philoſophus.
150	9	11	S. Iuſtinus ſcribit Apologiam pro Chriſtianis Antonino Pio in qua multa præclara de ſacra ſinaxi & ſacrificio incruento, de voto caſtitatis & virginitatis affert teſtimonia.	Dionyſius Mileſius.
				Aulus Gellius.
				Sextus Empiricus.
				Galenus Medicus.
				L. Apuleius.
				Ariſtides Athenienſis Phil. Thlegon Chronographus.
				C. Suetonius Tranquillus.
153	12	14		Celſus Philoſ.

Digitized by Google

Anni Christi	Telesphori.	Antonini Pij.	*Res sacræ.*	*Res profanæ.*
				Pausanias Gram.
				Ælianus Sophista.
				Seruius Virgilij explanator.
	Hygini			
154	1	15	S. Telesphorus expletis an. 11. mens. 9. demptis 3. diebus pontificatus martyrio coronatur, cui suffectus est S. Hyginus Atheniensis ex Philosopho Papa creatus.	Appianus Alexandr.
				Epictetus Philos.
				Diogenes Laertius.
				Iustinus Historicus.
			Clades incendiorum, inundationum, &c. mouent Antoninum Pium, vt rescribat pro Christianis, non exinde puniendis ob fidem. Bar.	Fronto Antonini Magister.
				Ptolemæus Astrol.
				Athenæus Grammaticus.
	Pij.			
158	1	19	S. Hyginus cum sedisset an. 4 mens. 2. martyrio coronatur, cui succedit Pius natione Italus frater Pastoris, seu Hermetis Aquileiensis, qui dictus est Pastor, quia ei apparuit Angelus in habitu pastoris præcipiens celebrationem Paschæ die Dominica, erat autem hic Pastor Presbyter Romanæ Ecclesiæ, factumque est decretum de hac celebratione hoc anno 159.	Hermogenes Sophista.
				Herodian⁹ Hist.
				Atticus Philos.
				Maximus Tyrius Philos.
				Iulius Pollux.
				Aphtonius Sophista.
				Oppianus Poëta.
159	2	20 Marci Aurelij & L. Veri.		Philostratus Secretarius Iuliæ vxoris Seueri Imperatoris.
				Antonino Pio succedunt in Imperio Marcus Aurelius Philosoph⁹, & Lucius Verus.
163	6	1	Florent Scriptores sacri, S. Philippus Episc. Gortinæ, S. Pinytus Episc. Gnosciæ vrbis, S. Modestus Marcionis confutator.	
165	8	3	S. Iustinus pro præmio 2. Apologiæ pro Christianis oblatæ Senatui, &	

Digitized by Google

Anni Chriſti	Aniceti.	Marci Aurelij Veri.	*Res ſacræ.*	*Res profanæ.*
			Imper. martyrij coronam obtinet, in quinta perſecutione.	
167	1	5	S. Pius Pontifex Rom. cum ſediſſet an. 9. menſ 6. dies 3. martyrium ſubit, cui ſuccedit Anicetus natione Syrus.	
169	3	7	Martyrium SS. Geruaſij & Prothaſij nec-non ſancti Policarpi Epiſc. Smirnenſis qui multos è diſcipulis direxerat in Gallias, præſertim S. Amatorem, &c.	Bellum Marcomanicum.
171	5	9	Floret S. Irenæus Lugd.	Lucius Verus Imperat. apoplexia ſubripitur.
	Soteris		S. Anicetus cum ſediſſet	
175	1	13	an 8. 3. menſ. & 7. diebus martyrum ſubit, eique ſucceſſit Soter natione Cãpanus.	Lucianus Atheus à canibus miſere diſcerpitur Baron
176	2	14	Floret S. Dionyſius Epiſc. Corinthior.	
	Eleutherij.		Chriſtianorum precibus, victoria de Marcamannis obtenta eſt.	
179	1	17	S. Soter Rom. Pontif. cum ſediſſet annos 4. demptis diebus 12. martyrio coronatur, cui ſucceſſit Eleutherius natione Græcus.	
180	2	18	S. Photinus fundata Eccleſia Lugdunenſi martyrium ſubit, cui ſucceſſit S. Irenæus Preſbyter, in Epiſcopatu à Clero electus fuit diſcipulus ſancti Policarpi. Bar.	
181	3	19	S. Irenæus Epiſc. Lugdun. mittit diſcipulos ſuos Ferreolum Preſbyt. & Ferrutionem Diaconum ad confirmandam Eccleſiam Ve-	

Anni Christi	Soteris	Commodi.	*Res sacræ.*	*Res profanæ.*
			ſuntionenſem; & alios Valentiam in Delphinatu.	
182	4	1		M. Aurelio peſte ſublato ſucceſſit Commodus eius filius in Imperio.
183	5	2	Lucius Rex Britanniæ legatione miſſa ad Eleutherium Pontificem benignè excepit SS. Fugatium & Damianum vel Donatianum, qui eum cum vxore & ſubditis ad Chriſti fidem adduxerunt, fundatis Eccleſiis in ſuo regno. Bar.	
			S. Pantenus Philoſophus Chriſtianus Alexandrinus fidem Chriſtianam prædicat in India; vbi reperit Euangelium S. Matthæi apud quoſdam Chriſtianos. Baron.	
187	9	6	S. Lucius Rex Britanniæ regno poſthabito venit in Germaniam, & prædicans Dei regnum à Gentibus lapidatus eſt.	
193	15 Victoris. 1	12		Commodus Imp. vult haberi Deus Hercules.
194		13	S. Eleutherius cum ſediſſet an. 15. dies 23. martyrium ſubit. Eique victor Affricanus ſuccedit.	Templum Pacis incenditur, Commodus ab Athleta quodam, cum quo exerceri ſolebat, oppreſſis faucibus in ipſa paleſtra ſtrangulatus eſt, cui ſucceſſerunt Ælius Pertinax 2 diebus, Didius Iulianus 66. dies, & Seuerus.
		Seueri.		
195	2	1	Floret S. Clemens Alexandrinus, & Tertullianus, qui aſſerit Religionẽ Chriſti vbique terrarum florere.	
197	4	3	Tertullianus Chriſtianus pallium induit.	
			Celebrantur Concilia ſuper quæſtionem temporis paſchatis.	
			S. Victor excommunicat quadrageſimanos. Bar.	

Digitized by Google

TERTIVM SÆCVLVM.

Anni Chriſti.	Victoris.	Seueri Imper.	*Res ſacræ.*	*Res profanæ.*
200	7	6	Tertullianus ſcribit de corona militis, & apologiam, & omnes Eccleſiæ Catholicæ traditiones, cõformes iis quas obſeruamus, nobis aperit, præſertim de Sacramentis, de veritate & modo ac ceremoniis Miſſæ ſacrificij publici, &c.	Antonius filius Seueri à patre creatur Cæſar an. 7. patris ſui. Miles Chriſtianus recuſat coronari; & hæc fuit cauſa libri de corona militis per Tertullianum, qui hoc anno cadit in hæreſim Montaniſtarum, poſt quam ſcripſit Apologeticum librum pro Chriſtianis cum perſecutio recrudeſceret. In hoc & aliis libris Tertulliani, omnes Eccleſiæ traditiones habentur.
201	8	7		
202	9	8	Abagarus Rex Edeſſæ Chriſtianus deſcendens è familia eiuſdem nominis Regis, ad quem Chriſtus Epiſtolam ſcripſit, martyrium ſubit.	
	Zepherini.			
203	1	9	S Victor Papa cum ſediſſet an. 9. menſem vnum dies 28. martyrio coronatur, cui ſucceſſit Zephirinus Romanus, cum vacaſſet ſedes diebus 11. Symmachus Samaritanus Scripturam ſacram traducit Græco ſermone.	*Ducis Francorum 3. ſæculi.* Sunnas vel Sunnon de quo ſup. ſæculo, regnauit vſque ad annum 221. cui ſucceſſit filius eius Hildericus vſque ad an. 61. cui Barthero vel Bathero ſucceſſit vſque ad annum 279. cui ſuccedit Clodio, ſeu Clogione 2. vſque ad annum 297. cui Vatterus eius fi-
204	2	10	Philippus Auguſtalis, Ægypti Præfectus, pater ſanctæ Eugeniæ, & S. Leonides, pater Origenis, qui iam tum ardebat feruore martyrij, martyrium ſubeunt.	
205	3	11	Origenes adoleſcens magnæ continentiæ & frugalitatis Scholam Theologicam aperit anno ætatis 18. S. Irenæus Ep Lugdun. & multi alij martyrium ſubeunt.	
208	6	14	Tertullianus ſcribit li-	

Anni Christi.	Victoris.	Antonii Caracallæ.	*Res sacra.*	*Res prophana.*
			brum de spectaculis quæ Christianis interdicta sunt	lius. Vide Genebr. in chronico.
			Origenes explicans ad litteram Christi concilium de voluntarijs eunuchis, seipsum abscindit.	
209	7	15	Tertullianus scribit contra hæreticos & Iudæos.	
			Florent Minutius Fœlix orator Christianus, Amonius Alexandrinus, Clemens Alexandrinus.	
210	8	16	Florent Scriptores Ecclesiastici, Iudas, S. Zothicus Episc. Apollonius scriptor celebris, Minutius Fœlix, Origenes Caius, Origenis discipulus,	Geta frater Antonij Caracallæ imperat cum fratre, sed paulò post cum esset in matris gremio perimitur fratris iussu.
211	9	17	Iulius Affricanus, Ammo-	
212	10	18	nius, Beryllus Episc. S.	Britannos Seuerus coërcet.
		Antonij Caracallę.	Hippolytus Episc. S. Lucianus Presb. S. Cyprianus Episc. Carthag.	Antonius patrem tentat occidere.
213	11	1		Seuero Imperatori cordis mœstitia defuncto succedit filius eius Antonius Caracalla cum fratre Geta, quem paulò post iussit occidi, magiæ deditus; qui cum sex annos & paulo amplius regnasset pugione confoditur à Marciano Centurione, quem ad hoc facinus Opilius Macrinus Maurus Cęsareensis subornarat, & quarto post
216	14	4	Sanctus Paracodus primum Viennensis Episcopus petit vrbem Geneuensem, vbi populo ad fidem adducto, fundauit Ecclesiam Geneuensem, cum clericali & canonico ordine. Pennot. l. 2. hist. trip. cap. 33.	
217	15	5		
218	16	6	Tertullianus furens in Catholicos scribit de Monogamia, & ieiunio, obstrepit in Romanum pontificem & clerum Rom. &	
		Macrini.		
219	17	1	tamen vocat Papam, summum Pontificem maximũ,	

Anni Chriſti	Zephe-rini.	M. Aurel. Ant Heliog	*Res ſacra.*	*Res profanæ.*
220	18	1	& Epiſcopum Epiſcoporum.	die conciliatis militum animis Imperator creatur vna cum filio Diodumeno. verùmnó prius annum vnũ & menſes duos imperarunt, quam eorum crudelitas necem ipſis procreauit, fecitque vt Imperator ab exercitu proclamaretur Marcus Aurelius Antoninus Caracallæ filius cognomento Heliogabal⁹. Galterius.
	Calliſti		Sanctus Zepherinus Papa cum ſediſſet annos 18. dies 18. creatis Preſb. 13. Diaconis 7. Epiſcopis per diuerſa loca 13. martyrio coronatur, & cum ſedes vacaſſet per 6. dies Calliſtus Romanus electus eſt.	
221	1	2		
223	3	4 Alexãdri.		
224	4	1	S. Calliſtus cum ſediſſet annos quinque, menſem vnũ, dies 12. poſt multa tormenta martyrio coronatur, creatis Preſbyteris 16. Diaconis, 4. Epiſcopis per diuerſa loca 8. & in eius locum creatus eſt Vrbanus primus, natione Romanus qui primam reformationẽ eu potius confirmationem fecit clericalis & canonici ordinis per Epiſtolam decretalem ad omnes Chriſti fideles, ex qua patet omnes Clericos ad hæc vſque tempora, vitam communem duxiſſe, vt ipſemet teſtatur, ſine proprij poſſeſſione; ſed & voti eorum mentionẽ facit his verbis: *Quicunque veſtrum communem vitam ſuſceptam habet, & vouitſe nihil proprium habere, videat ne pollicitationem ſuam irritam faciat, ſed ho-*	Alexander filius Memmeæ conſobrinus Heliogabali inter Chriſtianos enutritus anno ætatis 16. Imp. renuntiatur, poſtquam Heliogabalus ob belluinam ſpurcitiam Senatui populoque Romano, ac militibus exoſus & execrandus vita exutus eſt, & in Tiberim proiectus vna cum matre; Memmæa mater Alexandri diſcipula fuit Origenis, ipſe verò Alexander non tantum fideles viuere ſine-
225	5	2		
226	Vrbani	3		
227	1	4		

Digitized by Google

Anni Christi	Vrbani	Alexandri Imp	*Res sacræ.*	*Res prophanæ.*
			quod Domino est pollicitus fideliter custodiat, ne damnationem, sed præmium sibi acquirat: quoniam satius est non vouere, quam votum prouime melius potest non perficere; grauius enim puniuntur qui votum fecerunt & fidē perceperunt, ei votum non perfecerunt &c. decretum. cap. sicut. Bar.	bat, sed aliquem insuper cultum Iesu Christo deferebat.
232	6 Pontiani.	9	Origenes excommunicatur à Demetrio Alexandrino & aliis ob errores quos docebat.	In hoc tertio sæculo floruerunt scriptores profani Hildegastus Philosophus, Alexander Aphrodisæus Philos. Domitius Vlpianus Iurisc̄os. Fabius Sabinus Iuriscons. Pomponius, &c. Itē Gordianus, Martianus, Seuerus, Seuerianus, &c. Venat⁹ orator. Dion Cassius, Philomon Grāmaticus, Censorinus, Nicostratus Sophista, Plotinus Ægyptius Philos. Amelius Philos. Porphyrius Tyrius, Volcatius Gallicanus, Nemesianus.
233	1	10	Sanctus Vrbanus qui baptizauerat Valerianū sponsum B. Cæciliæ cum fratre Tiburtio, cum sedisset an 6. menses 7. diebus 4. ordinatis Presbyteris 9 Diaconis 5. Episcopis per diuersa loca 8. martyrium subiit. In prædicta Epistola decretali prohibet bona Ecclesiæ impēdere in alios vsus quam in Ecclesiasticos vel in eleemosinas ad pauperum fidelium sustentationem: quia, inquit, sunt vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum. Et cum sedes vacasset 30. diebus in eius locum Pontianus Romanus electus est. Theodorus qui & Gregorius Taumaturgus discipulus Origenis vna cū fratre Antenodoro, primus fuit ciuitatis suæ Neocæsareensis Creatus à Phedino Episcopo Amazeno	*Hæresiarchæ 3. sæculi.* Tertullianistæ, Origenistæ, Symmachemi seu Patriciani, Arabici, Agrippiani seu Rebaptizantes. Homousiastæ, Origeniani cognominati turpes, Metangismonitæ, El-

Anni Chriſti	Vrbani	Maximini.	*Res ſacræ.*	*Res profanæ.*
			S. Alexander ex Philoſopho Carbonarius primus Epiſc. Comanus in Ponto creatur.	teſeritæ, ſeu Sampſæi, Valeſij ſeu Eunuchi, Nouatiani, Aquarij,
237	5	1	S. Pontianus Papa cum ſedisſet annos 5. ordinatis Preſb. 6. Diac. 5. Epiſc. 4. per loca 6. iuſſu Alexandri baculis percuſſus martyrium compleuit in Sardinia die 19. Nouemb. cumque ſedes vacaſſet diebus 13. Antherus natione Græcus electus eſt in eius locum, qui cum ſedisſet menſem vnum martyrium ſubiit, ſuccedente ſibi Fabiano natione Romano electo à Clero, imo ab ipſo Deo cum ſupra caput eius ſedit columba de cœlo miſſa eo ipſo tempore quo electio tractabatur. Baron. hoc anno.	Noëtiani, ſeu Sabelliani, Angelici, Apoſtolici, Millenarij, Paulianiſtæ ſeu Samoſateni, duo Manetis præcurſores, Scithianus & Buddas, Manichæi qui & Acuani, Mattarij, Cathariſtæ & Macariani, Apocaritæ, Dichartitæ, & Brachitæ, Hieracitæ, Abſtinentes.
	Antheri.			
	Fabiani.			
238	1	2		
240	3	3	Florent Euſebius Alexand. Gregorius Neocæſarienſis, Zeno Veronenſis, S. Cyrillus Antiochenus Patriarcha, S. Anatolius Epiſ.	Alexander Imperator in expeditione Germanica Moguntiæ Maximini fraude interimitur nec non mater eius Mammæa, & ſtatim ipſe Maximinus proclamatur Imperator, ferociſſimus qui ſextam perſecutionem in Chriſtianos concitauit.
		Gordiani.		
241	4	1	Concilium Arabicum cui Origenes inter fuit.	
242	5	2	Concilium Lambeſitanum in Affrica aduerſus Priuatum hæreticum.	
		Philippi.		
246	9	1	Philippus Imperator anno quarto Imperij, vna cum filio exhortationibus Pontij præfecti martyris ad fidem conuerſus baptizatur à ſancto Fabiano, Sodomiam Roma expulit	Maximinus Imp. in ipſo obſidio vrbis Aquileiæ vna cum filio obtruncatur à militibus,
249	12	4	cumque poſt baptiſmum	cumque Maximus Pupienus, & Cœlius Balbinus Im-

Anni Christi	Fabiani.	Philippi Imp.	*Res sacræ.*	*Res profanæ.*
			in aliquod crimen incidisset publicam egit pœnitentiam in Ecclesia iussu S. Fabiani Pontif. Euseb. l 6. hist. cap. 27.	perii gubernacula suscepissent inuitis militibus cito vita priuantur, & Imperator proclamatur Gordianus annos 16. natus.
250	13	5	S. Cyprianus Cleri, populique consensu ordinatur Episcopus Carthaginensis.	
252	15	7		
253		Decij.	Sanctus Fabianus Pontifex Rom. cum sedisset annos 15. diebus 4. ordinatis Presbyteris 22. Diac. 7. Episcopis per loca 11. martyrium subiit, & cum vacasset sedes per annum, interim clero Romano Ecclesias regente, Cornelius Romanus successit in pontificatu.	Gordiano occiso à Philippo, ipse Philippus inuadit Imperiũ, qui statim filium suum Philippum Augustum renunciauit.
	Cornelij.			
254	1	1		Decius in inferiore Pannonia natus, occisis Philippo Imp. & filio eius, occupat Imperium, mouetque persecutionem septimam in Christianos.
			S. Paulus 1. Eremita, fugit in desertum.	
			SS. Gregorius Taumaturgus, Cyprianus, & Dionysius Alexandr. fugiunt Decij persecutionem in solitudinem.	Schisma Nouati & Nouatiani.
255	2	2		
		Galli & Volusiani.	S. Cornelius Papa cum sedisset annos 2. in exilio martyr occubuit, & cum sedes vacasset diebus 35. Lucius Romanus electus est. Sub Cornelio habita sunt plura Concilia, Carthagin 1. & 2. Romanum, 1. & 2. Italicum.	Schisma Fœlicissimi in Affrica.
	Lucij.			Decio Imperatori occiso succedunt Gallus & Volusianus; qui profecti aduersus Æmilianum Imperatorem proclamatum, pater & filius ambo contrucidantur à militibus, qui & quarto post mense Æmilianum ipsum peremerunt.
256	1	1		
	2	2		
257	Stephani.	Valeriani.		
	1	1		
		2	S. Lucius Papa cum sedisset annum vnum & aliquot menses capite truncato martyr occubuit, cui successit S. Stephanus Romanus cum sedes vacasset	
		3		

Digitized by Google

Anni Christi	Fabiani.	Valeriani.	*Res sacra.*	*Res profanæ.*
			diebus 35. in concilio Africano excommunicatur qui Presbyterum testamento suo præfecit cum auertens à cultu Dei, nec non Clerici eximuntur à testamentaria tutela.	Euseb. an. 254. & 256. succedēte Valeriano, qui iam inde à secundo anno Galli & Volusiani nominatus fuerat, sibiq; Gallienum filium adiunxerat. Baron. an. 254. 257. Valerianus crudelem persecutionē mouet in Christianos.
258	2	4	Oritur quæstio de rebaptizandis hæreticis.	
			Floret S. Gallus primus Episc. Nouiomensis, seu potius Veromanduensis.	
	Sixti.			
260	1	6	Sanctus Stephanus cum sedisset an. 3. mēses 3. dies 20. inter ipsa tremenda mysteria in ipsa sede pontificia martyrium subit capitis abscissione, cum 22 clericis. S. Cyprianus & S. Dionysius Alexandrinus mittuntur in exilium. Hæresis Sabelliana oritur. S. Genulfus ordinatus & missus à sancto Sixto populis ad fidem conuersis fundat Ecclesiam Cadurcensem cum ordine Canonico & Clericali.	
	Dionysij.			
261	1	7	S. Sixtus Papa cum sedisset an. 1. martyrio coronatur 6. die Aug. Sub eo sanctus Laurentius Archidiaconus S. Romanæ Ecclesiæ floret, & triduo post eius obitum martyrium subit assatus in craticula. Hoc eodem anno martyrium subeunt S. Cyprianus Episc. Carthag. & multi alij.	Valerianus Imperator captus à Persis multaque cum ignominia & miseria tractatus est, quo scilicet in terram curuatus ut is est Sapor Rex Persarum, tanquam scabello cū equum conscenderet, ac tandem cum viuum excoriari fecit & sali-
262	2	8	Ex historia passionis sancti Cypriani per Pontium	

Anni Christi	Dionysij.	Valeriani & Galieni	*Res sacræ.*	*Res profanæ.*
			eius Diaconum videmus Clericos & Sacerdotes huius temporis eundem habitum induisse, quem hodie adhuc induunt canonici Regulares. Pennotus libr. 2.	ri. Quo supplicio perterritus Galienus eius filius, & si crudelissimus Ecclesiam pace vti permisit.
263	3	9		
264	4	10	Florent Dorotheus Presb. Scriptor Eccl. S Thomas Patriarcha Alexandr.	Porphyrius impius Apostata Romam venit auditurus Plotinum.
265	5	11	S. Mello, his temporibus fundat Ecclesiam Rothomagensem in Neustria. Gall. Christ.	Imperium inuadunt triginta tyranni, ex quibus Odoënus Rex Palmyrenorũ Orientis Imperium abstulit
266	6	12	S. Gregorius Thaumaturgus obit. S. Dionysius Papa Presbyteris Ecclesias diuidit, & Cæmeteria, Parrochias & Diœceses constituens	Valerianus iunior imperat.
		Claudii		Gallienus Imp. necatur à Claudio.
269	9	1	Florent Scriptores Eccles. S. Pierius Presb. Alexandr. S. Victorinus Episc.	Duce Daciæ; qui à militibus Imperator denũciatur, & mouet persecutionem in Christ.
270	10	2	Pictauiens. S. Phileas Epis	
		Aureliani.	Eusebius Episc. Laodic. S Gabinius Rom. Presbyt. S. Methodius martyr.	Claudio Imp. peste sublato succedit Domitius Val.
271	11	1	S. Dionysius Papa cum sedisset an 11. menses 3. dies 14. obit eique post dies quinque, Fœlix Romanus successit.	Aurelianus fauore militum, licet loco natus humili. Nouæ persecutionis author, qui fulmine de cœlo ictus etiam à suis trucidatus interiit an. Imperij septimo.
272	12 Felicis.	2		
273	1	3		
274	2 Eutichiani.	4	Zenobia Regina Palmyreniorum Christiana obit Romæ.	
275	3	5	S. Fœlix Papa cum sedisset an. 2. mens. 5 diem v. num martyrium subit, & post dies 5 electus est Eutichianus Tuscus.	Manes, Scynthianus, & Therebyntus hæresiarchæ.

Digitized by Google

Anni Chriſti	Euti-chiani.	Taciti	*Res ſacræ.*	*Res profanæ.*
			S. Senator fundat Eccleſiam Lingonenſem.	Tacitus imperat per 6. menſes.
278	4	Probi.	S. Marcellus fundat Eccleſiam Dienſem.	Probus imperat per 5. an. qui Galliam à Francis libravit.
279	5	1	S. Euthymus Papa cum ſediſſet an. 8. menſes 6. martyrio coronatur, cui poſt dies 9. ſucceſſit Caius Dalmata, è genere Diocletiani.	Probo à militibus occiſo an. 5. Imperij creatur M. Aurelius Carus cum filiis Carino & Numeriano, & ipſe fulmine percuſſus interit, filij vero occiduntur.
280	6	2		
282	8	4		
283	9	Cari. 1		
	Caij.	Diocletiani.		
284	1	1	Martyrium ſancti Sebaſtiani, & aliorum.	
292	9	9	Serena vxor Diocletiani, Chriſtiana ſanctiſſimè vixit.	
	Marcellini.			
296	1	13	S. Caius cum ſediſſet an 12. menſes 4. dies 5. martyrio coronatur, cum fratre Gabio Preſb. cumque vacaſſet ſedes dies 11. Marcellinus Romanus electus eſt.	Succedit Dioletianus qui ſibi M. Val. Maximianum ſocium facit Imperij, & ambo excitant decimam perſecutionem.
297			Martyrium S. Mauricij & ſociorum.	Flauius Conſtãtius Florus patet Conſtantini Magni, & Maximiani, Galerius creãtur Cæſares.

QVARTVM SÆCVLVM.

			Res Eccleſiaſticæ.	*Varia.*
300	5	17	S. Clarus fundat Eccleſiam Albienſem. S. Proiectitius reformat Clericos Eccleſiæ Bergomenſis eos ad vitam communem & Apoſtolicam reducens.	Florent in hoc ſæculo ſacri Scriptores illuſtriores. Arnobius Rhetor.
			Pennotus lib. 2. hiſt. Tripart.	Lactantius Firmianus.
				S. Iacobus Epiſ-

Digitized by Google

Anni Christi	Marcellini.	Dioclet & Max.	*Res Ecclesiastica.*	*Varia.*
302	7	19	Marcellinus Papa mediis in tormentis thus adolet idolis, verum statim pœnitentia ductus cõuocato Concilio publicè satisfacit, petit veniam, cumque patres vnanimi consensu clamassent tu teipsum iudica, nam prima sedes à nomine iudicatur, ipse volens suum reparare scandalum Imperatorem adiit Christum publicè prædicans, vnde anno sequenti martyrium subiit, ei succedente S. Marcello anno 304.	copi Nisibenus. Iuuencus Hisp. Poëta. 337. S. Pamphilius Presb. martyr.
303	8	20	Synodus Cirtensis. Martyrium subeunt S. Piatus primus Ecclesiæ Tornacensis fundator. S. Caprasius Ep. Agennensis. S. Victorinus primus Ep. Pictauiensis. S. Agnes virgo, S. Lucia virgo. S. Vincentius Archid Cæsarauguſt.	Euseb. Cęsariensis Episc. Rhæticius Augustod. Episc. Cõstantinus magnus multarum orationũ scriptor. S. Antonius magnus Monachorũ speculum. 258. S. Athanasius Patriarch. Alexand. Eusebius Episc. Emissenus. Eustachius Epis. Antioch. S. Serapion Epis. Thumeos. S. Macarius senior Abbas.
	Marcelli.	Constantij & Galerij.		Diocletianus & Maximian' se abdicant Imperio, quibus succedunt Constantius Chlorus in oriente, & Galerius Maximianus in occidente, qui persecutionem grauiorem mouet in Christianos.
304	1	1	Martyrium sanctæ Dorotheæ virginis. S. Marcellinus cum sedisset an. 8. martyrio coronatur, cui successit S. Marcellus.	
305	2	2	S Ianuarius Episc. Beneuentanus martyrium subit.	
		Constãtini.		
306	3	1	Cessat persecutio. S. Marcellus Papa auget titulos in vrbe Roma ad 25. quasi Diœceses, propter	Constantio Eboraci mortuo Cõstantinus eius filius imperat, Maxentio tamen Im-

Digitized by Google

Anni Chriſti	Marcelli.	Conſtãtini.	*Res Eccleſiaſtica.*	*Varia.*
			baptiſmum & pœnitentiã eorum qui ad fidem conuertebantur.	perium occupante & ſe Chriſtianum ſimulante.
			Schiſma Donatiſtarum in Carthagine & Meleſij in Ægypto.	Seuerus & Maximinus Cæſares creantur.
307	4	2	S. Sigiboldus fundat Eccleſiam Sagienſem in Neuſtria.	Seuero Cæſare interempto Maximianus, iterum Imperiũ affectat,
			Martyrium ſubit ſancta Catharina Virgo Alexandrina.	inſidiatur Conſtantino Magno,
	Euſebij.			
309	1	4	Concilium Eliberitanum interdicit nuptias, & negotia ſæcularia Preſbyteris & Clericis.	qui nubet cũ Fauſta filia Maximiani Imp. & Eutropiæ, vel potius, vt alii volunt cum Mineruina. Verum paulò poſt militans aduerſus Cõſtantinum coactus fugam arripere laqueo ſe ſuſpendit
			S. Marcellus Papa cum ſediſſet an. 4. menſem vnũ, dies 25. martyrio coronatur, & cum ſedes vacaſſet 20. diebus.	
			S. Euſebius Græcus in eius locum ſuffectus eſt	
310	2	5	S. Petrus Patriarch. Alexandr. ſubit martyrium, &	Maſſilię poſt martyrium S Victoris.
311	3	6	ſequenti anno ſanctus Lucianus Preſbyter Antiochenus qui in carcere ſupinus iacens obtulit, ſuper ſuum pectus ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium, alio deficiente altari.	Licinius Cæſar creatur dum Valens Imperium orientale inuadit an 307.
			S. Euſebius cum ſediſſet an. 2. menſes 7. dies 21. diem clauſit vltimum, cui	*Scriptores ſacri illuſtriores.*
	Melchiades		poſt dies 7. ſucceſſit. Melchiades Afer.	S. Triphylius Ledrenſis Epiſc.
				Lucifer Epiſc. Calaritanus.
312	1	7	Hic annus Eccleſiæ fœliciſſimus eſt obglorioſam Conſtantini magni per ſacrum crucis vexillum victoriam de Maxentio ty-	S. Hilarius Epiſc. Pictau.
				Victorinus Affricanus.
				S. Euſebius Ver-

Anni Christi	Melchiadis	Constantini	*Res sacræ seu Ecclesiast*	*Varia.*
			ranno, post auditam de cœlo vocem, *In hoc signo vinces* Vnde Labarum originem duxit, hinc etiam Aurea Christi imago ab ipso Senatu erecta est publicè, hinc eiusdem Constantini edictum in fauorem Christianorum, quo iubet bona propria Christianis præsertim Clericis restituere, & permittit publicas Ecclesias ædificare.	ell. Episc. S. Ephrem Diaconus Edessæ. Indictionum origo. *Scriptores sacri illustriores.* Aquilius Seuerus in Hispan. S. Optatus Mileuitanus Ep. an. 368. Osius Cordubensis Episc.
313	2	8	Constantinus Imp. dat palatium Laterani quod ab vxore sua Fausta acceperat in matrimonium S. Melchiadi Pontifici, vt in eo prima publica Ecclesia construatur Imperatoriis sumptibus, quæ à Syluestro Pontifice dedicata est postea sub nomine Saluatoris, vocatur etiam Constantiniana & Lateranensis. Idem Imperator concedit multa priuilegia & immunitates Clericis & Ecclesiis	S. Gregorius Nazianzenus. S. Basilius Magnus. S. Gregorius Nyssenus. Theophilus Alexand. Eutropius Monachus. Iulius Maternus Firmicus. Gregorius Boëticus Hisp. Faustinus Philo Carpathius. S. Pachomius scriptor Regulæ Monachorum dictante Angelo. 381.
	Syluestri.		Concilium Romanum tenetur in causa Donatistarum. Hoc eodem anno S. Melchiades cum sedisset an. 2. menses 2. dies 7. obiit in Domino, & cum sedes vacasset diebus 52. electus est S. Syluester Romanus.	S. Cyrillus Hierosol. Patriarch. Euagrius Monachus Ponti.
314	1	9	Multa habentur Concilia, Arelate, Ancyræ, Neocæsareæ, & Laodiceæ ad sanctitatem morum præsertim Clericorum.	Palladius Galata. S. Damasus Papa. Prudentius Poëta. 376.

Chrispus

Anni Christi	Lini.	Constantini.	*Res sacra seu Ecclesiast.*	*Varia.*
315	2	10	Chrispus & Constantinus filij Imperatoris Constantini, nec non Licinianus filius Licinij creantur Cæsares.	S. Pacianus Epis. Barcinonensis. Didymus Alex.
316	3	11	Floret sanctus Nicolaus Episc. Myræ in Lycia, qui post persecutionem Licinij è carcere liberatus, & ad	Maximinus Imperator, putido morbo & vermibus ac scabie consumptus est, vnde
318	5	13	Ecclesiã reuersus destruit idola.	pax integra Christianis restituta est.
			Osius Cordubensis Episc. legatus mittitur in orientem à S. Syluestro ad conciliandam Ecclesiæ pacem.	Disputatio Iudæorum cum Episcopis. Apparet Ariana &
319	6	14	Osius concilium Alexandrinum celebrat.	Colluthiana hæresis.
320	7	15	S. Syluester Papa viriliter instituit reformando ordini Clericali & Canonico, Clericis copiosis egentes coniungens vt habetur in eius actis, vt omnes communem & apostolicam vitam ducerent. Pennot. l. 2. c. 4. hist. Tripart	Diocletianus quõdam Imp. misere obit. Licinius Christianos persequitur, & inter eos 40. milites & 40. virgines, cum Ammone Diacono martyrio coronãtur.
321	8	16	Edictum Constantini de celebratione diei Dominicæ etiam à paganis.	Licinij interitus.
323	10	18	S. Syluester secedit in Soracten montem, ob motam persecutionem Gentilium propter edictum impium Constantini de consulendis aruspicibus.	Diuinæ visiones Constantino ostensæ. *Illustr. sacri Scriptores.*
324	11	19	Constantinus Magnus lepra percussus à Deo ob edictum impium consultandorum aruspicum, & effusum sanguinem filij & nepotis. Sanatur à lepra baptizatus à sancto Syluc-	S. Epiphani⁹ Ep. S. Ambrosius Ep. Mediolan. S. Amphilochius 380. S. Philastrius. S. Gaudẽtius Ep.

Digitized by Google

Anni Christi	Syluestri.	Constãtini Magni.	*Res sacræ.*	*Variæ.*
			stro, & construit Basilicam SS Apostolorum Petri & Pauli, qui ei apparentes consuluerant baptismum suscipiendum ad curationẽ duplicis lepræ, corporeæ, scilicet & spiritalis seu peccatorum. Itaque post susceptum baptismum omnes ad fidem suscipiendam hortatus est, multas diuitias, & priuilegia Ecclesiis, & Clericis confert, & construere facit alias Ecclesias præsertim sanctæ Crucis in Hierusalem, &c.	Brixiensis. 386. Ruffinus monach. 380. Euagrius Antioch. 372. Gelasius Episc. Cæsareæ. S. Hieronymus. 386. S. Chromatius Episc. Aquil. 390. Sophronius.
			Habetur hoc anno Concilium Romanũ 284. Episcoporum in quo Can. 4. decretum est vt de redditibus Ecclesiæ, quatuor fiant partes, quarum prima pars Ecclesiæ reparandæ & ornandæ cedat, 2. Episcopo. 3. Clericis alendis. 4 Pauperibus. Bar. 324.	Chrispus & Licinius Cæsares necantur iussu Constantini. Constãtinus post baptismi suscepti onẽ cogitat de noua vrbe erigẽda, & ad hoc diuinitus inspiratus Byzanthiũ eligit. Aureus numerus inuenitur.
				Duces Francorum 4. seculi.
325	12	20	Hoc anno celebratur Concilium aduersus Ariũ, qui cum omnibus Arianis in eo condemnatus est, & filij Dei consubstantialitas determinata fuit; in eo Concilio fit mentio de Missæ sacrificio & aliis mysteriis, quæ Caluinistæ & Lutherani impugnant; multa etiam decreta fiunt pro reformatione ordinis Clericalis & Canonici.	Degẽberius seu Dagobertus filius Valteri. 305. Clodius seu Clogion tertius. 316. Clodomerus vel Clodomirus 3. 326 Richemerus vsque ad annũ 349. Theodomerus vsque ad an. 355. in quo à Gallis captus & obtruncatus est
326	13	21	S. Alexandro Patriarchę Alexandrino succedit S Athanasius eiusdem Eccle-	Clogiõ IV. mortuus an. 377. Marcomerus ter-

Digitized by Google

Anni Christi	Syluester.	Constãtini Magni.	*Res sacræ.*	*Varia.*
			cleſiæ Archidiaconus. Eodem anno inuenta fuit crux ſacroſancta Domini à beata Helena matre Conſtantini Magni. Bar.	tius à Romanis interemptus circa an. 382. Dagobertus. Geneb in chronico.
			S. Nicolaus Myræ Ep. multa edit prodigia. Bar.	Altarium lapideorum vſus in
327	14	22	Hoc tempore fundantur plures Eccleſiæ apud Indos & Iberos per S Frumentium Tyrium ordinatum à ſancto Athanaſio Patriarcha Alexandrino.	ſacrificio Miſſæ à S. Syluestro imperatus. Byzantiũ à Conſtantino capitur, amplificatur vocatur Conſtantinopolis & noua Roma, & Deiparæ Virgini dedicatur.
328	15	23	Sanctus Athanaſius viſitat ſanctum Antonium: inſtituta Monaſtica ſeu Regularia adiunguntur clericalibus officiis, & miniſteriis per ſanctum Syluestrum qui Monachos vocat, & in ipſa vrbe Roma fundat Monaſteria, vnde tam in oriente quam in occidente mos ille inualuit, ædificandi Monaſteria in vrbibus, tanquam Seminaria Clericorum & Epiſcoporum, quod fecerunt SS. Euſebius in Eccleſia Verſellenſi, S. Athanaſius in Alexandrina, ſanctus Ambroſius in Mediolanenſi, ſanctus Baſilius in Cappadocia, ſanctus Hilarius in Pictauienſi, ſanctus Auguſtinus in Hipponenſi, ſanctus Martinus in Turonenſi, & alij per multi iungentes Regularia inſtituta ſacris miniſteriis, quo factum fuit vt illuſtriores, doctiores & ſan-	Noua vrbs Hieruſalem conſtruitur à Conſtantino Magno, & in ea Eccleſia Dominici ſepulchri magnifice inſtauratur.
330	17	25		Conſtãtinũ honorant Indiæ orientalis legati, eique pretioſa munera offerunt. Bar. 336.
				Conſtãtinus Magnus in freto Siciliæ maxima tẽpeſtate exagitatus, penè deſperata ſalute vouit Deo, ſi incolumis euaderet triginta millia nummorũ ad erigendam Eccleſiam in honorem

Anni Christi	Siluestri.	Constãtini Magni.	*Res sacræ.*	*Varia.*
			ctiores Prælati assumpti fuerint de Monasteriis ad Ecclesiarum regimen. Consule Baron. hoc anno.	B. Ioannis Baptistæ. Constantia quoque eius filia aliud votum nummorum 20000. ad erigendam Ecclesiam D. Luciæ virginis, cumque incolumes Neapolim appulissent vota soluerunt ædificatis Ecclesiis, & fundatis in eis Clericis regularibus seu Canonicis regul. Ioan. Villanus in chronol. Neapol. & Anton. Summati' in hist. Neapol. l. 1. p 333. ex vetustissimis manuscriptis illius vrbis.
335	22	30	S. Syluester Papa cum sedisset annos 21. menses 11. excepto vno die obiit in Domino creatis Presbyteris 42. Diaconis 26. Episcopis per diuersa loca 65. cumque sedes vacasset diebus 15.	
336	Marci. 1	31 Constãtini Constantij & Constantis.	Marcus Romanus electus est Pontifex, cumque sedisset menses 8. dies 20 obiit. Cumque sedes vacasset diebus 20. Iulius Romanus electus est.	
337	Iulij. 1	1	Eusebius Cæsariensis l. 2. hist. c. 6. testatur institutum D. Marci in Ecclesia Alexandrina plantatum in omnibus Ecclesiis & Monasteriis retentum ad sua vsque tempora.	Vrbis Constantinopolitanæ fit dedicatio in honorem SS. Dei Genitricis Virginis.
340	4	4	S. Athanasius restitutus Ecclesiæ suæ Alexandr. Romam petit, & adest Synodo Romanæ.	Tres alias Ecclesias ædificat Constantinus in hac vrbe noua, 1. in honorem SS. Apostolorum, 2. in honorem S. Sophiæ, 3. in honorem S. Michaelis.
341	5	5	In Synodo Antiochena occasione dedicationis tẽpli sanctus Athanasius abdicatur patriarchatu ab Arianis, eique substitutus est Gregorius cum eandem sedem recusasset Eusebius Emessenus. In Synodo autem Romana innocens declaratus est.	Cõstantinus Magnus Imp. Christianissimus anno ætatis 65. Imperij 31. Christi verò
343	7	7	Obit sanctus Paulus primus Herem. Persecutio Christianorum in Persidę	

Anni Christi	Iulij	Constantini & fratr.	*Res sacræ.*	*Varia.*
			Ecclesia sancti Stephan Diuionensis fundatur cum ord. Canonico.	337. cum antea suũ Imperium tribus filiis diuisisset Cõstantino, Constãtio & Constanti, ex hac vita ad cœlestem migrauit, cuius corpus in aureo sepulchro reconditũ cũ Christianis ceremoniis Helenopoli vbi obierat Constantinopolim deportatum est, & in porticu Ecclesiæ SS. Apostolorum collocatum. Consule Baroniũ an. 379. qui addit Constantinũ magnum à Græcis pro sancto haberi, & coli.
347	11	11	Sub Iulio Concilia Antiochenum, Agrippinense & Sardinense œcumenicum in quo Ario damnato sanctus Athanasius absoluitur, unde Constantius Imp. procurat eius restitutionem, ac simul sancti Pauli Constantinopolitani. Synodus Carthaginensis.	
348	12	12		
		Constantij.		
